ARNOLDI BOOTII VINDICIAE, SEV APODIXIS APOLOGETICA, PRO HEBRAICA VERITATE,

CONTRA

Duos nouissimos & infensissimos eius hostes,

IOHANNEM MORINVM

ET

LVDOVICVM CAPELLVM:

Quibus Sacrosanctus Textus Hebr. à fictitiis illis atque innumeris Varijs Lectionibus, quas ex Veteribus Translationibus procusas in eum invehere duo isti Authenticæ Scripturæ calumniatores omni ope satagunt, liberatur; eiusque Integritas, Certitudo, Authentia, & Authoritas contra omnes eorum exceptiones & sycophantias perspicue & solide asseritur.

Psal. 73. vers. 8. 9.

Irrident, ac loquuntur malitiosè: calumniam de Excelso loquuntur. Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum grassatur in terra.

Ierem. 8. vers. 8. & 9.

Quomodo dicitis, Sapientes sumus, & Lex Dei penes nos est? Et tamen ecce ad falsa utuntur stilo suo falsi [isti] scriptores. Pudefacti sunt [isti] sapientes, fracti sunt & capti, quænam enim est eis sapientia, cum Verbum Domini contumeliosè tractent?

PARISIIS,
Impensis Authoris & TH. PVLLEN, Bibliopolæ Londinensis.
M. DC. LIII.

4° B. 24 Th. Seld.

S.M:

ARNOLDI BOOTII VINDICIAE.

SEV

APODIXIS APOLOGETICA,

PRO HEBRAICA VERITATE,

CONTRA

Duos nouiſſimos & infenſiſſimos eius hoſtes,

IOHANNEM MORINVM

ET

LVDOVICVM CAPELLVM:

Quibus Sacroſanctus Textus Hebr. à fictitiis illis atque innumeris Varijs Lectionibus, quas ex Veteribus Tranſlationibus procuſas in eum invehere duo iſti Authenticæ Scripturæ calumniatores omni ope ſatagunt, liberatur; eiuſque Integritas, Certitudo, Authentia, & Authoritas contra omnes eorum exceptiones & ſycophantias perſpicue & ſolide aſſeritur.

Pſal. 73. verſ. 8. 9.

Irrident, ac loquuntur malitioſe: calumniam de Excelſo loquuntur. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum graſſatur in terra.

Ierem. 8. verſ. 8. & 9.

Quomodo dicitis, Sapientes ſumus, & Lex Dei penes nos eſt? Et tamen ecce ad falſa utuntur ſtilo ſuo falſi [iſti] ſcriptores. Pudefacti ſunt [iſti] ſapientes, fracti ſunt & capti. quænam enim eſt eis ſapientia, cum Verbum Domini contumelioſe tractent?

PARISIIS,
Impenſis Authoris & TH. PVLLEN, Bibliopolæ Londienſis.
M. DC. LIII.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

D. GISBERTO VOETIO

THEOLOGIÆ DOCTORI

ET IN INCLYTA ACADEMIA

Vltrajectina Profeſſori,

ARNOLDVS BOOTIVS S. P. D.

REuerende ac Clariſſime Vir,

Quæ ſint animi tui ſenſa ſuper illa controverſia, quæ mihi cum Capello ac Morino intercedit, & ſuper Sacræ Scripturæ Hebraicæ authentia ac ſinceritate, quam contra eos tueor; nemo ignorare poteſt, qui Theſes tuas de Inſolubilibus Scripturæ, de-que eiuſdem Autoritate, cum prima parte Diſputationum tuarum ſelectarum editas, viderit: quippe in quibus

ſententiam tuam de perpetua textus originalis integritate, meæ penitus concordantem, clare aperuiſti, eamque firmiter admodum ac nervoſe, qui tuus moſeſt, aſtruxiſti. Ac mihi præterea peculiariter de eo conſtat ex literis tuis, quas ante biennium, poſt acceptam lectamque Epiſtolam meam Anticriticam, ad me ſcripſiſti. In iis enim & atrum in Criticam Capellianam calculum fers, eamque veluti ſumme pernicioſam, & falſiſſimis fundamentis innixam, condemnas; ac meo contra ipſam ſcripto faventer admodum applaudis, plenumque honoris teſtimonium perhibes. Iam ſicuti hæc certum me reddunt, haud ingratum tibi fore, quòd nomini tuo inſcripſi has Sacri Textus Vindicias, in quibus eandem quæſtionem multo adhuc fuſius, quàm antea, agitavi, ac cum Capello Morinum, ipſi in hac cauſa coniunctiſſimum, copulavi: ita cur illas tibi inſcribendas ducerem, duæ rationes haudquaquam leves me invitaverunt. Quippe permultis iam annis in me meoſque animi ſummè benevoli propenſique ſigna quamplurima edidiſti, ac edis quotidie: & præterea is es, qui in dilectionem ſimul ac venerationem tui rapias quoſvis ſinceriores veræ Religionis cultores, utpote qui inter præcipuos ac glorio-

ſiſſimos eius propugnatores ac propagatores meritiſſimo numerandus ſis. & quum pauciſſimis omni ævo cõtigerit, ut ſimul egregie ſcriberent, ac egregie loquerentur: Deus tibi, ut D. Armachano, ſingularem hanc gratiam contulit, ut & in inſtruendis viva voce populis, inque annunciando iis dilucide ac efficaciter Verbo ſalutifero, pares habeas oppidò paucos; & in explicandis ac defendendis omnibus Divinæ Veritatis partibus, non modò cathedram digniſſime impleas, ſed & plurima dederis ſcripta maxime inſignia, atque omnino eiuſmodi, ut neſciant lectores, quid primum aut potiſſimum in iis admirentur, methodumne & ordinem optime digeſtum, ſummamque perſpicuitatem, & vim ac robur argumentorum, an infinitam lectionem, & profundiſſimam ac penitus reconditam eruditionem. Iſtæ tot ac tam eximiæ dotes quum me tibi, etiam alieniſſimo, conciliare deberent, & quum præterea amicitiâ haud fictâ me tibi plurimum obſtrinxeris; volui extare aliquod venerabundi gratique erga te animi mei monumentum, eamque cauſam habui dicandi tibi hoc Opus: in quo ſi paulò ſeveriorem me exhibeo in duos iſtos meos ac Veritatis Hebraicæ adverſarios, facile videbis, quæ tua eſt

prudentia, inauditam eorum proterviam ac pervicaciam mihi inevitabiliter hanc neceſſitatem impoſuiſſe, ut ipſos iſto pacto caſtigarem. adeoque hîc modum non exceſſi, ut longe intra modum me continuerim, ac multum de ſummo iure remittens, plurima iis condonaverim, in quibus prolixam eos adhuc amplius & inclementius exagitandi materiam mihi ſubminiſtraverant. Quodſi mireris, qui factum ſit, ut plus biennio effluere ſiverim, antequam Vindicias has Appendici meæ, in qua eas promiſeram, ſubmitterem; quum Epiſtolam Anticriticam illico poſt Pſeudo-criticæ publicationem, & paucarum omnino ſeptimanarum ſpatio, deproperaverim: ſcias me in ipſis earum initiis, & quum exiguam tantùm ipſarum partem conſcripſiſſem, graviſſimo caſu ab iis pertexendis interpellatum fuiſſe. Quippe crudeli fato in ipſo ætatis flore erepta mihi fuit uxor κυείδιος probatiſſima, atque omnibus nominibus mihi chariſſima, utpote in qua virtus, pietas, forma, indoles, alia cuncta, eximia erant: quo acerbiſſimo vulnere adeo afflictus fui, ut non impræſens tantùm, ſed diutiſſime poſtea, omni ſeriæ ſcriptioni, ac in qua contendendus erat animus, impar forem. Quanquam autem nondum cicatricem

id duxit, nec ducturum plene ſit, dum hos artus reget ſpiritus: tempus tamen, quod omnia lenit, nonnihil illos diros ac acerrimos eius morſus, qui pectus meum iugiter lancinabant, mitigavit; ſic ut nonnihil me recolligere, atque ad ſeveriora ſtudia tandem redire potuerim: quod ſimulatque factum fuit, nihil præſenti Operi, atque defenſioni Sacroſanctæ Veritatis Hebraicæ, contra duos iſtos infenſiſſimos ac pervicaciſſimos eius hoſtes, Morinum & Capellum, prævertendum duxi. Atque hiſce finem faciens, Deo Opt. Max. te, Reverende ac Clariſſime Vir, ex animo commendo, ac ſanctiſſimum eius numen ſuppliciter oro, ut te Eccleſiæ ſuæ, cuius commoda tam utiliter omnibus modis promoves, quam diutiſſime incolumem conſervet.

Dabam Lutetiæ Pariſiorum, 5. May. 1653.

Errata ſic corrigantur.

Prior numerus paginam, alter verſum notat.

11. 12. quocunque, *l.* quoque. 36. 15. iudiciis, *l.* indiciis. 38. 28. diſp-- *l.* deſp. 47. 16. pla, *l.* plo. 55. 19. ante *tertio* adde *ſecundo:* & poſt *quarto*, dele *ac quinto*. 76. 13. dele, *eſſe*. 85. 26. ſemto, *l.* ſemte. 86. 24. ceu, *l.* ſeu. 103. 8. poſt *contra* adde *ea*, 107. 18. rra, *l.* tra. 108. 18. Morianum, *l.* Morinum. 22. dele comma poſt *Iudæorum*. 112. 9. quippe, *l.* quique. 23. Græcam. *l.* Græcum. 119. 26. Græcum, *l.* Græcam. 148. 9. etſi, *l.* & ſi. 166. 1. præin-- *l.* præju-- 167. 20. hamus ex iſto verſu transferendus in præcedentem, ac poſt *Hebræum* locandus. 168. 32. dele ſecundum *ſignificat*. 169. 8. dam, *l.* dum. 173. 34. qua, *l.* quo. 178. 5. omnis, *l.* omnibus. 186. bræu. *l.* bræum. 202. 10. ante *audet* pone duo puncta. 204. 17. ra, *l.* ram. 205. 2. tolle comma poſt *vendendi*. 207. 31. uem, *l.* nem. 208. 32. quum, *l.* quam. 210. 26. dele prius *que*. 212. 18. quanquam, *l.* quaquam. verſ. ult. *tham*, l. *than*. 214. 28. adde comma ante *ut*. 238. *l.* 17. punctum ante *aliquot* muta in comma. 240. dele comma ante *imo*, linea 2. & ante *à me*, linea 11. linea 18. adde *omnes* ante *eas*.

Siqua alia ſuperſunt errata, quæ correctoris, aut authoris oculos ſubterfugerunt, vel in diſtinctionibus, vel in ipſis literis, eas quivis lector facile per ſe corriget.

APODIXIS

APODIXIS APOLOGETICA

PRO AVTHENTIA S. TEXTVS HEBRAICI,

CONTRA

IOHANNEM MORINVM ET LVDOVICVM CAPELLVM.

CAPVT PRIMVM.

Textui Hebraico Græca Verſio, quam ἑβδομήκοντα vocant, præfertur à Morino; æquatur à Capello, uti & aliæ Verſiones antiquæ quæcunque: quain re uterque opinionem tuetur ſuæ communionis hominibus penitus improbatam.

IN Veritatem Hebraicam, poſt complures alios, qui elapſis temporibus eam allatrarunt, duo inſurrexerunt nuper hoſtes infenſiſſimi, Iohannes Morinus, & Ludòvicus Capellus; qui omnes ipſorum in impio hoc conatu præcurſores longe ſupergreſſi, nihil intentatum reliquerunt, quo eam convellerent, omni-que authentia, & certitudinis ac integritatis laude, ipſam expoliarent: Morinus qui-

dem, præferendo ipſi tranſlationem Græcam illam in medio verſantem, quæ vulgo ſub nomine Verſionis Septuaginta Interpretum nota eſt, ad quam, veluti canonicam & authenticam, Textus Hebraicus ubique revocari & examinari, atque emendari debeat; Capellus autem, & illam Verſionem, & Antiquas alias quaſcunque, Textui Hebraico ſic æquiparando, ut ubicunque earum cuivis cum verbis huius diſconvenit, omnes illæ diſcrepantiæ pro totidem Variis ipſorum Codicum Hebraicorum Lectionibus habendæ ſint, nullâ prorſus hiſce ſuper illas prærogativâ relictâ: ita ut omnis controverſia ex ſolâ ſenſus commoditate ſit decidenda, ea-que lectio vincere debeat, atque alteri præferri, quæ vel Interpreti vel Expoſitori aptior & cohærentior videatur, ſive illa in Codicibus Hebraicis, ſive in Verſionum Veterum quacunque occurrat. cui ſuæ opinioni pro auctario adjecit Capellus, ut multos etiam Sacri Textus locos, ubi nullus talis occurrit diſſenſus, & ubi Veteres Interpretes unanimiter ei aſtipulantur, ex conjectura de mendo ac corruptione arceſſi, atque ex ingenio corrigi, liberum eſſe velit. Neque his contenti Morinus & Capellus, Pentateucho quoque Samaritano, illi à Pſeudo-meſſia Doſitheo innumeris in locis datâ operâ adulterato, eundem haberi honorem volunt, ac illi, qui inde ab ultimis temporibus per Iudæorum Chriſtianorumque manus ad nos pervenit, & ex quo tum reliquæ Tranſlationes Veteres omnes, tum ipſa Græca, cui tantum tribuere uterque ipſorum videri voluit, adornata fuit. Et Morinus Pentateucho noſtro Hebraico non adæquat tantummodo Samariticum, ſed & præponit haud obſcure; ac quoties aliqua notabilis differentia inter iſtos duos codices intercedit, in huius potius quam illius partes apertè inclinat.

Suas autem illas in Hebraicam Veritatem molitiones evulgavit Morinus tribus potiſſimum Scriptis; Præfatione in Editionem Græcam Sixtinam, hic Pariſiis anno 1628. recuſam: Exercitationibus Ψευδονύμοις Eccleſiaſticis ab ipſo dictis, in utrumque Samaritanorum Pentateuchum, excuſis Lutetiæ anno 1631. & Exercitationibus Biblicis, quas veriori nomine Anti-biblicas appellaſſet, ibidem anno 1633. impreſſis. Capellus verò profanum iſtum ſuum conatum mundo obtruſit Opere illo, cui Criticæ Sacrę nomen fecit, anno 1650. hic in lucem emiſſo: cuius præcipua capita ſtatim à me fuerunt diſcuſſa, prolixâ Epiſtolâ ad Reverendiſſimum Iacobum Vſſerium, Archi-epiſcopum Armachanum, conſcriptâ, & in hac urbe paucis poſt Criticam menſibus publicatâ.

Istisque addi debet rabiosa & plane canina, penitusque scurrilis, Morini Apologia, sub nomine Diatribes Elencticæ Parisiis anno 1639. in publicum emissa, tum in varia Eruditissimi Muisij contra illum Scripta, tum in libellum illum, qui maioris Voluminis, contra Samariticas eius seu Pseudo-ecclesiasticas Exercitationes olim à me elaborati, portio & appendix, Lugduni Batavorum anno 1636. sub titulo hoc, *Examen præfationis Morini in Biblia Græca*, in lucem prodiit: item-que similis farinæ Apologia Capelli, quam ineunte anno 1651. contra dictam meam Epistolam Salmurij excudi fecit; ac cuius nervos omnes Stricturis, intra ipsum biduum, ex quo eam conspexeram, exaratis, atque evestigio evulgatis, succidi. Quicquid in istis Scriptis criminationum ac calumniarum contra Codices Hebraicos in medium attulerunt Morinus & Capellus, id omne, cum bono Deo, præsenti scripto accurate examinabitur & discutietur; ut sic dispulsis eorum sycophantiis, & putidis ac male-sanis objectionibus, Originario Dei Verbo sua constet Majestas ac Autoritas: quam duo isti homines, proprij ingenij propriæque eruditionis opinione supra omnem modum turgidi, pravæque ambitionis stimulis, ac anxia inanis gloriæ captatione transversi acti, omnibus modis oppugnare, & summo conatu atque omni virium suarum molimine labefactare penitus atque evertere annisi sunt.

Mirari autem statim initio licet effrænem istorum oppugnandæ Hebraicæ Veritatis Duum-virûm arrogantiam atque audaciam, qui veriti non fuerint in re tanti momenti tueri opiniones adeo non approbatas ullo publico scito aut decreto earum Ecclesiarum, in quarum communione ipsi vivunt, ut certissimum sit eas plane contrarium sentire; & hactenus ne unum quidem extitisse, qui super hac re idem sentiret, ac publice defenderet, cum Capello inter Reformatos, aut cum Morino inter Pontificios. Fuerunt quidem inter Protestantes nonnulli (uti & in Epistolæ ad D. Armachanum paragrapho decimo monui) qui hic illic aliquem in Veteri quapiam Translatione locum lectioni Codicum Hebraicorum fortassis ante-ferendum esse suspicarentur. Hoc tamen ipsum sicuti perraro, idque timide duntaxat ac dubitanter significarunt, ita non obstitit, quo minus illi universim idem sentirent cum reliquis Reformatis, Codices Hebraicos pro norma ac regula habentibus omnium omnino Translationum, Veterum æque ac Recentiorum, quæ ad illos tanquam ad lapidem lydium examinari, & ex iis, ubicunque in diversum abeunt, emendari ac castigari de-

berent. Hanc fuiſſe ſemper, inde ab initio, omnium Proteſtantium mentem, res eſt ſole clarior, pro qua tot illuſtres Sacræ Scripturæ Tranſlationes, ab exordio Reformationis factæ, tum Latinæ, tum Vernaculæ; tot ſummorum Virorum in eam Commentarij; tot aliæ egregiæ lucubrationes, ad Verbi Diuini Textuſque Originarij expoſitionem ac enodationem facientes, teſtimonium ampliſſimum perhibent: ut ſuperfluum ſit, in ea probanda laborare velle, præſertim cum fatentem habeamus adverſarium. Namque libri ſexti Pſeudo-criticæ capite decimo de Novitiis Verſionibus loquens Capellus in univerſum omnibus, ſic infit: Quæ „hodie habentur ab annis centum Recentes, ſive Latinæ ſive Ver„naculæ, Verſiones, eæ omnes factæ ſunt ex ſolo hodierno Tex„tu Hebræo, à quo vel latum pilum diſcedere, ſibi nefas eſſe pu„taverunt Recentiores Interpretes. & in ipſo ſtatim Criticæ ingreſſu, lib. 1. cap. 1. §. 5. *Primi quique ac Veteres Proteſtantes dixerunt omnia examinari & emendari debere ad Hebræum Textum, quem puriſſimum fontem appellant.* quanquam hic quidem id ipſorum decretum immani audacia in ſenſum torquet ipſorum ſententiæ ex diametro contrarium: quade re Epiſtolæ meæ Anti-criticæ paragrapho 41. dictum fuit. Tametſi verò res & per ſe eſt teſtatiſſima, & quam-ne ipſe quidem Capellus aperte diffiteri auſit: iuvat tamen huc aſcribere verba ſuper hoc negotio Clariſſimi Amamæ, qui ſicuti in eo verſatiſſimus fuit, ita Varias in Sacro Textu Lectiones, quæ revera tales ſunt, aperte & abſque ambagibus agnoſcit, longumque de iis tractatum conſcripſit; vt propterea non poſſit eum contrudere Capellus in numerum illorum Proteſtantium, *qui cauti nimium ac meticuloſi, & Textui hodierno nimis ſerviliter addicti, ſcribas omnes Iudaicos* διορθώτας *& ἀναμαρτήτους fuiſſe, & omnes omnino codices hebraicos ad minimos uſque apiculos Moſis & Prophetarum autographa exprimere exiſtimant:* qualibus dicteriis & nugamentis propugnatores Hebraicæ Veritatis exagitare ſolenne eſt Capello. Is itaque Amama laudatiſſimi Operis Anti-barbarorum Biblicorum libro primo, capite tertio, pagina mihi 55. quum propriam ſuper hac re ſententiam ſic expoſuiſſet: *Concludimus —— ad eum [Textum Hebraicum] examinandas eſſe omnes, quà VETERES, quà Recentes, NVLLA EXCEPTA, VERSIONES —— Verbo, eum etiamnum eſſe normam, regulam, & canonem omnium Verſionum:* ac capitis quarti initio notiſſimum illum ex Decreto Gratiani locum, *Veterum librorum fidem de Hebræis voluminibus examinandam eſſe*, adduxiſſet,

cum hac illatione, *Vnde iam & illud liquet, quid de Verſionum autoritate iudicandum ſit*; ſic porro explicat, quid univerſo Proteſtantium agmini de hoc negotio videatur: *Pulchram hic conteſſerationem cum Patribus, melioriſque notæ ſcholaſticis, & inter ſe, Euangelicæ Eccleſiæ tenent, dum docent, Nullam Verſionem recipiendam eſſe pro Verbo Dei, niſi quatenus cum authentico exemplari convenit: ſolum Originalem Textum eſſe infallibilis veritatis.* tunc apponit verba Clariſſimi Iunij, *Omnes Verſiones eſſe rivos ——— autoritate cum authentica forma non comparandos*: ac concludit, *Vt proinde nulla Verſio, qualiſcunque ea ſit, textui Hebraico æquari, nedum præferri poſſit. Ita Proteſtantes de omnibus Verſionibus, Veteribus & Recentibus, ad unum ſentiunt omnes.* Et poſtea rurſus, pag. 203. in , Paræneſi de excitandis SS. Linguarum ſtudiis, ita ſcribit: Tex-„tum Hebræum in Vetere, Græcum in N. Teſtamento, eſſe au-„thenticas fidei Chriſtianæ tabulas, apud noſtros in confeſſo eſt. „Hoc fuit Reformationis fundamentum. Pro hac theſi primi Pro-„teſtantium Theologi tantis animis decertarunt. Et illud con-„ſtat, utrique tantum iſti Textui competere magnificum & au-„guſtum illum authentici & infallibilis Verbi Divini, ſeu authen-„tici inſtrumenti Fœderis, titulum. Nulli enim Verſioni iſta „competunt, niſi cum hac reſtrictione, Quatenus cum authenti-„cis tabulis convenit.

Morinum verò quod attinet; ſi is attentaſſet Vulgatam Latinam codicibus Hebraicis præferre, & ubicunque hiſce cum illa diſconuenit, illam contra hos ſequendam pertendere; tueri ſe poſſet exemplo complurium Romano catholicorum, qui iſtam viam inſtiterunt, præſertim poſt Concilium Tridentinum, ac poſt latum ibi decretum de Vulgata Editione pro Canonica & Authentica habenda: cuius decreti hanc vim eſſe, ut ubicunque aliquod inter Textum Hebræum & Vulgatam Latinam diſſidium intercedit, hac ſtandum ſit, non illo, & ille ex iſta corrigendus, non contra, iſti homines aſſeruerunt. Quanquam non defuerunt in eadem communione permulti, ſummæ eruditionis viri, etiam temporibus Concilium Tridentinum inſecutis, qui venerationem erga codices Hebraicos integram ſeruarent, Editionemque Vulgatam iis faſces ſubmittere vellent, neque amplius quicquam decreto iſto in eam collatum acriter contenderent, quam ut cæteris Tranſlationibus Latinis, non autem ipſi Textui hebraico, anteponeretur: cuius rei totam hiſtoriam Amama memorato primo Anti-barbarorum libro luculenter executus eſt. Aſt ut Editio Græca pro

canonica & authentica habeatur, ac libris hebraicis præponatur, qui ad eam in omnibus locis diſcrepantibus examinari ac corrigi debeant; hoc plane eſt inauditum inter Pontificios, neque cuiquam ipſorum ante Morinum id unquam in mentem venit: & Sixtus Papa, in Bulla, quam ſuæ τῶν lxx. Editioni præmiſit, non aliud dicit, quàm *Velle ſe & ſancire, ut Vetus Græcum Teſtamentum iuxta Septuaginta, ita recognitum & expolitum* [ut factum in iſta editione, quam ſupra dixerat ad fidem emendatiſſimorum codicum adornatam] *ab omnibus recipiatur & retineatur, quo potiſſimum ad Latina Vulgatæ Editionis, & ſanctorum Patrum intelligentiam utantur: ac prohibere ſe ne quis de hac nova Editione Græca audeat in poſterum, vel addendo vel demendo, quicquam immutare.* Aſt de iſta Editione codicibus Hebraicis præferenda, vel æquanda ſaltem, aut de habenda ipſa pro authentica & canonica, ne γρῦ quidem in iſto decreto Sixtus, ulluſ-ve ante aut poſt ipſum Papa Romanus, vel ullum Concilium, aut ullus omnino Romanæ Eccleſiæ Doctor vel Scriptor. Et quum exorti quidam eſſent præterito ſæculo, Morini præcurſores, *qui Editionem Græcam tam eſſe ſacroſanctam volebant, ut PROPEMODVM Hebraicæ Veritati eam anteferre auderent*, uti teſtatur in epiſtola dedicatoria commentariorum ſuorum in Ioſuam Andræas Maſius: adeo id deteſtatus eſt magnus ille vir, Morino haud paulo doctior, & Eccleſiæ Romanæ membrum addictiſſimum, ut non contentus *homines abſurdiſſimos* appellare iſtius opinionis defenſores: præterea diceret, *id pene incredibile & portento ſimile videri debere.*

Neque modò factum non fuit unquam antehac inter Pontificios, publice privatim-ve, ut Codicibus hebraicis anteferretur Trãſlatio Græca, ac pro canonica & authentica haberetur in ipſorum detrimentum, ſed ne fieri quidem potuit, niſi ut ſimul nuntius remitteretur Tranſlationi Latinæ Vulgatæ, cui canonicam autoritatem contulit præcedenti ſæculo Concilium Tridentinum, ac quãiam per mille antea annos ſolam uſurpaverat Eccleſia Latina; in tantum ipſi poſthabitâ Verſione Græca, vt antiquas Tranſlationes Veteris Teſtamenti Latinas ex Græco factas, tum reliquas omnes, tum Italicam quoque dictam, illam cæteris cunctis præſtantiorem, ne dignas quidem exiſtimaverit, quæ conſervarentur ſaltem, ſed penitus eas interire paſſa ſit; adeo ut iam per aliquot ſæcula ne unicum quidem ullius ipſarum exemplar uſpiam terrarum reperiatur; excepto duntaxat Pſalmorum libro, qui ſolus in Vulgata ex Veteri Tranſlatione, de Græco facta, retentus fuit.

Quandoquidem enim Editio Græca & Vulgata Latina innumeris in locis quam grauiſſime & δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſſident; quiſquis alterutram ipſarum pro genuina ac proba fidelique originarij Textus tranſlatione agnoſcit, alteram pro vitioſiſſima ac ſumme deprauata condemnet neceſſe eſt. & ſicuti ob hanc cauſam non poteſt Tranſlationi Græcæ iſta integræ & authenticæ exactitudinis ac authoritatis laus arrogari, niſi per manifeſtam Vulgatæ Latinæ depreciationem ac exautorationem, quando de duabus iſtis Editionibus inter ſe duntaxat collatis ſermo eſt: ita eadem propemodum in Vulgatam contumelia recidit, ſi quis de hacce tacens, Codicibus Hebraicis Verſionem Græcam, ita uti à Morino factum eſt, anteponat, ac per horum latus ipſa penitus ſauciatur & confoditur. Quippe in longe maxima parte iſtorum locorum, ubi Editioni Græcæ cum codicibus Hebraicis diſconvenit, perfecte cum hiſce concordat Vulgata Latina, atque illos adamuſſim in hac expreſſos videre eſt: ut proinde in omnibus illis locis, qui ſane ſunt multo numeroſiſſimi, quicquid in Codices Hebraicos pro Græcis dicitur, idem in Latinam Vulgatam quoque eâdem operâ dictum cenſendum ſit; & quantum illi infra iſtos deprimuntur, tantum hanc quoque depreſſam intelligere debeamus. Hoc autem quam ſit ex mente Eccleſiæ Romanæ, & quam conſentaneum, tum praxi ipſius tot ſeculorum, tum expreſſis ſcitis, in Concilio Tridentino ſancitis, vt Græca Verſio ſupra Codices Hebraicos, ac proinde etiam ſupra Vulgatam Latinam, (amiciſſime illis in pleriſque omnibus, ubi Græci in diverſum abeunt, concordantem, ac cui ipſa canonicæ autoritatis prærogatiuam ſolenniter contulit) abſolute ac uniuerſim extollatur, cuivis dijudicatu facillimum eſt, ut plura in eam rem verba facere velle, otioſum ſit ac penitus ſupervacaneum.

Nam quòd Morinus, dum in eo omnes intendit nervos, ut Editioni Græcæ abſolutam ac irrefragabilem ſupra contra-que Codices Hebraicos authoritatem conciliet, videri vult Latinam quoque (in cuius damnum ac deſtructionem iſte conatus tam aperte ac inevitabiliter tendit) pro canonica & authentica agnoſcere; id verè pleniſſimum eſt extremæ ac deploratæ dementiæ, & quam niſi ab ipſo Morino, aut aliquo ipſi per omnia ſimillimo, ſi quis talis uſpiam terrarum reperiri poteſt, nemo expectauerit. Neceſſe enim eſt, ut aut ipſe ſit omnium Mortalium longe ſtultiſſimus, ſi hoc credidit, & iſta duo poſſe ſimul conſiſtere putauit; aut pro ſtultiſſimis habuerit omnes ipſius ſcripta lecturos, ſi iſtud, quum

ipſe non crederet, iis à ſe perſuaderi poſſe arbitratus eſt: quorum duorum quin poſterius potius verum ſit, nemo poterit dubitare, qui hominem recte noverit, & ſcripta eius non penitus perfunctorie evolverit. Impoſtura igitur eſt mera, quidquid de Latinæ Vulgatæ canonica authoritate & authentia uſpiam garrit Morinus, in id duntaxat excogitata, vt iſto velut fumo ob ſimpliciorum vel incautorum minuſ-ue attentorum Lectorum oculos conjecto, fucum illis faceret; illiuſque præſidio, velut ſæpia atramenti ſui, aliquatenus latitans, occultaret quodammodo atrocitatem illius iniuriæ, quam Vulgatæ Latinæ faciebat; ut quum reipſa omnem reverentiam erga ipſam exuiſſet, atque ſic hac in parte tum praxin Eccleſiæ Romanæ, tum ſolennia eius decreta ſub pedibus proculcaret, verbis tamen eius curſim inſpectis, iſtam Editionem, eiuſque autoritatem, ſartam tectam conſervatam velle cenſeri poſſet. Nihil hic fruſtra iniuſte-ue à me dici, aut ad invidiam ipſi inter ſuos faciendam ſupra verum aggravari, facillimum monſtratu eſt. Quippe ſi duas illas Editiones, Vulgatam Græcam, & Vulgatam Latinam, ex æquo canonicas & authenticas prædicaſſet Morinus, feciſſet quidem rem ſtultiſſimam, ac nullo ingenio perpetrabilem; quum duæ cuiuſcunque libri Verſiones, tam immaniter invicem diſſidentes, non poſſint ullo pacto eſſe ſimul accuratæ & probæ: ſed queri tunc nemo poſſet, quod in hanc potius quam in illam iniquum ſe exhibuiſſet & iniurium; quanquam ſic quoque haud levem cenſuram mereretur iſta protervia, proprio arbitrio ac privata autoritate exæquandi inter ſeſe duas Editiones, quarum pro altera, ac conſequenter contra alteram, aperte pronuntiavit Eccleſia illa, cuius membrum cupit haberi. Aſt nunc omnem inter eas æqualitatem ſuſtulit, ac Latinam Editionem Græcæ pedibus prorſus ſubjecit, dum hanc ubique effert ſupra codices Hebraicos, quibuſcum Latinæ ubique fere, ubi inter illos & Græcam aliqua diſſenſio intercedit, tam amice convenit, uti antea quoque diximus: quæ Latinæ Editionis cum Hebraicis codicibus contra Græcam concordia, ſicuti per ſe teſtatiſſima eſt, ac cuivis, qui tres illas Editiones inter ſe conferre valuerit, ſponte obvia; ita diſertis verbis eam fatetur ipſe Morinus, Diatribes pag. 21. ſic inquiens: *Paſſim, ubi differt 70. Interpretum editio ab Hebræo textu, eodem modo differt à Vulgata.*

Et vt magis adhuc diluceſcat, quam futilis ſit ac ludibrioſa iſta authentia, atque ut ſic dicam canonicitas, quam Vulgatæ Latinæ tribuit Morinus: conſideretur, eum ſtatuere atque aperte propugnare,

gnate, quod Editio Latina facta sit ex codicibus Hebraicis fœdissime depravatis, & qui innumeris in locis immensum quantum à primæva sinceritate desciverant. Quippe exercitationis Antibiblicæ octavæ capite quinto asserit, ac variis argumentis probare satagit, *Sept. Interpretes ex purissimis Hebræorum fontibus translationem suam condidisse atque expressisse.* & Exercit. 9. capite primo repetit, *Iudæorum illos Sapientes translationem textui Hebræo penitus conformem edidisse;* excipiendo duntaxat ab illa *omnimoda conformitate* ea, *quæ Interpretes illi ut Prophetæ, & divinitus inspirati, aut resecuerunt, vel obscurius enuntiarunt, ne gentibus idololatriæ suspicionem inculterent; aut manifestius declararunt, vel etiam addiderunt, ut mysteriis religionis christianæ gentes initiari iam inciperent.* Extra paucula illa, vult in reliquis omnibus editionem Græcam codicibus Hebraicis, tunc temporis purissimis, unice conformem fuisse: quæ *conformitas* cum *adusque tempora Christi inviolata* permansisset; postea innumeris in locis textum hebraicum fuisse depravatum, id-que brevi illo temporis spatio, quod inter Christum & Origenem intercessit; ita ut innumeræ differentiæ inter textum Hebraicum Origenianum, eundemque Hieronymianum, seu qualis tempore Origenis & Hieronymi circumferebatur, & primævum illum ac purissimum, è quo translationem suam adornarunt Septuaginta, deprehensæ fuerint: sicuti ista dicto capite primo Exercitationis nonæ exequitur Morinus. Istis consonant, quæ scribit Exercit. 7. cap. 3. *Si Sept. Interpretibus aliquid defuisset, codicibus Hebraïs aliter vertendis non defuissent Apostoli, aut ipsorum iussu Apostolici viri. Quum autem id præstitum non fuerit, omnibus numeris absolutam fuisse Versionem illam, necessario colligendum est:* atque assertionem illam vocat *verum & immotum principium.* Similiter Præfationis in Biblia Græca paragrapho quarto, sub obtentu Patrum sibi suffragantium, inculcat, *Septuaginta Interpretum Versionem sanctam, propheticam, canonicam, divinam, atque omni ex parte διόρθωτον esse; nihil in ea abundare, nihil deficere, nihil additum, nihil expunctum, aut ab Hebræo textu diversum, quod prophetico Spiritus Sancti impulsu dictatum non fuerit.* Constat igitur Morinum velle, immensi istius dissidij, quod inter codicem Hebræum Hieronymi, atque illum Sept. Interpretum intercesserit, culpam omnem in Hieronymiano, ex quo Vulgata facta, hæsisse; qui in omnibus, ubi aliqua inter eos differentia, degeneraverit ab altero illo per omnia purissimo: & proinde Græcam quidem Versionem esse revera atque apprime authenticam, utpote

ex ſinceriſſimis autographis accuratiſſime & divinitus factam; Latinæ autem verbis quidem eandem dignitatem ab ipſo communicari, re verò ipſa penitus detrahi, quippe quam factam velit ex exemplari innumeris ac graviſſimis corruptelis laboranti. Et ſane expreſsiſsimis verbis affirmat, *Hieronymum fideliter quidem vertiſſe codices Hebræos, quos præ manibus habebat, atque à Iudæis acceperat* [Exerc. Bibl. 6 cap. 10. §. 8. & cap. 13. §. 1.] ſed *codices illos à codicibus τῶν* 70. *degeneraſſe*, & quidem ita, ut multas iſtarum mutationum *ab ingenti textus depravatione vindicare non ſit facile*, ſed neceſſario ſtatuenda ſit in codicibus illis Hebræis, ac ſecutâ eos Vulgatâ, *manifeſta textus depravatio* [dicto loco, Exerc. 6. cap. 13 §. 1.] cuius farinæ multa etiam capite eiuſdem Exerc. decimo exhibet. Per quæ tandem egregiam ſcilicet illam authentiam, Vulgatæ à ſe tributam, eo reducit, ut dicat *ſufficere, quòd nihil contra fidem bonoſque mores in ea contineatur* [Exerc. 6. cap. 12. §. 10.] & *quod fideliter repræſentet textum primigenium, è quo converſa eſt* [Exerc. 6. cap. 13. §. 4.] quantuncunque ille ab originaria integritate & ſinceritate deſciverit. Vt multo conſultius fuerit, magiſque ex dignitate Vulgatæ, verbum de eius authentia nullum feciſſe, quàm eiuſmodi caſſam ac deridiculam authentiam ipſi aſcribere.

Iam omnium æquorum & ſapientum virorum iudicium eſto, quid ſentiendum ſit de immani duorum iſtorum hominum audacia & αὐθαδείᾳ, qui tantam ac tanti momenti novitatem, penitus ante ipſos inauditam in iſtis Eccleſiis, quarum ſe membra profitentur, introducere auſi fuerint proprio marte, atque ex propria ipſorum autoritate, nulla ad id delegatione muniti, nullo publico vel univerſæ Eccleſiæ ſuæ, vel particularis ſaltem alicuius ſynodi vel cœtus ſcito inſtigati, aut invitati; eamque non timide ac problematice propoſuerint, ſed veluti de ſuperiore loco edixerint, & tanquam autoritate irrefragabili prædíti, ſuperciliosiſſime omnibus vel invitis obtruſerint; ac ſtupendâ & procaciſſimâ inſolentiâ cæcos, ſtultos, inſanos, deſipientes, impios pronunciare non erubeſcant, quotquot diverſum ab iis hac in re ſentire, & Veritatem Hebraicam contra ipſorum ſycophantias tueri ſuſtinuerint.

CAPVT II.

Capelli tergiverſatio, negantis omnes Veterum Interpretum à codicibus Hebraicis diſcrepantias à ſe haberi pro totidem variis lectionibus textus Hebraici, coarguitur.

PRiuſquam me accingam ad examinandam ac confutandam iſtam controverſiam, quam Textui Hebraico intentant Morinus & Capellus, de ipſo quæſtionis ſtatu prius dicendum eſt, iſ-que in aprico collocandus. Quippe iſtud hominum αὐθαδέστατον par cum ſumma iſta audacia & arrogantia, de qua modò locuti ſumus, parilem inverecundiam habent coniunctam, oriſ-que ſunt adeo duri, ut ſicuti in aliis rebus quibuſcunque nihil penſi habent quidvis vel affirmare vel negare, pro ſola animi ſui libidine, ut-ut cum manifeſtiſſima Veritate pugnans; ita flagitioſam iſtam innovationem, quam adeo aperte introduxerunt, ſibi tamen objici non patiantur; ac proculcato omni pudore non modò eam mihi negent, ſed ultro me in falſi crimen vocent, qui eam ipſis attribuam: quum omnia eorum ſcripta undique clament id quod de iis dico, & in ipſis apologiis ſuis nefariam illam ſuam opinionem verbis quidem aliquatenus negent, ad declinandam tam atrocis noxæ invidiam, reipſa autem retineant, ac mordicus ei inhæreant. De Capello quidem, quo iure conqueratur, quod ipſi invito affinxerim, omnes Veterum Interpretum à Codicibus noſtris Hebraicis diſcrepantias ab eo haberi pro totidem variationibus ipſius Textus Hebraici, dixi Appendicis ad Epiſtolam Anticriticam pag. 101. & 102. quod ſatis eſſe poſſit. libet tamen eandem rem paulo prolixius hic excutere, ut tanto teſtatius omnibus fiat, quam nullo iure iſte homo hîc de me conqueſtus, ac quam manifeſte & abſurde circa propriam ſententiam tergiverſatus ſit. Apologię pag. 13. ſic ſcribit. *Bootius rem abſurdiſſimam mihi imponit, nimirum, Omnes Veterum Interpretum ab Hebraicis codicibus hodiernis diſcrepantias me velle haberi pro totidem variationibus ipſius Textus Hebraici.* & pag. 14. *ſententiam à mente mea alieniſſimam, mihi vel invito, adverſus apertiſſima mea verba, tribuit atque affingit.* & paucis

interjectis: *Sic planum fit, quam falsus sit Bootius, quum sic de me* §. 4. *scribit: Has Capellus omnes tum Graeca Versionis, tum aliarum Veterum Translationum variationes prototidem Textus Hebraici variis lectionibus habendas pertendit. ——— Hoc falso praestructo fundamento, nihil potuit deinceps verum & solidum Bootius superstruere.* , ac pag. 33. Bootius hic crassissime pro more suo hallucinatur, dum „ mihi tribuit, quod Veterum Interpretum translationes cum co- „ dicibus Hebraicis ita confundam, ut pro confesso sumam, Trans- „ lationum istarum à textu nostro Hebraico discrepantias esse to- „ tidem ipsorum exemplarium Hebraicorum inter se variationes. rursusque pag. 54. ait me paragrapho epistolae meae 33. (ubi dico Capellum Versiones caeterorum quocunq; praeter Septuaginta, Veterum Interpretum, pro totidem veluti exemplaribus hebraicis habere, omnesque earum à codicibus nostris hebraicis discrepantias pro totidem ipsius textus Hebraici variis lectionibus haberi velle) *falsam ipsi imponere sententiam, & à mente ipsius penitus aberrare.* adde pag. 42. *Non mea de variis lectionibus sententia, sed stultissimum Bootij commentum, quod mihi falso & imperitissime obiit, cit, omnem superat absurditatem.* & pag. 43. Hic rursus reponit „ mihi Bootius solennem suam hallucinationem, de omnibus „ Translationum discrepantiis, quas falso mihi imputat à me ha- , beri pro totidem textus Hebraici variis lectionibus. iterumque pag. 81. *Toto hoc paragrapho nihil aliud praestat aut facit Bootius, nisi quod eandem suam hallucinationem & cantilenam, supra iam toties à me notatam & confutatam, de omnibus Veterum Interpretum à codice Hebraico hodierno dissensionibus habendis pro totidem variis Hebraici textus lectionibus, hic repetit & inculcat ad nauseam usque. ideo-que nihil aliud habeo illi respondendum, nisi quae supra à me de illa crassissima Bootij hallucinatione dicta sunt sepius.* Iam si quaeras, quid id sit, cuius ratione tam criminose me tractet Capellus, & tam acerbe de me queratur, atque in me invehatur: dicentem eum audies, illud ideo à se fieri, quia ego velim omnes Veterum Interpretum à Textu Hebraico discrepantias ab ipso pro variis ipsius Textus lectionibus haberi; quum ipse ab hoc numero segreget eas, quae ab Interpretum errore & hallucinatione ortum habuerunt, iis tantum admissis, ubi aliter in codicibus suis hebraicis legerunt Interpretes, quam nos hodie legimus in nostris. Nam- , que Apol. pag. 13. ait, Planum est ex tota mea critica, me varia- „ tiones & discrepantias illas duntaxat vocare varias lectiones, quę „ nituntur diversa vocum Hebraicarum ab hodierna lectione ——

„non item illas, quarum nulla reddi potest ratio, subnixa diver-
„sitate lectionis & scripturæ. has enim refero non ad variantium
„codicum diversitatem in scriptura, sed ad Interpretum ipsorum
, hallucinationem. sic pag. 18. *Quanquam & hic ab eo* [*Morino*] *dissentio, quod ille omnes discrepantias vult à varia lectione; quum ego agnoscam & profitear (quod maligne hic tacet Bootius) easdem, quamplurimas esse ab interpretum hallucinatione.* & pag. 53. *Istud non dixi, nec dico, de omnibus in universum discrepantiis V. Interpretum à textu hodierno (siquidem statim ab initio præfationis Criticæ distinxi discrepantias, quæ sunt ab Interpretum hallucinatione & ignorantia, vel infirmitate, ab illis quæ sunt à varia lectione) sed de illis duntaxat, quæ fundantur in varia lectione.* ——— *vel sponte hic ergo & ex malitia cæcutit Bootius, vel turpissime & crassissime hallucinatur, dum mihi imputat tanquam simpliciter & absolute dictum id, quod non nisi quodam respectu à me dictum est, cum tam aperte distinxerim duo illa genera discrepantiarum.* itemque pag. 59. *Quæ in re iam hactenus ostendi Bootium crassissime cæcutire, quum aperte distinxerim Interpretum hallucinationes & aberrationes à variis lectionibus codicis sui hebræi* ——— *non pro variis lectionibus obtrudo Interpretum*, *hallucinationes.* ——— ac pag. 54 Quum in Critica nõ semel agnõ-
„scam, 70. Int. non raro in interpretando hallucinatos esse ex ni-
„mia præcipitatione, imperitia etiam & ignorantia ——— non
„dixi omnes discrepantias translationis eorum habendas esse pro
„totidem textus Hebraici varietatibus, sed eas duntaxat, quæ
, subnixæ & fundatæ sunt in varia lectione. Sane discrepan-
tiæ Veterum Interpretum à Textu Hebræo, tum aliorum, tum præcipue τῶν Sept. ab ipsorum errore, hallucinatione, imperitia, & potuerunt esse, & revera fuerunt, quam numerosissimæ ac gravissimæ; ideo-que si omnes illas à Capello in censum variarum ipsius Textus Hebraici lectionum receptas dixi, contra ipsius mentem, eas diserte inde submoventis ac segregantis; fatendum omnino est, iniuriam insignitam ipsi à me factam, ac summa ratione me *iniustitiæ, malignitatis, falsitatis, absurditatis, stuporis, cæcitatis, & crassissimæ ac turpissimæ hallucinationis* ab eo, uti factum, postulari. Ast si exceptio illa, sub cuius obtentu adeo imporenter in me debacchatur Capellus, introspicialur penitus, atque ad vivum resecetur, in ipsius caput omnia illa recident, apparebitque illam esse inanissimam ac summe vecordem, adeoque nihil vel stultius vel impudentius dici potuisse. Quippe sese explicans Capellus, omnes illas Veterum Interpretum à textu hebraico dissonantias, quæ

ab ipsorum errore & hallucinatione profectæ fuerunt, ad eos tantum astringit locos, ubi Interpretes illi omnia eadem in codicibus suis hebraici legerunt, ac nos legimus in nostris, sed vim vocum ac phrasium hebraicarum, & genuinam earum significationem parum assecuti, aliter eas quam debebant reddiderunt, atque in sensum alienum interpretati sunt. neque in Critica modò id ait, sicuti productis inde locis in Epistolæ Anti-criticæ, § 7. commonstraui, sed & in hac ipsa Apologia. namque post locum illum paulo ante allatum ex pag 13. ac post verba ibi postrema, *sed ad ipsorum Interpretum hallucinationem*, hæc immediate subiungit Capellus initio paginæ 14. *Qui etsi forte eodem modo legerint, quo in hodierno codice, tamen quia vocum, phraseon, & sententiarum, sensum & significationis non satis intellexerunt, ab hebraico fonte aberrarunt, longeque abeo abierunt.* rursusque eadem pag. 14. §. 5. Bootius mihi quasi magnum crimen imputat, quod velim Interpretes S. „Scripturæ æque attendere ad Veteres Translationes, ac ad textum hebræum ——— non id dico, nisi quando Veteres Interpretes constat securos fuisse alia ab hodierna lectione. Quum enim eodem modo, quo nos hodie, legunt, sed hallucinantur & aberrant à vero vocum & phraseon hebraicarum sensu & mente ——— dico eas esse ex textu hebraico corrigendas. & pag. 34. *Translatio reiicienda est procul dubio iis in locis, in quibus vel 70. vel quilibet alius Interpres idem quidem legit, quod nos in hodierno codice legimus, sed vocum & phraseon hebraicarum significationem, vel Sacri Scriptoris mentem & sensum non cepit, sed per hallucinationem & ignorantiam ab illis aberravit: at non iis in locis, in quibus varietas interpretationis fundata est in varia ab hodierno codice lectione.* „iterumque pag. 52. Fallitur Bootius, & pro more suo turpissime „hallucinatur, quum ait, Omnes meas varias lectiones hac niti „hypothesi, quod 70. Int. textum hebraicum, qualem reperierunt in suo codice, exacte expresserunt. ubi Bootio addendum „fuit, ubique; quod nisi addat, nihil agit. Non enim dico, aut „sentio, 70. Int. ubique exacte exprimere hebræas voces, quæ „in ipsorum fuerunt codice: quandoquidem ipse in Critica mo„nui, quamplurimas esse discrepantias, quæ sunt ab hallucina„tione ipsorum Interpretum, qui vocum hebraicarum significa„tionem vel non ceperunt, vel non satis ad eas attenderunt. Istis ex Apologia locis, atque illis in Epistola productis ex Pseudo-critica, addantur adhuc sequentes, indidem deprompti. libri primi cap. 1. §. 5. dictum Protestantium, de omnibus ad Hebraicum tex-

„tum examinandis, in suam sententiam deforquent, ait: Hoc „unum voluerunt, quum omnia ad Hebræum fontem emendari „debere contendunt —— ubi constat Interpretes eodem mo„do olim in fonte legisse (quo nos hodie legimus, aut quum sal„tem non constat eos aliter legisse) eorum interpretationes sunt „ad hodiernum codicem examinandæ eorumque hallucinatio„nes ex hodierno codice emendandæ. & lib. 6. cap. 5. § 3. *Quum hodie inter christianos de Scriptura eiusque mente disceptatur, non est statim vel Græca τῶν 70. Versio, vel Latina Hieronymi, vel quælibet alia eiusmodi Vetus Translatio si nobis obiicitur, eo solo nomine reiicienda, quia cum hodierno codice hebræo non consentit, sed dispiciendum prius est, unde sit illa diversitas, num à varia lectione, an verò ab Interpretis hallucinatione, qui eadem quidem legit quæ hodie leguntur, sed in illis reddendis falsus est atque deceptus.* itemque Defensio„nis pag. 598. Si voces non sunt ambiguæ, sed certa est earum „tum lectio tum significatio, Interpres autem lapsus atque hallu„cinatus est in vera significatione percipienda, tum sane ad lin„guam hebræam est recurrendum, ut ex ea verum loci sensum pe„tamus ——— Neque alia est S. Hieronymi mens, cum nos ad „hebræa & hebræos relegat. nempe id facit, cum Interpres à ve„ra Hebræorum vocabulorum vel phraseon significatione aber„rat, non verò cum lis est de genuina lectione. & pag. 581. An „nescit Censor, non omnes Interpretum à Textu Hebræo discre„pantias esse à varia lectione, & codicum Hebræorum pugna & „dissensione? imo pleraque esse ab ipsorum Interpretum hallu„cinatione, qui etsi eodem modo legant, diverse tamen admo„dum eundem Scripturæ locum interpretantur ——— De hoc „duplici discrepantiarum genere statim in Criticæ initio monui, „idque diligenter inculcaui. Apparet igitur Capellum, omnes Veterum Interpretum à textu Hebræo discrepantias revocare ad hæc duo capita, quod illi vel aliter legerunt in codicibus suis hebraicis, quam nos legimus in nostris, vel quod legerunt quidem omnia eadem, sed ob non intellectam vocum ac phraseon vim, prave ea interpretati sunt: ac proinde exceptionem illam, de erroribus & hallucinationibus Interpretum, cuius prætextu ita furiose in me grassatur, ait-que perperam me ipsi affingere, quod omnes Interpretum à textu Hebraico discrepantias pro totidem ipsius textus variationibus habeat; extrema dementia ac fatuitate laborare. planissimum enim est, discrepantias, de quibus ego loquor, ad ipsa verba pertinere: illas autem alteras, quas maligne

& turpiter à me dissimulari toties causatur, non verba ipsa, sed eorum significatum & intellectum spectare. quum autem omnis inter me ac ipsum quæstio sit de variis hebraici textus lectionibus, ac de talibus Veterum Interpretum ab eo discrepantiis, unde aliquæ istarum Variarum lectionum oriri vel effingi possint: quis in hoc sermone locus est illis discrepantiis, quæ verba originaria omnia eadem retinentes, circa eorum duntaxat significationem & interpretationem versantur? aut quomodo Capellus, si omnes istorum Interpretum à textu hebraico discrepantias, ab ipsorum hallucinatione ortas, astringit, uti facit planissime, ad vocum duntaxat & phrasium virtutem sequius ab iis intellectam & expressam; potest propterea negare, non omnes Interpretum à Textu hebræo discrepantias à se pro ipsius textus variationibus haberi, meque eo nomine in falsi crimen vocare? An ullus mortalium, nisi qui certissime desiperet, ac sensu quoque communi careret, unquam sibi imaginatus est, aut vel imaginari potuit, Interpretem aliquem aliter legisse in ullis authoris locis, quem convertendum suscepit, quàm in vulgatis codicibus legitur; quando ipsi constat, aut ab ipso saltem supponitur, & pro indubitato assumitur, Interpretem iis ipsis in locis, de quibus quæstio est, omnia eadem legisse in codice originario, ac codices vulgati præ se ferunt? & tamen præclara istu exceptio Capelliana falsitatis me & calumniæ arcessit, quod non habito respectu illorum locorum, ubi Veteres Interpretes vim & significationem dictionum ac phrasium hebraicarum parum recte assecuti sunt & expresserunt, dixi eum omnes Veterum Interpretum à textu Hebræo differentias referre in album variationum textus hebræi; quum ipsomet iudice nullæ aliæ præter illas Interpretum discrepantiæ supersint, nisi ubi aliter illi legerint in codicibus suis hebræis, quam nos legimus in nostris: quas discrepantias debere haberi pro variis Hebraici Textus lectionibus, non modò fatetur Capellus, sed enixissime contendit, & mille ac mille locis ad rabiem usque inclamat, atque ad nauseam inculcat. Profecto quotiescunque lucidum intervallum vel brevissimum Capello continget, atque ex vecordi illo disputandi æstu, qui omnem ipsi animum ex pectore penitus excussit, vel minimo momento ad sanam mentem redibit; facere non poterit, quin insipidam ac insulsam istam cavillationculam immensæ stultitiæ ipsemet condemnet. quod ne quis frustra à me dici existimet, considerentur quæso ea, quæ in ipso exæstuantis ac furentis contra me bilis paroxysmo scribit pag. 34. in hæc verba: An putat Botius me

„ usque

„ uſque adeo cęcutire & ſtupere, hoc eſt ſui ſimilem eſſe, ut dicam „ iis in locis, in quibus Interpretes eodem modo, quo nos hodie, „ legerunt, ſed in interpretatione ſua hallucinati ſunt, atque ita „ diverſi abierunt à textu hebraico, ibi nos habere totidem tex„ tus hebraici diverſos codices, in lectione diſcrepantes? Hoc „ certe eſſet furere, non ſimpliciter inſanire, ſi ſic loquerer, vel „ ſentirem. uix puto etiam Botium, etſi minus ſanum, ita de me „ male ſentire, ut exiſtimet me ſic deſipere. Quando igitur quæſtio eſt de diſcrepantiis Interpretum à textu originario, in quibus variæ ipſius textus lectiones fundari quocunque colore poſſunt; *cæcutit, ſtupet, deſipit, inſanit, furit*, ipſo hic pronuntiante Capello, quiſcunque in iſtum cenſum admittendas cenſuerit iſtas diſcrepantias, in quibus conſtat, aut ſupponitur, Interpretes ita quidem legiſſe, quomodo vulgo legitur, ſed circa intelligendas voces phraſeſque hallucinatos eſſe, eaſ que infœliciter reddidiſſe. & tamen nihil puduit Capellum, occaſione ab iſtiuſmodi hallucinationibus, ac diſcrepantiis inde manantibus, deſumpta, mihi toties ac tam atrociter vitio vertere, quòd dicam eum omnes Veterum Interpretum à textu hebræo diſcrepantias pro totidem ipſius textus variis lectionibus in medium afferre. Et hæc iſtius exceptionis atque cavillationis vecordia tanto eſt teſtatior atque manifeſtior, quia præterquam quod res ipſa per ſe clamat, & univerſum meum ſcriptum à capite ad calcem apertiſſime præ ſe fert, mihi non eſſe cum Capello controverſiam de ullis aliis Interpretum diſcrepantiis, quam quæ circa ipſas Textus dictiones verſantur; alteraſque illas diſcrepantias, in hallucinatoria vocabulorum acceptione & interpretatione conſiſtentes, ad propoſitum meum penitus nihil pertinere: compluribus in locis, ubi de Interpretum diſſenſu à textu Hebræo loquor, expreſſe declaro, me de diſſenſu à verbis ipſis, non à verborum ſignificatu, agere. Namque ſtatim initio paragraphi quarti, ubi iſtam materiam primò ingredior, diſcrepantias Veterum Tranſlationum à Textu Hebræo, tum aliarum, tum Vulgatæ Græcæ, quas ajo Capellum contendere pro totidem ipſius Textus Hebraici variis Lectionibus habendas, illas nomino, *ubi Tranſlationes illæ voculas quaſdam ac voces, interdum ſingulas, interdum plures, aut plus habeant, aut minus, aut alio modo, quam hebraicus textus nobis illas exhibet*: ajoque Capellum ſtatuere, *quod omnes loci textus hebraici, in quibus aliquis Veterum Interpretum ita tranſtulit, ut tranſlatio eius cum VERBIS, quæ codices hebraici nobis exhibent, ſtare non poſſit, pro-*

ambiguis & varia lectione laborantibus haberi debeant. ſic in fine §. „18. Iam videamus —— an totam iſtam rem tam clare expedi„verit Capellus —— ut neceſſario cum ipſo ſentiendum ſit, ac „omnes iſtorum Interpretum à VERBIS codicum hebræorum „diſcrepantiæ, pro totidem ipſius Textus Hebraici variis lectio„nibus ducendæ. & in fine §. 21. *Qui omnes græca Verſionis à codicum Hebræorum VERBIS diſcrepantias pro textus Hebraici, variis lectionibus habendas contendit.* ac §. 22. Quod de Ver„ſione Græca diximus, idem quoque proportione verum eſt de „Chaldaica, necnon de Latina: ut qui omnes earum à VERBIS „librorum Hebraicorum diverſitates pro totidem Textus He„braici Variis lectionibus, iuxta ſcitum Capelli, habere voluerit —— & §. 32. *Iam omnis æqui ac cordati hominis iudicium eſto, an tranſlatio talium Interpretum idonea ſit, cuius ratio æque magna habeatur, ac ipſorum codicum hebraicorum, ita ut omnes eius ab iſtius VERBIS diſcrepantiæ pro totidem ipſius textus Hebraici varietatibus habendæ ſint.* item §. 50. Omnes Veterum Tranſlationum à „VERBIS Hebraicorum codicum diſcrepantias pro totidem „ipſius Textus Hebraici varietatibus nobis obtrudere aggreſſus „eſt —— rurſuſque paragr. 64. *Vt omnes Veterum Tranſlationum à VERBIS codicum noſtrorum hebraicorum diſcrepantias pro totidem ipſius textus hebraici variationibus habeamus; id quod tam audacter pertendit Capellus.* Quum igitur toties ac tam clare teſtatus ſim, Veterum Interpretum à textu Hebraico diſcrepantias, de quibus mihi cum Capello lis eſt, illas duntaxat me intelligere, quę ad ipſa verba, non ad eorum ſignificationem ac παρερμηνείας pertinerent; immanis ſtultitiæ eſt, Interpretum hallucinationes, in prave intelligenda, reddenda-que vocum phraſium-que virtute, mihi iterum iterumque oggerere, atque eo prætextu me calumniæ reum agere, ac ſi perperam & falſo attribuiſſem Capello, quod omnes Veterum Interpretum à Textu Hebraico diſſenſiones pro totidem ipſius Variis lectionibus habeat. Sicuti autem de ſumma exceptionis illius cavillatoriæ futilitate ac fatuitate abunde liquet ex iis, quæ hactenus de ea dixi: ita profecto fatendum eſt, illam inſuper inſigniter impudentem eſſe, ac Capellum in ea fabricanda, mihi-que obiicienda, omni in totum pudori valedixiſſe. Illam enim Capelli confeſſionem de Veterum Interpretum hallucinationibus, circa pravam vocum phraſiumque acceptionem & converſionem, adeo non diſſimulavi, qualiſqualis eſt; ut non contentus eius in tranſcurſu meminiſſe, quum alibi plus ſemel, tum

§. 50. in hęc verba: *Nunquam efficiet Capellus, ut Veterum Interpretum à codicibus Hebraicis diſſenſiones pro totidem Hebraici Textus variis lectionibus habendæ ſint, niſi demonſtret Interpretes, etiamſi à verborum & phraſium ſignificatu ſæpiſſime aberrarunt, ab ipſis tamen Textus verbis nuſquam aberraſſe:* præterea alicubi ex profeſſo de ea egerim, totumque §. 7. ipſi proprium dicaverim.

CAPVT III.

Altera Capelli tergiverſatio, aſſerentis, ſe non æquiparare Veteres Interpretes Textui Hebraico, excutitur.

QVam turpi tergiverſatione Capellus neget, omnes Veterum Interpretum à Textu Hebraico diſcrepantias haberi à ſeſe pro totidem ipſius Variis Lectionibus, præcedenti capite abunde monſtratum eſt. Nunc examinanda venit altera eiuſdem tergiverſatio, haud minus abſurda & inverecunda, qua negare ſuſtinet, Veteres Tranſlationes codicibus Hebraicis à ſeſe æquiparari, in iſto Variarum Lectionum negotiõ, de quo mihi cum ipſo lis eſt. Namque ad illa mea verba ex §. 32. *Omnis æqui ac cordati hominis iudicium eſto, an talium Interpretum Tranſlatio idonea ſit, cuius ratio æque magna habeatur, ac ipſorum codicum hebræorum, ita ut omnes eius ab iſtius verbis diſcrepantiæ pro totidem ipſius textus Hebraici varietatibus habendæ ſint:* quum reſpondiſſet primo loco (Apol. pag. 54.) *Se non dixiſſe omnes diſcrepantias Tranſlationis eorum habendas eſſe pro totidem textus Hebraici varietatibus, ſed eas duntaxat quæ fundatæ ſunt in varia lectione:* ſubiungit, *Neque dixi etiam, æque magnam eius rationem eſſe habendam, atque ipſorum codicum Hebraicorum, nequidem omnibus in locis, in quibus eorum diſcrepantia fundatur in varia lectione, nedum in aliis, niſi forte ubi ſenſus, qui exurgit ex lectione τῶν 70. verior, commodior, & convenientior ſit eo, qui oritur ex hodierna lectione:* cuius reſponſionis immanis fatuitas, æque magna ac illa de diſcrepantiis Tranſlationum ab hallucinatione Interpretum ortis, præcedenti capite examinata (quamiſti reſponſo, & verbis hic allatis, ſemel iterumque

immiſcet Capellus) non poteſt ullis ſatis verbis pro merito exagitari. Quid enim fœdius aut dementius cogitari poteſt, quam inter diſputandum quum unus de hac illa re loquitur, alterum de alia longe diverſiſſima reſpondere? Aſt turpe iſtud erratum hic committit Capellus; ſive de induſtria, ut ſic fumos & præſtigias incauti lectoris oculis obiiciendo, aliquà elaberetur; ſive pro conſueta animi ſui vertigine, non intelligens ipſe quid diceret, aut dicendum haberet. Quippe ego loquor de ipſa Variarum Lectionum collectione, in qua dico Capellum velle æque magnam rationem haberi Veterum Tranſlationum, ac ipſorum codicum Hebraicorum: Capellus autem reſpondet de dijudicatione inter Varias lectiones ita collectas; & ex utra lectione potius, illa-ne codicum Hebraicorum, an illa Veterum Tranſlationum, commodior ſenſus ut plurimum exurgere ſoleat. Quaſi verò id nunc quæreretur, ac quaſi non eſſet manifeſtiſſimum cui-vis non ſponte cæcutienti, me verbis illis modò allatis, atque ab ipſo Capello, ubi ſtultam illam reſponſionem iis opponit, recitatis, de haud alia re loqui, quam *de diſcrepantiis Græcæ Verſionis habendis pro ipſius textus hebraici Varietatibus*, non autem de eo, utrius lectionis in dijudicando ſenſu potior ratio haberi debeat. Tantum autem abeſt, ut iſto loco, aut ullo alio iſtius mei contra Capellum ſcripti, ipſum culpaverim de illa re, de qua hic ſe purgat, ut alicubi plane contrarium de eo faſſus ſim, ac apertis verbis teſtatus, §. octavo, *Eum fateri lectionem codicis hebraici illis in locis, ubi Veteres Interpretes ab eo diſſident, ut plurimum meliorem eſſe, ac illis præferendam, utpote quæ ſenſum aptiorem gignat.* Quæſtio enim inter me ac Capellum, toto illo ſcripto agitata, non hæc eſt, utrum lectio codicum Hebraicorum, an illa Veterum Interpretum, ubi ab iis diſcrepant, ſenſum commodiorem frequentius gignat, ſed an omnino iſtarum diſcrepantiarum ulla ratio habenda ſit, atque in cenſum Variarum Textus Hebraici lectionum illæ admittendæ; quod cum pertinaciſſime totâ Pſeudo-criticâ contendat Capellus, ego acriter ipſi id pernego, atque iſti quæſtioni totũ meum ſcriptũ anti-criticum dicavi; nequaquam autem alteri illi, cuius obtentu tam abſurde atque inſulſe hic ſe tueri nititur Capellus, ac cui ne locus quidem ullus eſſe poteſt ſtante mea cæterorumque Hebraicæ Veritatis propugnatorum ſententia. Quid enim ad nos attinet, quam commodus aut incommodus emergat ſenſus ex ullo illorum locorum, ubi Veterum Interpretum quivis ab Hebraico textu diſcordat; quum ſimpliciter omnes illæ diſcrepantiæ à nobis habean-

tur pro totidem aberrationibus & corruptelis, non autem, ut à Capello, pro Variis lectionibus. Et tamen adeo ἐμβρόν τινος hîc fuit iſte homo, ac vertigine adeo mirabili laborat, ut iam non de Veteribus Tranſlationibus, ſed de ipſis codicibus Hebraicis, è quibus illæ fuerunt adornatæ, (de quibus ipſe fateor, cum reſtrictione duntaxat illa § 14. memorata, diſcrepantes ipſorum à codicibus noſtris lectiones pro variis Hebraici textus lectionibus habendas) mihi neget, illos codici hodierno à ſe æquiparari; idque ob bellam illam rationem, tam ampliter hactenus confutatam, quod illi non gignant ubique ſenſum commodiorem: & quidem cum acerba in me livoris & cæcitatis exprobratione, quum ipſe ita miſerabiliter in iſta re, uti in aliis paſſim omnibus, cæcutiat. ſic, enim infit apol. pag. 34. Non dixi, contra quàm mihi imputat „Bootius, Codices Hebraicos, quibus uſi ſunt Veteres Inter„pretes, æque magni faciendos eſſe, ac illos qui ad nos pervene„runt, niſi ubi conſtat de varia lectione, in qua fundata eſt eorum „tranſlatio, & quidem quum eorum lectio tam commodum, aut „commodiorem etiam, fundit ſenſum. *& paucis interiectis*, Illa „lectio melior habenda eſt, quæ ſenſum gignit commodiorem —— „Si hodierna lectio talem fundit, eatenus codex ille melior eſt il„lo, quo uſi ſunt Interpretes. ſi contra, lectio, quam illi ſecuti „ſunt, convenientiorem gignit ſenſum, eatenus etiam, & hac in „parte, codex eorum melior cenſendus eſt hodierno. nec aliud „totâ meâ Criticâ volui (uti id facile eſt cuilibet ingenuo, ſince„ro, & cordato lectori deprehendere, non qualis eſt Bootius ex „odio & livore cæcutiens) non verò ubique & in univerſum co„dices Interpretum eſſe hodierno ſimpliciter & abſolute vel præ„ferendos vel æquiparandos, id quod eſt à mente mea longe alie„niſſimum. & ſimilis farinæ ſunt, eademque dementia laborant, etiam iſta ex pag. 35. *Quando Bootius de aliis Interpretibus libens concedit, eorum codices Hebræos deberi in eodem haberi pretio, ac codices noſtros, ubi nimirum eorum lectio tam commodum gignit ſenſum quam hodierna* (non mea ſunt verba ultimo iſto commate comprehenſa: μὴ μοι γένοιτο ὅτι φθονεῖν, ſed gloſſa Capelli) *idipſum pariter concedere debet de codice τῶν 70. ubi oſtendi poteſt eos diverſam ab hodierna ſecutos eſſe lectionem, quæ ſenſum gignit tam commodum quam hodierna.* Et ne neceſſe ſit amplius exagitare vecordiam iſtius exceptionis, dijudicationem inter Varias lectiones cum ipſa Variarum lectionum collectione confundentis, cuius prætextu negat Capellus Veteres Tranſlationes, ac codices Hebraicos ex

quibus illæ factæ, à ſe æquari codicibus Hebraicis hodiernis: en ipsâ illâ pag. 35. atque in medio duorum iſtorum locorum noviſſime allegatorum, negationem iſtius æquiparationis fundat non iam in minore ſenſus commoditate, ſed in Interpretum hallucinatione (additis etiam librariorum erratis) re profecto diverſiſſima, quanquam haud minus delira, atque à propoſito æque aliena, uti præcedente capite planum fecimus. Verba eius hæc ſunt: *Vbi diſcrepantia eſt ab Interpretum hallucinatione, aut Scribarum temeritate & inſcitia, non dixi Interpretes hodierno codici vel præferendos, vel æquiparandos.* eodemque argumento, hallucinationis Interpretum, etiam pag. 14. cavillatur Veteres Tranſlationes codicibus Hebraicis à ſeſe non æquari. quippe ad iſta verba mea ex epigraphe paragraphi quinti, *Capellus vult Interpretes Sacræ Scripturæ æque attendere ad Veteres Tranſlationes, ac ad textum Hebraicum, nullâ huic ſuper illas prærogativâ relictâ, niſi quam commodior ſenſus, dederit:* reſpondet, Illud, *æque*, à Bootio contra mentem meam „additum eſt Non enim id dico, niſi quando conſtat Veteres In„terpretes aliam ſecutos eſſe ab hodierna lectionem Quum enim „eodem modo, quo nos hodie, legunt, ſed hallucinantur & ab„errant à vera vocum & phraſium hebraicarum ſenſu & mente, „tantum abeſt ut dicam, *æque illis attendendum eſſe, ac ad textum* „*Hebraicum*, ut contra dicam eas eſſe ex textu Hebraico corri„gendas. Stat igitur immotum, quod Capello objeci, Veteres Tranſlationes textui Hebraico ab ipſo æquiparari: quum illa duo, quorum prætextu id mihi negare ſuſtinet, hallucinatio Interpretum (ita quidem intellecta, quomodo ipſe eam intelligit, & intelligi cupit, non circa verba ipſa, ſed circa verborum ſenſum) & commodior ſæpe in textu Hebraico ſenſus, nihil derogent objectioni meæ, ſed omnem ei vim ſuam integram relinquant, eo quidem ſenſu, quo à me in medium adducitur; qui nihil obſcuritatis habens, nullo ad ſui intellectum commentario opus habet. Namque & per ſe planiſſimum eſt, quænam ſit illa Veterum Trãſlationum cum textu Hebraico æquiparatio, quam Capello vitio do; & verbis minime ambiguis eam explico, tum *ῥήσει* illa ex §. 32. initio huius capitis recitata, tum in ipſa illa §. quinti epigraphe modò allata, uti & in ipſo iſtius paragraphi corpore, ubi ſic lo„quor: Hinc eſt quod velit eos, qui Vetus Teſtamentum ver„tunt, vel explicant, non ad Hebræum duntaxat textum atten„dere, ſed & ad Veteres Interpretes omnes; & ubicunque hi ab „illo diſſentiunt, hos ſequi potius quam illum, ſi ſenſum videan-

„ tur ſuppeditare meliorem. Nam quod in aliis Variis Lectioni-
„ bus facere ſolemus, ut illam eligamus ac alteri præferamus, quæ
„ ſenſum gignit commodiorem, idem hic quoque obtinere vult:
„ nullam aliam textui Hebraico ſuper Veteres Interpretes, ubi-
„ cunque aliquis eorum, quiſquis tandem ſit, ab eo diſſentit, re-
„ linquens prærogativam, niſi quatenus ſenſum aptiorem fundit:
„ ſicuti contra ſi Tranſlatio Vetus quæcunque, in quocunque loco
„ ab Hebraici Textus lectione diſcordat, ſenſum videatur exhi-
„ bere commodiorem, Tranſlationem Textui Hebræo abſque
„ hæſitatione præferendam decernit. Quominus is, qui ita de Textu Hebraico & Veteribus Tranſlationibus ſentit, ac Capellum ſentire hic dico, veriſſime dici poſſit has illi abſolute æquare, omnibus illis locis, de quibus quæſtio eſt; ubicunque nimirum quæcunque illarum Tranſlationum aliquid vel plus habet, quam Textus Hebræus, vel minus, vel omnia alia; cauſæ nihil dici poteſt. Quin autem Capellus ita ſentiat de Tranſlationibus illis, deque omnibus earum à verbis Textus Hebraici diſcrepantiis, ac hic dicitur; negari ſine extrema impudentia haud poteſt. Id enim apertiſſime docent loci illi dicto §. 5. ex eo à me allegati; quibus alij conſimiles quamplurimi addi potuiſſent, quum univerſa Pſeudo-critica, eiuſque Appendix & defenſio, à capite ad calcem eiuſmodi dictis undique ſcateat. Et ne ea inde repetere ſit neceſſe; in hac ipſa Apologia eandem illam rem iterum iterumque inculcat; ut ecce pag. 15. *Quum diſcrepantia Veterum Tranſlationũ ab hodierno textu Hebræo nititur diverſa ab hodierna lectione, tum certo dici non poteſt, utra lectio ſit verior & magis genuina, niſi quam commodior ſenſus demonſtraverit.* & pag. 17. Quum Interpretes „ diſſentiunt tum inter ſe, tum ab hodierno codice, planum eſt „ quoſdam ab autographo diſceſſiſſe. Vter autem ſit qui diſceſſit, „ hic an ille, non certius dignoſci poteſt, quam ex ſenſu, qui ex „ lectione oritur. itemque pag. 24. *Alter vitandus ſcopulus hic eſt,* „ *ne ſuperſtitioſe nimis hodierni codicis Iudaici lectioni adhæreamus---* „ *Si enim alio in codice alia occurrit lectio (maxime in eo, quo uſi ſunt* „ 70. *Int. & Hieronymus) quæ ſenſum gignat meliorem & commodio-* „ *rem, illa proculdubio præponenda eſt. ſi æque commodum & conve-* „ *nientem, neutra eſt reiicienda, utraque amplectenda venit.* & pag. „ 27. *Si variant codices, diſpiciendum utra lectio commodiorem fun-* „ *dat ſenſum.* rurſuſq; pag. 33. *In his locis dixi nos habere totidem Hebraici Textus codices diverſos, & à noſtro diſcrepantes: ſiquidem ex tranſlatione oſtendi poteſt, quomodo illi olim legerint in ſuo codice.* &

, pag. 34 Iis in locis, ubi varietas interpretationis fundata eſt in „ varia ab hodierno codice lectione, non eſt ideo reiicienda, ſed „ dijudicandum, utra ſit melior, hodierna, an Vetus illa quam „ Interpretes ſecuti ſunt. Illa nempe melior habenda eſt, quæ ſen- „ ſum fundit commodiorem —— Si hodierna lectio talem fun- „ dit, eatenus codex ille, melior eſt illo, quo uſi ſunt Interpretes. „ ſi contra lectio, quam illi ſecuti ſunt, convenientiorem gignit „ ſenſum, eatenus etiam codex eorum melior cenſendus eſt ho- , dierno. & pag. 35. *Vbi diſcrepantia Interpretum eſt à varia lectione, illic dixi diſpiciendum eſſe, utra lectio ſit melior: actum, ſi hodierna meliorem ſenſum gignit, eam eſſe præferendam; ſi ſecus, alteram eſſe , præponendam.* necnon pag. 54. Probavi —— iis in locis, „ in quibus ſenſus, qui ex lectione ℣ 70. exurgit, tam com- „ modus eſt, aut verò commodior, quam qui naſcitur ex hodier- „ na lectione, iſthic eandem eſſe habendam utriuſque codicis ra- , tionem. Ex iſtis abunde dilucet, an non veriſſime dixe- rim, Capellum nullam omnino codicibus noſtris Hebraicis ſupra Veteres Interpretes relinquere prærogativam, ubicumque aliquod in ipſis verbis diſcrimen, ſeu aliqua Varia Lectio, inter eos inter- cedit; ſed eandem Veterum Tranſlationum, ac ipſius Textus Hebraici, rationem ab eo haberi, eum-que illas huic planiſſime æquare. Imò non contentus æquare Veteres Tranſlationes Tex- tui Hebraico, illas huic alicubi haud obſcure præfert, idque in hoc ipſo ſcripto, in quo æquiparationem illam, ipſi à me obiectam, tam proterve ſimul ac inſulſe inficiatur. quippe pagina eius 38. ſcri- bit verba iſta, haud obſcure nec per ambages iſtam, quam dico, prærogativam Veteribus Tranſlationibus ſupra codices Hebrai- , cos conferentia: Neque modò ſi meliorem, verùm etiam ſi tam „ bonum & commodum ſenſum fundit lectio ℣ 70. quam ho- „ dierna, tam haberi debet illius ratio quam iſtius, quia illa anti- „ quior eſt iſta, atque in pari bonitate lectionis & ſenſus potior „ ratio habetur codicis antiquioris —— Authoritas codicis τῶν „ 70 aliqua eſt ſupra hodiernum, non modo iis in locis, ubi eius „ lectio ſenſum parit convenientiorem, ſed etiam ubi tam bonum „ & commodum fundit, & quidem propter illius antiquitatem. „ Idem dici poteſt & debet de omnibus codicibus Veterum Inter- , pretum. Quo in loco, vti & in aliis antea allatis, notandum eſt Capellum, dum de codicibus Veterum Interpretum duntaxat lo- qui videtur, de ipſis eorum Tranſlationibus revera loqui, atque de his intellectum velle, quid quid de illis profatur: de qua craſſiſ-

ſima

sima illius hallucinatione paragrapho 13. Epistolæ anti-criticæ ex professo actum fuit. Neque modo in aliis minoris momenti discrepantiis, singula vocabula, aut pauculas duntaxat voculas spectantibus, Translationes Veteres Textui hebraico adæquat in hoc Variarum Lectionum negotio, sed & in quibusvis aliis, utut magnis ac capitalibus. Quippe loco illo, Epistolæ meæ anti criticæ §. 23. allegato ex libri 4. capite 15. expressissime huc trahit omnia illa, ubi Sept. *periodos etiam integras, easque multas ac frequentes, quin & Capita integra, & Capitum partes longe maximas omiserunt penitus, & mirum in modum transposuerunt atque permiscuerunt.* Idemque facit etiam lib. 6. cap. 10. §. 8. hisce verbis: *Sunt & in illa Translatione* [*græca*] *periodorum, adeoque & interdum Capitum transpositiones, omissiones, additiones, de quibus Criticus cordatus, adhibito iudicio, & omnibus perpensis ——— deprehendere posset, utrum in hodierno textu Hebraico, an illa Translatione omissio, additio, transpositio facta sit.* Quin hic quoque (priore istorum duorum locorum) in immanibus illis discrepantiis, Græcæ Versionis non æque magnam tantum, sed & potiorem, quam Hebraici Textus, rationem haberi haud obscure postulat, uti hæc eius verba planum faciunt: *An ab incuria & ἀβλαβία potest esse additio & commutatio tot vocum, & periodorum, & hemistichiorum, quæ in hodierno textu Hebræo non comparent? ——— Si sensus ratio non obstat, dicerem potius illa ex incuria esse ab hodierni codicis descriptoribus olim omissa, quam fuisse audaci & sacrilega temeritate ab aliis conficta & insulta.*

CAPVT IV.

Capelli fraus insignis, in explicando quales Veterum Interpretum à Textu Hebraico discrepantias velit haberi pro ipsius Textus variis lectionibus, detegitur.

SIcuti illas Veterum Interpretum à Textu Hebraico discrepantias, per quas huius verbis cum verbis illarum nullo pacto convenit, temere atque ineptissime cum illis discrepantiis confundit Capellus, quæ non circa verba ipsa, sed circa verborum sensum

atque ſignificationem verſantur; ut occaſionem inde nanciſceretur fœdæ iſtius tergiverſationis, in præcedentibus examinatæ, atque mihi inficiandi, omnes Veterum Interpretum à Textu Hebraico Variationes ab ipſo haberi pro totidem ipſius Textus Hebraici Varietatibus: ita inſigni fraude ſententiam ſuam de altera iſtarum diſcrepantiarum, ipſa nimirum verba ſpectante (quam ſolam ipſi objeci, ac de qua ſola mihi cum ipſo lis eſt) ita diſſimulat paſſim in apologia, acſi pro Textus hebraici Varietatibus haberet non omnia iſtius generis, ſed illa duntaxat, ubi vocabulis textus hebraici cum vocabulis hebraicis Tranſlationi reſpondentibus magna intercedit affinitas, ſic ut omne inter ea diſcrimen conſiſtat in unius duntaxat alteriuſque literæ tranſpoſitione, aut earundem permutatione; neque literarum quaruncunque, ſed figurâ aut ſono vicinarum; vel etiam in ſciſſione unius vocis in duas, aut duarum in unam contractione, aliiſque eiuſmodi levioris momenti. Sic enim ſcribit Apologiæ pag. 13. Planum eſt ex tota „ mea Critica, me variationes & diſcrepantias illas duntaxat vo„ care Varias lectiones, quæ nituntur diverſa vocum hebraicarum „ lectione ab hodierna, cuius diſcrepantiæ ratio certa reddi poteſt, „ petita & ſubnixa lectionis diverſitate, ut ex. gr. quum Zach. „ 12. 10. quod hodie le gitur דקרו *transfixerunt*, 70. reddiderunt „ Κατωρχήσαντο, *inſultarunt*. legerunt nimirum רקדו, literis Reſch „ & Daleth permutatis, vel tranſpoſitis: cum lexcentis aliis hu„ iuſmodi, quas in Critica ex omnibus Veteribus Tranſlationi„ bus paſſim annotavi, & congeſſi in unum in ultimo Criticæ In„ dice. Has ſolas diſcrepantias me vocare Varias lectiones, pla„ num eſt ex Critica mea. & pag. 39. *Non pro variis lectionibus obtrudo Interpretum hallucinationes, ſed eorum variationes quæ nituntur manifeſta Textus Hebraici, ſeu vocum Hebraicarum in codice ipſorum, diverſitate ab hodierno, id quod oſtendo in omnibus Variis lectionibus quas in Critica affero. oſtendo enim ſemper quomodo illi legerint, & quidem diverſe ab hodierno codice, ut in exemplo ſupra allato è Zacharia ubi hodie legitur* דקרו. *Sept. verò legerunt* רקדו —— *atque ita de reliquis omnibus variis lectionibus, quas annoto.* ac pag. „ 42. Si Gen. 21. 13. Sept. אחר reddidiſſent ὀπίσω, quî potuiſ„ ſet librarius græcus id commutare in εἷς, quod reſpondet voci „ hebraicæ אחד. In his & aliis ſimilibus exemplis, in quibus ſo„ lis ſtatuo & oſtendo variam lectionem, facile eſt diſpicere, eam „ eſſe ab Interprete, non à librarij corruptela. iterumque pag. 52.

An dicet Bootius, 70. Int. uſque adeo fuiſſe imperitos, ut neſcierint quid ſignificet דקרו *Zach. 12. 10. eoſque exiſtimaſſe, vocem illam ſignificare* Κατωρχήσαντο. *inſanit ſi id dicat. eadem eſt ratio omnium aut plerarumque variarum lectionum, quas ex illorum Tranſlatione col-, legi, & in Critica produxi.* & pag. 101. Si quid volebat Bootius „efficere ex magni illius viri adverſus Elichmannum facto, de„bebat proferre loca, in quibus Elichmannus recte & apte con„iiceret, Interpretē Arabem ſic & ſic tranſtuliſſe arabice, quia ſic „& ſic legit in textu græco, diverſe quidem à textu hodierno, ſed „ita ut facile ab una lectione in aliam tranſitus fieri potuerit. nam „ni id fiat, fruſtra & falſo prætenditur varia lectio, ſeu codicum „diverſitas. Supra omnia autem huc faciunt ea quæ pag. 81. & 84. in iſtam rem ſcribit; ubi ad id, quod paragrapho Epiſtolæ meæ quinquageſimo-primo objeceram ipſi, *productionem verborum hebraicorum, reſpondentium verbis Veterum Tranſlationum, ubi à codicibus Hebraicis diſſident, eſſe unicum documentum, quo Capellus utatur ad introducendas & confirmandas fictitias ſuas varias lectiones:* reſpondet, *Bootius pro more ſuo graviter hallucinatur, quod non animadvertit me non intelligere* nudam, *ut ille loquitur, ſive quamlibet* [*productionem*] *verborum quomodocunque reſpondentium vocibus Tranſlationum, ſed eorum duntaxat verborum, quæ affinitatem & ſimilitudinem habent vel ſoni vel figuræ cum vocibus textus originalis & veræ lectionis, propter quam affinitatem & ſimilitudinem facile vox veræ lectionis in aliam ſibi affinem mutari & tranſire poteſt, vt quum* דקרו *mutatur in* דקרן *propter literarum Daleth & Reſch ſimilitudinem figuræ.* & aliquot interjectis, *Nam ſi producantur verba, quæ ſignificatione quidem reſpondeant vocibus Tranſlationis, verum quæ nullam habeant ſoni vel figuræ affinitatem cum vocibus hebraicis veræ lectionis & textus hebraici, non eſt hæc varia lectio, ſed potius corruptio veræ lectionis. non enim ſic facilis fit tranſitus inter legendum, vel, inter ſcribendum, ab una voce in aliam.* ac deinde, Quum ver„ba proferuntur Hebraica, verbis Græcis vel Latinis Tranſlatio„nis τῶν 70. vel Hieronymi, vel alterius cuiuſcunque Interpretis „ſignificatione reſpondentia, quæque ſunt ſono vel figura aliis „verbis hebraicis textus originalis hodierni admodum affinia, & „pæne ſimilia, uti à me fit totâ Criticâ, ajo ex hac affinitate & ſi„militudine certam fieri conjecturam, Interpretem aliter in co„dice ſuo legiſſe, quam hodie legitur in noſtro —— Hoc ſi ob„ſervetur (quod ego certe facio in Critica, in omnibus meis va„riis lectionibus, & obſervandum eſſe contendo ab illis, qui ex

„ Interpretum diſcrepantia colligere volunt varias lectiones) non „ ſequetur illud incommodum, quo Bootius ſententiam meam, „ male ab eo pro more ſuo, intellectam, gravare conatur. ——— „ Ad variam lectionem non dico ſufficere, nude proferre verba „ hebraica, quæ ſignificatione verbis græcis vel latinis quomodo- „ cunq; reſpondeant, verum exigo præterea, ut ſint affinia & valde „ ſimilia vocibus hebraicis textus originalis hodierni, ut planum „ fiat facilem fuiſſe tranſitum ab una in aliam. alioqui non eſt hæc „ certa de varia lectione conjectura, ſed mera & puraputa hario- „ latio, vel intoleranda & expuenda ἀνδεκτα.

Quam inſignis fraudum ac fallaciarum artifex ſit Capellus, & quam nullo veri honeſti-que reſpectu habito, audaciſſime quidvis confingere, ac chartis illinere, ſuſtineat, illuſtriſſimum hic, præter alia eiuſdemmodi alibi quamplurima, habemus documentum. Quis enim, cui non penitus ipſe notus, & qui vel minimam ulla in re fidem ipſi haberi poſſe exiſtimaret; iſtis lectis, quæ hic ex ipſo adduxi, non crederet, tantum ab eſſe ut omnes omnino Veterum Interpretum à verbis textus noſtri Hebraici diſcrepantias habeat pro totidem ipſius Textus variationibus, ut contra longe maximam iſtarum diſcrepantiarum partem inde excludat, neque alias ullas in hoc album admittat, quam quæ in vocibus admodum vicinis conſiſtunt; imo ut eo iudice illæ duntaxat Veterum Interpretum à Textu Hebræo diſceſſiones mereantur nomen Variarum ipſius Lectionum, ubi inter voces diſcordantium ab hebraico Tranſlationum, ac voces ipſius Textus Hebraici, ſumma intercedit affinitas, haud alio inter eas diſcrimine, niſi literarum ſono & figura ſimillimarum. Aſt quicunque hoc credet, rem credet longe falſiſſimam, & vel ſola Pſeudo-criticæ inſpectione, ut ut leui ac perfunctoria, immanis mendacij convincendam: quum illa undique verſum ſcateat innumeris exemplis, plane contrarium clamãtibus. Cedò enim, ſi integra aliqua vox in ulla Veterum Trãſlationum habetur, cuius nec vola nec veſtigium in Hebraico extat; aut contra ſi Textus Hebraicus exhibet aliquod vocabulum, quod Veteres Interpretes, aut eorum aliqui, omiſerunt: an ibi rite ac verè dicetur, iſtam diſcrepantiam eſſe de numero earum, ubi *ob ſoni aut figuræ affinitatem, facilis ſit tranſitus ab una voce in aliam?* & an ille, qui talem vel additionem vel omiſſionem, à quocunque Veterum Interpretum commiſſam, habet pro Varia Lectione ipſius Textus Hebraici; tolerari poteſt, ſi dicat, ſe hoc ubique facere ipſum, & ab aliis obſervandum contendere, ut ad

coniiciendum, quod aliter Interpretes olim in ſuo legerunt codice, quàm nos hodie legimus in noſtro, non producanturalia verba Hebraica, ipſorum verbis ſignificatione reſpondentia, quam *quæ ſono & figura verbis hebraicis textus originalis hodierni ſunt admodum affinia, & pene ſimilia?* Quod ſi hæc dicere, niſi invitiſſima Veritate, non poteſt is, qui iſta facit, in ſingulis vocibus: multo minus id poterit, ſi idem faciat, ubi plures ſimul voces ab Interpretibus Veteribus vel adduntur, vel omittuntur, vel in totum permutantur; & multo adhuc minus, ubi integra commata, imò integras periodos, integroſque verſiculos, atque adeo complures ſimul verſus, & narrationes bene longas, iſti Interpretes vel ſuper addunt Textui Hebraico, vel ab eo detruncant. aſt omnes illas ingentes Veterum Interpretum à Textu hebraico diſcrepantias (in quibus cauſationi illi de *vocibus vicinis, affinibus, ſimilibus, quarum ab una ad aliam proclivis admodum ac facilis ſit tranſitus,* nullus ne minimus quidem locus eſſe poteſt, uti cuivis per ſe liquet) pro totidem variis ipſius Textus Hebraici lectionibus habendas, fidenter admodum, & abſque ullis ambagibus, paſſim totâ Pſeudo-criticâ pronuntiat Capellus. Quia autem incredibile hoc iure omnibus videri queat, & quia id, quod de Capello hic dico, è diametro pugnat cum iis, quæ ipſum de ſe dicentẽ locis modò allegatis audivimus, ita ut altervtrũ noſtrûm fœde admodũ atque impudenter mentiri ſit neceſſe: productis ex ipſa Pſeudocritica locis tota hæc res plana eſt facienda; ut ſic lectori conſtet, uter noſtrum, ego-ne an Capellus, turpiſſimo iſto tam aperte ac impudenter mentiendi crimine ſe obſtrinxerit. Superfluus quidem in totum hic eſt labor pro iis, quibus ſacer ille liber, Pſeudo-critica inquam, ad manum eſt; quum vel nuda eius inſpectio ſufficiat ad id, quod ego hic affirmo, atque Capello obiicio, evincendum. Suſcipiendus tamen ille eſt in gratiam eorum, quibus flagitioſus ille liber, cuius venenum tam fraudulenter inſuccenturiato iſto ſcripto occultare ac diſſimulare ſatagit Capellus, nondum viſus aut lectus fuit: quum fieri poſſit, ut & Apologia Capelli, & hæ meæ Vindiciæ, in multorum manus incidant, qui Pſeudo-criticam nunquam adhuc viderunt. Agedum igitur oſtendamus, non illas tantummodo Veterum Interpretum à Textu Hebraico diſcrepantias à Capello pro totidem ipſius Textus Hebraici Variationibus ſeu Variis Lectionibus haberi, ubi voces locis Interpretum ab Hebraico diſcordantibus reſpondentes valde affines ac vicinæ ſunt vocibus ibidem in Textu noſtro hebraico

occurrentibus; quam esse mentem suam, subdole ac falso in Apologia præ se fert Capellus: sed illas quoque discrepantias omnes, ubi Interpretes Textui Hebraico super-addunt, vel ab eo resecant, integras voces, neque singulas duntaxat, sed & complures simul, integra-que commata, integras periodos, integros versiculos, atque adeo versiculos uno in loco complures, & bene longas orationis partes, integrasque interdum ac prolixas narrationes adeoque Capitum bene magnas partes, & tota quandoque Capita: nequid nunc dicam vel de intolerandis transpositionibus ac perturbationibus, vel de ingētibus illis ac frequentissimis permutationibus, qua pro verbis Textus Hebraici omnia alia in Translatione Græca substituuntur: quæ omnia huc similiter accersit, ac Variis Lectionibus adscribenda censet. Probationes autem hic adducendas in duo summa genera dispescam, atque in duas classes; quarum prima complectetur illos Pseudo-criticæ locos, ubi universim & generaliter de hac re loquitur Capellus; altera verò illos, ubi eandem minutatim ac sigillatim pertractat. De priori classe procedat primò in medium notabilis iste locus ex libri sexti capite quinto, paragrapho nono, etiam in Epistolæ meæ paragrapho quinto antehac à me allegatus, ita se habens: Ex his li-
„quet, quod si qua lectio discrepans ab hodierno textu Hebræo,
„etiam quoad consonas sive literas, adeoque & QVOAD VO-
„CES ET PERIODOS INTEGRAS, sensum parit ——
„commodiorem, illam magis esse genuinam, sinceram, atque
„germanam, ubicunque tandem illa inveniatur, sive apud Sept.
„sive apud Chaldæos paraphrastas, vel Aquilam, Symmachum,
„Theodotionem, vel S. Hieronymum Vulgatæ Versionis au-
„thorem, ac proinde magis esse sequendam & amplectendam
„hodiernâ masorethicâ. atque isti loco subiungantur, quæ in
„ipsa Præfatione consimiliter scribit, hisce verbis: Planum est
„non omnes Interpretes eodem prorsus modo ubique in Hebræo
„textu seu codice semper legisse. Duplicis autem generis est
„Varia illa Lectio; una est quæ spectat puncta vocalia, & accen-
„tus —— altera est quæ spectat literas sive consonas, adeo-
„que VOCES ET PERIODOS IPSAS INTEGRAS. ——
„—— Ad eam [Variam lectionem] quod attinet, quæ versatur
„circa literas, & voces, ac dictiones, seu periodos ipsas, rarò
„etiam ea occurrit in hodiernis SS. Bibliorum celebrioribus Edi-
„tionibus —— non est tamen prorsus nulla —— Verum
„Varia illa lectio longe est infrequentior eâ, quæ deprehendi po-

„ teſt è Veteribus Tranſlationibus (maximè verò ex Græca τῶν
„ 70.) inter ſe & cum textu Hebræo hodierno collatis. Iſtis duo-
bus locis addatur tertius, ſane palmarius, allegatus etiam in Epi-
ſtolæ meæ paragr. 23. ex Pſeudo-criticæ lib. 4. cap. 15. ubi cum
dixiſſet, *Planum eſſe ex præcedentibus obſervationibus, quam longe diſceſſerit codex Hebræus, quo uſi ſunt Sept. Interpretes, ab eo quo nos hodie utimur, quandoquidem tam varie legerunt, non modò quoad vocales & accentus, —— verum etiam quoad literas, & voces, & periodos integras:* omnibus viribus deinceps id agit, ut omnem iſtarum diſcrepantiarũ cauſam ab Interpretibus amolitus, in librarios conferat; ſive ut oſtendat, eas non profectas ab errore & hallucinatione Interpretum, ſed à variatione codicum hebraico-
„ rum; ac diſputationem iſtam tandem ita concludit: Vt dem eos
„ [Sept. Interpretes] literas figurâ vel ſono ſimiles ex incuria &
„ præcipitatione non rarò confudiſſe, alias prætermiſiſſe atque
„ tranſpoſuiſſe, voces ex ἁβλεψία coniunctas diſiunxiſſe, diſiun-
„ ctas coniunxiſſe, nonnullas etiam omiſiſſe: at qui potuit in iis
„ tanta eſſe præcipitatio & ἁβλεψία, ut PERIODOS ETIAM
„ INTEGRAS, EASQVE MVLTAS ET FREQVENTES,
„ QVIN ET CAPITA INTEGRA, ET CAPITVM PAR-
„ TES LONGE MAXIMAS OMISERINT PENITVS, &
„ mirum in modum tranſpoſuerint atque permiſcuerint? De-
„ nique an ab incuria & ἁβλεψία ac præcipitantia poteſt eſſe
„ ADDITIO ET COMMVTATIO TOT VOCVM, ET
„ PERIODORVM, ET HEMISTICHIORVM, quæ in ho-
„ dierno textu Hebræo non comparent? —— Itaque, ſi ſenſûs
„ ratio non obſtat, dicerem potius illa ex incuria eſſe ab hodierni
„ codicis deſcriptoribus olim omiſſa, quàm fuiſſe audaci & ſacri-
„ lega temeritate ab aliis conficta & inſulta. Neque omittendus
locus ſequens, depromtus ex libri ſexti capite decimo, paragra-
„ pho octavo: Sunt & in illa Tranſlatione [Græca τῶν Sept.] PE-
„ RIODORVM, ADEO-QVE ET INTERDVM CAPI-
„ TVM TRANSPOSITIONES, OMISSIONES, ADDI-
„ TIONES, de quibus criticus cordatus, adhibito iudicio, &
„ omnibus perpenſis, —— deprehendere poſſet, utrum in ho-
„ dierno Textu Hebraico, an in illa Tranſlatione, omiſſio, addi-
„ tio, tranſpoſitio facta ſit.

Iam veniamus ad illos locos, ubi ſigillatim in numerum Varia-
rum Hebraici Textus Lectionum recipit Capellus illas Veterum
Interpretum diſcrepantias, quæ voces integras, integra comma-

ta, integras periodos ſpectant. Capnt decimum libri quarti hanc gerit Epigraphen: *De variis lectionibus ortis ex unius vel plurium vocum additione*: & caput illud hiſce verbis auſpicatur: *Non modò litera aliqua vel additur, vel omittitur, vel tranſponitur, & permutatur, verum etiam vox integra, nec una modò, ſed etiam interdum plures, hoc eſt duæ, vel tres, quatuorve.* atque ut ſcias, de quali additionum genere agat iſto capite, initio paragra-, phi ſecundi ita ait: Voces non rarò ab Interpretibus adduntur „ ad explicandam phraſin hebraicam ——— Ego hic non intelli-„ go eiuſmodi additionem, ſed eam tantum, quæ eſt præter men-„ tem & ſenſum hodiernæ lectionis, quam habemus à Maſore-„ this, quæque referri debet ad codicis, quo uſi ſunt 70. Interpre-, tes, lectionem diverſam ab hodierna. & poſt allata benemulta additionis exempla, tum ſingularum vocum, tum etiam complurium, in fine paragraphi quinti ita perorat: *Quamplurima congeri poſſent ſimilia exempla additionis aliquot vocum in tranſlatione τῶν Sept. quæ non extant in hodierno hebræo textu, videntur tamen omnino extitiſſe in exemplari, ex quo tranſlationem ſuam inſtituerunt.* Capitis ſequentis, quod eſt undecimum, hic eſt titulus: *De variis lectionibus ortis ex unius vel variarum vocum omiſſione*: & permulta eiuſmodi omiſſionum, à Sept. commiſſarum, iſto capite ſpecimina adducit. Eiuſdem autem libri quarti Caput 14. ſic inſcribit: *De variis lectionibus ortis ex hemiſtichiorum, aut verò etiam integrarum periodorum, ſeu verſiculorum, additione, omiſſione, metatheſi, & per-, mutatione*; id-que Caput ſic orditur: Variæ lectiones verſantur „ non modò circa literas & voces, ſed & circa integras periodos, „ atque hemiſtichia, idque ex eorum vel additione, vel omiſſione, „ vel metatheſi, & permutatione: cuiuſmodi variarum lectionum „ exempla ſunt varia & multiplicia. nos pauca duntaxat profere-„ mus; ac primum quoad hemiſtichia, atque eorum additionem. „ non rarò ergo adduntur apud 70. hemiſtichia, quæ hodie in tex-, tu Hebræo non extant. paragraphi autem ſecundi hoc eſt initium: *Vt hemiſtichia non pauca adduntur à 70. Interpretibus, ſic alia multa omittuntur ab ipſis, quæ hodie extant in Hebræo*: ut tertij iſtud: *Pluribus ſuperſedebo exemplis. venio ad periodorum & integrorum verſiculorũ additionẽ & omiſſionẽ. & additionis quidem pauca hæc ſunto exẽpla, quibus infinita alia addi poſſent.* iſto-que paragrapho exhibet quinque exempla, ubi unus verſiculus integer Textui hebræo ſuperadditur à Sept. (addens quoque uni iſtorum verſiculum hebraicum à ſe effictum, toti verſiculo græco omnibuſque eius verbis

bis respondentem) unum ubi duo versiculi, unumque ubi tres superadduntur: ac claudit paragraphum longo additamento ex Iobi capite secundo, de quo sic loquitur. *Iob. 2. in medio versiculi noni interseritur apud 70. in Sixtina Editione longa periodus, quæ non habetur in hebræo, quæ sic incipit, ἰδὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν.* estque additamentum istud, inter varias lectiones hic à Capello relatum, adeo prolixum, ut aliquot versiculorum instar obtineat, quippe molem integrorum quinque versuum, versum istum nonum proxime præcedentium, præterpropter exæquans. Deinde paragrapho quarto accedens ad omissiones integrarum periodorum, ac cauillatus Hieronymum, tanquam hyperbolice locutum, quia dixerit plusquam 700. aut 800. versus abesse à Iobo in Vulg. Editionibus: sic enim tantũ 270. versus superfuturos fuisse, quum in eo libro hodie versus sint duntaxat 1070. (quasi verò inter Hieronymi aliorumque Veterum Versus sive Versiculos, eosque quos nos hodie sic in Bibliis dicimus, non sit ingens discrimen, id quod tanto critico dedecorosum est ignorasse) pro exemplis Variarum Lectionum, in istiusmodi omissione consistentium, affert 1. Sa. 17. ubi post versum 11. omittuntur in Sixtina Editione versiculi integri viginti. itemque omissionem versuum 6. 7. 8. Ieremiæ capite decimo, ac quatuor primorum versiculorum eiusdem capite 17. posteaque hæc subdit: Et sanè si modò tantum „percurrantur margines editionis illius Sixtinæ, quæ excusa est „Parisiis anno 1628. statim ex sola versuum marginali notatione „deprehendetur, quam sæpe & quam multi versus desint. eos „enim, qui apud 70. non extant, non signat in margine. ——— „unde nullo negotio statim deprehendas, quinam versus omittantur, & quot; vt ea, quæ præter Hebræum textum adduntur. „nam ubi plures versiculi sunt additi, videre isthic licet longissimas periodos sub unius versiculi complexu ——— Itaque supersedebimus plura hic annotare exempla additionis & omissionis integrarum periodorum. Tum § quinto ad Varias suas Lectiones in Permutatione sitas accedit, de quibus hæc sunt eius verba: *Permutantur etiam periodi inter se, hoc est, loco illius periodi, quæ est in hodierno textu hebræo, alia est non raro, prorsus diversa, apud Sept. quod multis posset exemplis confirmari, unum duntaxat proferam.* Tandemque caput illud 14. libri quarti sic concludit: „Atque hæc sunt, quæ nos observavimus & annotavimus ex collatione Translationis Græcæ 70. Interpretum cum hodierno „Textu Hebræo, ad variam lectionem pertinentia, pauca sane,

„si cum reliquis, quæ eiusdem generis ex eadem collatione ob-
„servari possunt, conferantur. vix enim vigesimam totius textus
„Hebraici Veteris Testamenti partem contulimus cum Græca
„τῶν 70. Translatione —— Qui minus fuerit occupatus, po-
„terit reliquos libros sacros conferre, atque ex iis, quæ observa-
„bit & annotabit, longe ampliorem variarum lectionum collige-
„re messem, hosque paucos à me collectos manipulos augere.
Et hactenus quidem tribus illis libri quarti capitibus, de Translatione græca τῶν 70. Libri autem quinti cap. 10. & 11. tantundem præstat de Vulgata Latina, ac pro Variis Lectionibus ostentat producta inde exempla maiorum eiusmodi discrepantiarum. & capite quidem decimo agit *De Variis lectionibus circa voces integras, quæ ex S. Hieronymi Vulgata Versione deprehendi possunt*, uti profitetur epigraphe istius Capitis; quod inchoat hisce verbis: *Oriuntur Variæ illæ lectiones ex vocum additione, omissione, metathesi, permutatione, compositione, divisione.* Capite autem undecimo quid tractet, indicat hic eius titulus, *De variis lectionibus circa ipsas periodos integras, quæ occurrunt in Vulgata Versione;* atque istud eiusdem exordium: *Circa ipsas integras periodos invenitur Vulgata Versio differre ab hodierno textu Hebræo, in earum vel additione, vel omissione, vel metathesi, & verò etiam forte permutatione seu commutatione unius in aliam.* Et reliquorum quoque Veterum Interpretum, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, &c. eiusmodi à Textu Hebraico discrepantias, quæ integra vocabula spectant; pro Variis Hebraici textus lectionibus in medium adducit libri eiusdem quinti capite sexto (cuius epigraphe est, *De variis lectionibus circa voces ipsas integras ex Translationibus Aquilæ, Symmachi &c.* & exordium: *Vox interdum additur, aliquando omittitur, aliquando cum alia commutatur &c.*) idem facturus de aliis adhuc maioribus discrepantiis, circa integra hemistichia, versiculos, periodos, si quas tales in istis Interpretibus reperisset.

Monendus autem est Lector, Varias lectiones, Capello toties in epigraphis atque in ipso corpore istorum Capitum nominatas, hanc ex ipsius mente vim habere illic, sicuti alibi passim per totam Pseudo-criticam & Apologiam, ut variationes ipsius Textus hebraici significent, ex illa nimirum eius suppositione, quod ita in codicibus Interpretum Hebraicis scriptum fuit, sicuti translatio eorum præ se fert: id quod & per se planissimum est, & disertis verbis frequenter ab eo inculcatur, uti locis illis, quos supra ex §. 2. & 5. capitis decimi libri quarti, allegaui. Istis alij persimiles

addi possent quamplurimi. sed id minime necessarium est, & sequentes duo, cum tertio illo iamiam memorato, pro reliquis omnibus sufficere possunt. Extremo capite tertio libri quinti sic præfatur in discrepantias illas, quas iam ex Veteribus illis Interpretibus, Aquila, Symmacho &c. producturus est: *Annotavi omnia, in quibus constat Veteres illos Interpretes aliter in suo codice Hebræo, quam nos hodie in nostro, legisse: unde nos, quas iam capite sequenti damus, in unum collegimus Varias lectiones.* Libri autem eiusdem capite sexto, post productas per tria capita varias omnis generis discrepantias istorum Interpretum à textu nostro Hebraico, hanc isti sermoni coronidem imponit: *Ex his & similibus variæ lectionis exemplis liquet, hos Interpretes non raro quidem, attamen multo infrequentius quam Sept. Interpretes, in suo codice Hebræo aliter legisse, quam nos hodie legimus in nostro, id que tam quoad puncta vocalia, quam quoad literas ipsas, & voces integras.*

Confectum igitur est, ac luce meridiana clarius constat, à Capello pro Variis Hebraici Textus lectionibus haberi omnes cuiuscunque generis à verbis ipsius discrepantias, quæ Veteribus Interpretibus, aut eorum cuiuis, cum ipso intercedunt, etiam illas quæ spectant integra vocabula, neque singula modò, sed & simul uno loco complura; imò integra hemistichia, integros versus, cõplurium simul versuum seriem, magnas Capitum partes, atque adeo integra Capita: sive discrepantia consistat in additione cuiuscunque istorum, sive in omissione, sive in omnigena permutatione. ac proinde pessime tum Veritati, tum pudori suo consuluit Capellus, ac nullam prorsus vel huius, vel illius rationem habuit, quando toties in Apologia præ se fert, ac plus semel expresse testatur, se haud alias Veterum Interpretum à Textu Hebraico discrepantias pro variis ipsius Textus Hebraici lectionibus agnoscere, nisi illas, ubi vocibus hebraicis, quæ Veterum Interpretamentis à textu nostro Hebraico discordibus respondent, magna vicinitas, & summa similitudo atque affinitas intercedit cum illis, quæ earundem loco in codicibus nostris Hebraicis leguntur, ita ut perfacilis ac proclivis ab unis in alteras transitus foret; nullo alio inter eas discrimine, nisi quod à literarum sono vel figurâ affinium permutatione ortum fuit. Ne quis autem in animum sibi inducat, Capellum flagitiosam illam suam sententiam, de omnigenis Veterum Interpretum à Textu Hebraico Variationibus pro ipsius Textus varietatibus habendis, mutasse admonitu mei contra ipsum scripti, quanquam id fateri ipsum puduerit, atque ad

ſaniorem mentem, deſerto priſtino errore, rediiſſe: ideo-que, quicquid antea ſenſerit, non alias Veterum Interpretum diſcrepantias pro textus Hebraici Variis Lectionibus illum habuiſſe, quando Apologiam ſcripſit, præterquam illas, quę in vocibus affinibus ac vicinis inter ſeſe, atque invicem permutari proclivibus, fundatæ ſunt. Quiſquis enim tale aliquid de Capello crediderit, toto cælo falletur; quum immenſa ambitio ac philautia, & inſanus infœliciſſimæ iſtius Criticæ amor, adeo animum eius atque oculos excæcaverint, ut omnis ad meliorem frugem atque ad ſaniorem mentem reditus ipſi in totum præcluſus videatur. Et non reſipuiſſe illum ulla ex parte ab errore ſuo, neque priorem ſententiam reliquiſſe in Apologia, ſed calliide ac malitioſe eam occultaſſe, ut Lectori ſuo verba daret, utque occaſionem eo favorabiliorem haberet tam impotenter & furibunde, ac paſſim facit, in me debacchandi; tum aliis multis ac magnis iudiciis deprehendere in promptu eſt, quorum nonnulla Capite ſecundo & tertio per alias occaſiones fuerunt producta; tum eo præcipue, quod loco illo, quem initio huius Capitis ex Apologiæ pag. 13. produxi, in media illa fraude ac diſſimulatione, qua Lectoribus perſuadere conatur, *ſe illas ſolas diſcrepantias vocare varias lectiones*, quæ à literarum permutatione aut tranſpoſitione oriuntur; prouocat ad ultimum Pſeudo criticæ Indicem, è quo diſcamus, quas ille Veterum interpretum diſcrepantias pro variis Hebraici Textus lectionibus haberi velit. Aſt in illo Indice pro variis lectionibus in medium adferuntur non illæ tantum diſcrepantiæ, quæ inter voces admodum vel aliquatenus ſibi ſimiles verſantur, vel quæ ex literæ alicuius additione, omiſſione, aut ex literarum ſono figurâve affinium permutatione exiſtunt, ſicuti dicto loco Capellus incauto lectori libenter perſuaſum vellet, ſed ibidem in Variarum Lectionum cenſu comparent etiam omnes integrarum vocum, vel ſingularum, vel complurium, tum omiſſiones, tum additiones; uti & omnes illi loci, ubi integra hemiſtichia, integroſque verſiculos, Textui Hebraico ab ullo Veterum interpretum ſuper-addi, aut ab iiſdem, contra quam in eo ſit, omitti, uſpiam in Pſeudo-critica notatum eſt. Neque contentus omnia iſta ſub nomine Variarum Hebraici Textus Lectionum in Indice iſto produxiſſe; ne iſta quidem loca ibi præterit, ubi complures ſimul verſiculi in Veteribus Tranſlationibus Textui Hebraico adiiciuntur, vel ab eo reſecantur. Exempli gratia: ad 1. Sam. 17. 11. notat: *Omittuntur à Sept. viginti verſiculi.* ad Iob. 2. 9. *Additur à Sept. longa periodus.* ad Ier. 10.

Omittuntur à Sept. verſus 6. 7. 8. ad Ier. 17. *Omittuntur à Sept. quatuor priores verſiculi.* Ad Ier. 33. 14. *Omittuntur verſus duodecim in Editione Sixtina.* Et vel ex ipſa ſtatim Indicis illius epigraphe augurari liceat, conſilium non fuiſſe Capello, ullas earum diſcrepantiarum, quas uſpiam in ipſo Pſeudo-criticæ corpore pro Variis lectionibus venditavit, ibi omittere, quippe quæ ita habet: „Index locorum S. Scripturæ, in quibus occurrit varia aliqua lectio cuiuſcunque generis illa ſit, in Critica eiuſque appendicibus notata —— cum notatione paginarum huius libri, ubi „plenius de ſingulis variis lectionibus agitur: ut quaſi in tabella, „uno quaſi obtutu lector videre poſſit, quot, quales, & quàm „multiplices variæ lectiones toto hoc libro annotantur & obſervantur. Itaque fraudem illam inſignem, quam in Apologia commiſit Capellus, dum Lectori perſuadere laborat, ſe haud alias Veterum Interpretum à Textu hebraico diſcrepantias in cenſum variarum ipſius Textus lectionum recipere, quam ubi magna eſt vocabulorum ſimilitudo ac propinquitas, & pronus ab uno ad alterum tranſitus; altera æque immani fraude cumulavit, quando ad confirmationem falſiſſimæ iſtius aſſertionis Lectorem ad illum Variarum Lectionum Indicem, Pſeudo-criticæ ſubnexum, ablegat, acſi tales duntaxat Interpretum antiquorum à codicibus noſtris hebraicis diſcrepantias, ac non alias, pro Variis Lectionibus ibi adnotatas inventurus eſſet. Sed utraque illa fraus, ſicuti ingens admodum eſt ac improba, ita craſſiſſima eſt, ac ſumme ſtolida, utpote facillime ac nullo negotio falſi convincenda. ſiquidem ad eam coarguendam haud ulla operoſa diſputatione opus eſt, ſed ſola Pſeudo-criticæ & Indicis illius inſpectione, ac productione inde locorum contrarium apertiſſime teſtantium; quorum tanta ibi ſeges in omnem partem obvia eſt, ut in iis quærendis haud quaquam neceſſe ſit defatigari: de quare ſpecimina ſuperius allata dubitare neminem ſinent, etiamſi fortaſſis ſacer ille liber ipſi ad manum non fuerit, aut ipſius inſpiciendi copiam nunquam habuerit. Atque ita valere iuſſo ad tempus Capello, poſt detectas ac confutatas tam fœdas ipſius tergiverſationes, fraudes, ac fallacias; convertamur nunc ad collegam eius Morinum, & infames illas artes in ipſo quoque animadvertamus, atque pariliter in apricum protractas, qua par eſt ſeveritate caſtigemus.

CAPVT V.

Detectio mendaciorum ac calumniarum Morini, quibus ſuam de Græca Verſione innovationem in Diatriba obſcurare, ac meas in Examine objectiones falſi coarguere molitus eſt.

QVod ſi prauo cæcoque tergiverſandi ac mihi contradicendi impetu abreptus Capellus, adeo omnis pudoris oblitus eſt, adeoque nullam iuſtæ hominum exiſtimationis rationem habuit, ut non contentus ea audacter negare, quorum manifeſtiſſime reus tenetur, haud veritus ſit me ob illa obiecta ultro in crimen vocare, atq; atrociter exagitare: nihilo verecundior aut modeſtior fuit in conſimili cauſa conſors ipſius Morinus, nihilque ipſi in flagitioſa hac inverecũdia cõceſſit, quin potius ipſum adhuc ſupergreſſus eſt. Adeo enim effrenem quidvis audaciſſime affirmandi vel negandi, ac impudentiſſime mentiendi & calumniandi, uſurpat licentiam, ut difficillimum factu credam, conſimilis proteruiæ exemplũ uſpiam alibi invenire, non modò inter homines literatos, ſed vel inter perditiſſimos balathrones, aut procaciſſimas de viliſſima plebis fæce mulierculas, quas inter rixandum nihil pudet quidvis effutire, ac vel craſſiſſima mendacia, ſpurciſſimis convitiis uſquequaque aſperſa, in adverſariarum os expuere: prorſus quaſi propoſitum ipſi fuerit, palmam probroſæ ac ſumme deteſtandæ iſtius petulantiæ id genus hominibus, aut potius hominum monſtris, præripere, ac pro ludo & ioco habuerit, ſuam ipſius famam quam fœdiſſime commaculare, dummodo alienæ aliquid dedecoris affricare poſſet: quod tamen dedecus haud alia in re, quam in veſana ipſius rabie, & fœdiſſimis mendaciis ac calumniis fundatum, in ipſius caput recidet totum, ac diſpuendum illud ſceleratorum hominum præceptum, *calumniare audacter, aliquid hærebit*, quod in probroſa iſta Diatriba tam ſtudioſe ac profuſe in uſum traxit, miſere ipſum fallet apud omnes æquos rerum æſtimatores, qui ipſius mendacia ac ſycophantias cum reſponſionibus meis conferre, ac utraſque æqua lance penſitare voluerint. Sed iam ad rem

ipsam accedamus, atque ea ex Morini Diatriba producamus, quibus memorata ipsius crimina in clarissima luce, atque ob omnium oculos ponantur. Capite primo, pag. 11. queritur tria sibi in Examine à me, atque à D. Taylero (cuius nomen tractatui isto unà cum meo inscriptum est) falsò obiici: 1. *Quod testimonia è Veteri Testamento citata in Nono illic eodem modo atque isthic habere se debeant*: 2. *Græcam Versionem, quæ Editione Romana repræsentatur, genuinam esse & authenticam, atque ex omni parte incorruptam, qualis ab ipsi Interpretibus profecta est*: 3. *Hebræum Textum mendosissimum esse*: quum neque ista, neque quicquam iis simile, vel dixerit unquam, vel cogitaverit, si ipsi credere libet. subiungit, enim hæc verba: Assertionum istarum, quas Morino affingunt, „ex illius scriptis testimonia nulla proferunt: ipsorum affirma„tioni stari volunt. at negat ille *hæc opinionum portenta* sibi unquã „in mentem venisse: illa averisatur, horret, refugit. negat in scri„ptis suis vel leviss.m sententiolam reperiri posse, ex qua *tam „insanarum propositionum* colligendarum ulla præbeatur occasio. „——— Quum nullo indicio *tam absurdas propositiones* me vul„gasse doceant, cur nocebunt mihi *tam absurdæ furentium homi„num calumniæ*. ——— Fingamus, *insanis istis propositionibus* con„trarias luce meridiana clarius me non docuisse ——— Demon„strabo doctrinæ, cuius tam proterve me insimulant, contrarium „evidentissime sæpius & scripsisse me, & docuisse. Nec causam „comperendinatam cupio: iamiam agetur, si prius *tria illa opinio„num monstra* pudentes illos homines mihi tribuere probavero. „adeo enim *à sensu communi abhorret ista calumnia*, ut nonnihil „reformidem, ne mihi de ea conquerenti diffidat lector.

Iam utrum tres illas propositiones ego Morino præter mentem ipsius falso affinxerim, an verò ipse falsò de iis sibi inique objectis conqueratur, de prima quidem & tertia, quum ad præsens institutum non pertineant, aliis infra locis, ubi de quaque commodissimum erit, dispiciemus: de secunda verò, quæ sola est huius loci, iamnunc agamus, videamusque an illa sit *calumniæ monstrum*, uti pagina 18 ubi de ea peculiariter loquitur, appellat, an verò ipse calumniator omnium monstrosissimus, qui in re adeo aperta, ac liquidissimæ veritatis, me calumniæ tam audacter postulet. Et principio quidem statim notetur insignis ipsius impostura, ac quidem gemina. namque & verba illa, *omni ex parte incorruptam* quæ *vis genuinam & authenticam* veluti mea adiunxit, non mea sunt, sed ab ipso super-addita, ut maiorem inde tergi-

verſandi occaſionem nanciſceretur; quum in Examine meo nuſpiam compareant. & quum propoſitio illa complectatur duo membra, quorum unum Græcam Verſionem ſimpliciter ſpectat, alterum verò Romanam eius editionem; ipſe dolo malo iſta ſic inter ſe confundit ac permiſcet, ut ex acceſſorio faciat principale; acſi de Romanæ Editionis integritate & præſtantia, ac non de Græcæ Verſionis ſupra Hebraicum textum authoritate & authentia, præcipue quæreretur: quod planiſſime contra eſt, uti cuivis Examen legenti per ſe patebit. Namque de Romana Editione, deque dignitate ipſi à Morino tributa, bis tantum toto illo tractatu locutus ſum, idque non tam in modum objectionis, quàm conceſſionis: nimirum pag. 19. Quandoquidem enixiſſime contendit „ Morinus, Verſionem græcam veram ac genuinam, qualis ab „ ipſis Interpretibus profecta fuit, Editione Romana & Pariſina „ repræſentari, nos de iſtius rei veritate alibi quidem diſpiciemus: „ interea autem rem ita ſe habere ſupponemus, ut nulla prorſus „ cavillandi materia ipſi relinquatur; & in citanda ——— Verſione Græca, non aliam ſequemur Editionem. & pag. 108. *Adverſus Morinum, qui ſolam illam Verſionem, quæ eſt in Editione Romana, agnoſcit pro authentica* aſt alterum illud, de authoritate Græcæ Verſionis, ſimpliciter in ſe conſideratæ, de-que eius ſupra Codices Hebraicos prærogativa, non ſemel nec bis, ſed iterum iterumque, veluti principalem controverſiam, ipſumque quæſtionis ſtatum, inculcavi, atque Morino objeci; uti fidem facient ſequentia loca. In ipſo libelli limine, ac paginâ eius primâ, ſic loquor: *Hinc probari putat, & Græcum textum eſſe ſincerum atque authenticum, & Hebraicum vitioſum atque corruptum.* & pag. 2. *Græca Verſio, cui tantam ex iſto poſtulato authoritatem quærit Morinus.* ac pag. 16 *Summam Græca Verſioni authoritatem conciliare ſtudet.* iterumque pag 57. *Fruſtra ex his quæri talem iſti Verſioni authoritatem, ut ipſi hebraicæ Veritati debeat præferri, id quod Morinus contendit.* & pag. 63. *Græcam illum Verſionem, cui hoc argumento authentiam quærit.* necnon pag. 107. *A Græca Verſione, authentica illa & incorrupta, ut ipſe quidem vult.* ac rurſus pag. 115. *Morini argumentum, quod tanto apparatu in ſacrilega iſta præfatione in ſcenam produxit, infamandæ Hebraicæ Veritati, & Græcæ Editioni commendandæ.* & pag. 116. *Vt eos ille codices, Græcam nimirum Verſionem, pro ſinceris & incorruptis ſuſciperet depradicandos, omnique conatu eos hominibus pro authenticis & canonicis obtruderet, re, ecta & damnata non Hebraica duntaxat Editione, ſed & Latina Verſione.* tandemque

demque pag. 117. & 118. *Ex flagitioſiſſima iſta in Græcam Verſionem præfatione, in qua cum videatur omnes nervos contendiſſe, ut ſacroſanctam ac plane irrefragabilem huic Verſioni authoritatem circumdaret, non modo illam ingreditur contra Hebræa Archiva accuſationem,* &c. Dilucet igitur, prave ac malicioſe iſta duo Morinum pervertiſſe, atque acceſſioni locum ipſius principalis quæſtionis dediſſe. Veriſſimum tamen eſt utrumque, & omnino aſſeryit iſta Morinus, quæ in Examine dixi eum aſſeruiſſe, non modo de Græca Verſione in ſe conſiderata, ſed & de Romana eius Editione. Et de priore quidem iſtorum res facillime ac tribus verbis expediri poteſt. Quanquam enim confidentiſſime, pro ſolita impudentia, hoc mihi negat Morinus, eo que nomine mendacij me poſtulat pag. 238. *Mentiuntur Verſionem Græcam me prædicare canonicam:* neque veretur affirmare pag. 166. ſe nunquam ſimpliciter dixiſſe, Græcam Verſionem Hebræo Textui eſſe præferendam: *Verum nunquam ſimpliciter diximus, ideo* [ob concordiam Apoſtolicarum citationum cum tranſlatione Græca, ubi ab Hebraico illa differt] *Græcam Verſionem Hebræo textui eſſe præferendam, ſed illis in locis eſſe præferendam:* nullo tamen negotio quivis dijudicabit, non in me, ſed in ipſo mendacij crimen hic hærere, poſtquam illa conſideraverit, quæ capite primo ex ipſo adduxi. Ibi enim planiſſimum feci, quod Græcæ Verſioni abſolutiſſimam contra Textum noſtrum Hebraicum authentiam vindicet, dum illam docet *puriſſimis hebræorum fontibus penitus conformem editam à Sept. Interpretibus* (pauculis duntaxat exceptis, ubi de induſtria ob graves cauſas aliquid immutarunt) & quicquid inter illam ac codices noſtros Hebræos diſcriminis nunc intercedit, id horum vitio, atque à primævis codicibus degeneratione, contigiſſe: unde evidentiſſime ſequitur, ubicunque Textus noſter Hebræus à Græca Tranſlatione variat, extra paucos illos locos certo conſilio à Sept. immutatos, illum ad iſtam eſſe corrigendum, atque hanc illi præferendam, eiuſque reſpectu authenticam eſſe quam maxime. Neque rem modò ipſam dicit tam evidenter (quod ſolum abunde ſufficeret apud omnes cordatos rerum æſtimatores) ſed ne verbis quidem illis abſtinet, ob quæ mendacij dicam hic mihi impingit, & Græcam Verſionem diſerte *canonicam* indigetat, ſicuti ibidem monſtravi, producto loco illo ex Præfationis §. 4. ubi aſtruit, *Septuaginta Interpretum Verſionem ſanctam, propheticam, canonicam, divinam, atque omni ex parte* θεόπνευστον *eſſe* &c. cui loco ſimillimus eſt ille alter, ex eiuſdem Præfationis paragrapho decimo-

quarto: *Adverſus ea, quæ de Divina & Canonica Sept. Interpretum autoritate, eorumque textus ἀυδενία ϗ ἀναμαρτησία, ex omnium Patrum ſententia diſſeruimus* &c. Et ne opus ſit aliunde, e-que Præfatione illa, probationes arceſſere; in hac ipſa Diatriba, cuius pag. 238. adeo procaciter mihi negat, *Græcam Verſionem ſe prædicare canonicam*, alibi plus ſemel id expreſſe fatetur. namque, pag. 231. ſic ſcribit: Si interrogentur, ubi dixit Morinus Verſio-„nem Græcam, Editione Romana exhibitam, eſſe canonicam, „illis aqua ſtatim hærebit. De Græca verſione, ut legebatur pri-„mis quinque ſæculis, id ſæpius ſcripſi, nec aliquem Chriſtianum „exiſtimabam inventum iri, qui mihi contradiceret, aut enim iſta „fuit canonica, aut nulla fuit; quod poſterius aſſerere abſurdiſ-, ſimum eſt. ubi notetur obiter ſtolidiſſima iſtius hominis confi-dentia, illam aſſertionem pro abſurdiſſima condemnantis, quæ tan-topere ab abſurditate abeſt, ut nihil abſurdius dici poſſit, quam i'li non ſubſcribere. adeo enim non eſt abſurdiſſimum dicere, nul-lam Sacræ Scripturæ Verſionem primis quinque ſæculis fuiſſe ca-nonicam, ut contra longe abſurdiſſimum ſit dicere, quod ulla om-nino Verſio vel illis ſæculis, vel ullis aliis, fuerit canonica, eo qui-dem ſenſu, de quo hic agitur, & uti Verſiones à Fonte Hebraico contradiſtinguuntur, atque iis opponuntur. & ut Morino conce-deretur, abſurdiſſimam eſſe iſtam aſſertionem, de nulla Verſione canonica per prima quinque ſæcula (id quod ei concedi non niſi abſurdiſſime & falſiſſime poteſt) non tamen inde ſequeretur id, quod adeo fidenter ſibi ſumit Morinus, Aut Græcam Verſionem tunc fuiſſe canonicam, aut aliam nullam. iſta enim prærogativa ſi ulli Verſioni tribuenda eſſet, poſſet ea Syriacæ, ut nunc de aliis taceam, æque bono iure, imò longe meliori, attribui, ac Græcæ Vulgatæ. ſed hoc in tranſitu attigiſſe, ac perpetuam iſtius hominis ſtoliditatem in duobus tam inſignibus ſpeciminibus verbo notaſ-ſe, ſufficiat. nunc ad rem redeamus, ac loco illi Morini modò al-legato, de canonica ac authentica Græcæ Verſionis authoritate, alterum adiungamus ex Diatribes pag. 140. & 141. priori plane germanum. *Sept. Interpretum Interpretationem*, inquit ibi, *qualis Editione Romana nobis repræſentatur, nunquam ſcripſimus authenti-cam eſſe, imò de ea re ne quidem cogitavimus. Septuaginta Interpre-tum tranſlationem authenticam eſſe ſæpius quidem ſcripſimus, ſed hoc non de Romana diximus, verum de iis exemplaribus, quibus Eccleſia uſa eſt primis ſaltem quatuor ſæculis. aut enim tum authentica erant exemplaria illa, aut eo tempore nullam Scripturam Authenticam ha-*

buit Eccleſia. Sed & pag. 143. poſt citatum illum ipſiuſmet locum ex Præfationis §. 14. cuius initium paulo ante poſuimus, ſubiungit: *Quod ad διδυμίαν attinet, manifeſtum eſt ex iiſdem verbis, & multo magis ex toto contextu, de iſta Tranſlatione, ut antiquitus extabat, nos verba facere.* Immenſa igitur hæc eſt & ſumme proterva Morini vecordia ac impudentia, me pro mendace traducere ob illud, quod ſicuti per ſe evidentiſſimum eſt, ac probatu facillimum, ita ipſemet expreſsiſsimis verbis fatetur plus ſemel, & quidem eodem iſto libro: ut proinde ego quidem verax reperiar, ipſe autem cum ſummo ſuo dedecore mendaciſsimus, ſimulque penitus immemor ſciti illius, mendacibus ad occultandam quadam-tenus nequitiam ſuam adeo neceſſarij, quod *mendaces memores eſſe oportere* ſancit. alioquin enim ſibi ipſi non tam aperte ac tam fœde contradiceret, dum mihi tam petulanter contradicere laborat. Et idem omnino iudicandum eſt de altero etiam prædictæ propoſitionis membro, quod non Verſionem Græcam ſimpliciter, ſed Romanam eius Editionem reſpicit; in quo quum æque evidenter ἐν ἀνωφώρῳ teneatur, ac in præcedenti, parili tamen procacitate in eo mihi obloquitur, imò adhuc maiore. non contentus enim ſimpliciter negare, quod Editionem Romanam habeat pro Verſione τῶν Sept genuina, authentica, & incorrupta; nihil aliud niſi *mendacia, calumnias, impudentiam, impoſturam*; alia-que eiuſmodi probra crepat, quia illud de eo affirmaverim: , ut pag. 138. Secunda calumnia eſt, nos aſſerere, Græcam 70. tranſ-„lationem, qualis Editione Romana repræſentatur, authenticam „eſſe, & omni ex parte incorruptam, qualis ab ipſis Interpretibus „profecta eſt. Quo loco id dixerim, non notant, nec unquam „notare poterunt. more ſuo calumnias impudentiſsime vomunt, „& de probatione nunquam ſoliciti, audaciſsime mentiuntur. „Itaque uno verbo cum iis agere ſufficeret, mentimini ſtolidiſsi-„mi ſycophantæ. & pag. 157. Deinde aliâ impoſturâ „fundatur eorum conſequentia, quã nobis imponunt ignorantiùs „neſcio an impudentius. *Quandoquidem*, inquiunt, *enixiſsime „contendit Morinus, Verſionem Græcam veram ac genuinam, qualis „ab ipſis Interpretibus profecta fuit, Editione Romana & Pariſina re-„præſentari.* Quo loco hoc enixiſsime cõtendit, O impoſtores ſtoli-, diſsimi, indicate. ac rurſus p. 214. *Tertiam calumniam fingunt ſycophantiarum feraciſsimi homines, Morinum ſolam illam Verſionem, quæ eſt in Editione Romana, agnoſcere pro authentica.* Neque contentus id negaſſe tantum, vult ut credamus, eum plane con-

trarium diſerte ſcripſiſſe: ut pag. 138. & 139. *Contrarium nos non modò ſæpius diſerte ſcripſiſſe, ſed etiam univerſo ſermoni noſtro perpetuò ſubſtraviſſe demonſtrabimus.* & pag. 157. *Hoc enixiſſime contendit Morinus, qui ubique in præfatione illa, & aliis ſuis ſcriptis, quam enixiſſime contendit, fatuos eſſe & cæcos qui hoc aſſerunt.* Proterviæ iſti impotentiſsimæ ſimul ac impudentiſsimæ ut aliquam larvam inducat, dicta mea de genuina & incorrupta Verſione τῶν 70. repræſentata in Editione Romana, ita detorquet pag. 139. & ſeqq. acſi eorum ſenſus eſſet, ab omnibus omnino variis lectionibus & ſphalmatis librariis penitus immunem eſſe Græcam Verſionem, prout Romana Editio eam nobis exhibet: quæ immanis ſententiæ meæ detorſio nullum ne tenuiſſimum quidem colorem haberet, niſi verbis meis aliquid de ſuo aſſuiſſet, ac pro eo, quod ego dixi, Romanam Editionem Morino continere Verſionem græcam *veram, authenticam, & genuinam*, me feciſſet dicere *authenticam, genuinam, atque omni ex parte incorruptam.* Niſi enim verba mea ſic immutaſſet, ac addendo de ſuo *omni ex parte incorruptam* aliam iis faciem induxiſſet (de qua impoſtura Lectorem ſupra quoque monui) nemo talem ex iis ſenſum divinaſſet, qualem iis affingit Morinus. Omnino enim nihil aliud volui, neque verba mea, ſupra ex Examinis pag. 19. & pag. 108. allegata, aliud præ ſe ferunt, aliterve ab ullo ſani cerebri homine intelligi poſſunt, quam Morinum velle, Verſionem illam græcam, quam adeo magnifice ſupra contra-que Textum hebraicum effert, non in aliis Editionibus quærendam, quam in Romana, utpote cæteris omnibus, à quibus plurimum differt, longe puriori, ac plane genuina, minimeque interpolata aut adulterata. Iam ſi iſta verborum meorum mens eſt, uti ſane eſt quam planiſſime, & ſi nihil aliud Morino ea tribuunt, quàm quòd Romanam Græcæ Verſionis Editionem reliquis cunctis eiuſdem Editionibus velit anteferri, ac pro vera & ipſiſſima τῶν Sept. tranſlatione haberi: non autem quod nulla penitus labecula nullum-ve erratum librarium in ea uſpiam ſuperſit (cuius ſenſus nullum nec minimum in illis verbis meis veſtigium comparet) quis non videt eum omnium, qui unquam fuerunt, calumniatorum eſſe turpiſſimum ac maxime infamem, qui tam rabioſe in me incurſet, quia illam ipſi opinionem adſcripſi, quam Præfatio illa apertiſſime clamat, quam in Exercitationibus ſamariticis plus ſemel inculcat, quam in Exercitationibus Anti-biblicis ingenti molimine, ac prolixiſſimo plurimorum Capitum ſermone ſtabilire allaborat, & quam in hac ipſa Diatri-

ba pleniſſime pro ſua agnoſcit? Namque Præfationis §. 13. ait *quod Sixtus V. poſt tot ſæcula inter mortuam, redivivam ſtitit ſanctam illam ipſam Editionem, quam ſolam Apoſtoli ſuffragiis ſuis comprobarunt:* iteimque, *Hanc editionem Septuaginta eſſe, & incorruptam:* ac rurſus, *Hanc veram eſſe & germanam Septuaginta Interpretationem;* tandemque, *Sinceram eſſe & inviolatam tranſlationem.* Eodem modo Exercit. Samarit. quarta §. 6. dicit, *Divinam illam Tranſlationem Sixti V. diligentia & autoritate, Eccleſiæ Occidentali reſtitutam eſſe.* & cap. 4. pag. 300. *Sincerum textum, expurgatis quæ ex Iudæorum codicibus iuxta Theodotionis Verſionem irrepſerant, nobis reſtituit Sixtus V.* ac cap. 10. pag. 393. *Tranſlatio iuſſu Sixti V. Romæ edita, omnium Editionum græcarum una Textum Sept. Interpretum purum & ſincerum repræſentat. cætera enim omnes additamentis & reſectionibus, iuxta Iudæorum neotericorum codices factis, adulteratæ ſunt.* Iam in Exercitationibus Anti-biblicis totam Exercitationem nonam iſti rei impendit, ut oſtendat Editionem Romanam nobis ſinceram atque ipſiſſimam τῶν Sept. Tranſlationem exhibere. & cum Capitis primi initio dixiſſet, *Quæ hactenus de 70. Interpretum tranſlatione à nobis diſputata ſunt, intelligi volumus non de quibuſlibet editionibus:* poſtea-que pag. 390. *Neotericam Editionem, quæ exemplaribus Origenis tempore emendatis, aut ab ipſo recenſitis, quam ſimillima eſt, ad ipſiſſimum 70. Interpretum exemplar quam proxime accedere:* ac deinde ibidem, *Quatuor argumentis in huius rei cognitionem pervenire nos poſſe, quorum quo plura convenient, eo puriorē fore editionem, & ipſiſſimo 70. Interpretum exemplari ſimiliorem: ſi omnia convenerint, futuram puriſſimam, & πρωτοτύπῳ quàm ſimillimam:* tandem, pag. 391 ſic concludit: Argumenta illa omnia in Editione Romana 70. Interpretum, iuſſu & auſpiciis Sixti V. in lucem edita, „reperiuntur, & pauciſſima ſunt in ea Editione loca, in quibus „eiuſmodi argumenta non valeant. quapropter omnium Editio„num, quæ extant, puriſſime ac defecatiſsime divinum illum „Textum 70. Interpretum, qui in Eccleſia univerſa ante Origenem legebatur, nobis repræſentat: ac ſimilia repetit pag. 397. in ipſo capitis illius primi fine, ſic inquiens: *In Romana illa Editione habes divinam illam 70. Interpretum Tranſlationem græcam quàm fieri poteſt ab omnibus mendis & irreptionibus caſtigatam & puram, priſtino-que nitori & integritati redditam.* & deinceps concluſionem iſtam capite ſecundo, ac ſequentibus, omni ope ſtabilire, omni-que probationum genere firmare ſatagit; è quibus ca-

pitibus permulta adhuc alia, huc facientia, ac præcedentibus ſimilia, adduci poſſent. ſed ad evitandum nimiæ prolixitatis tædium, contentus ero quinti capitis coronide, & ſexti exordio. Illa ſic habet: *Hinc manifeſtiſſima mihi videtur Editionis Romanæ ſinceritas, cum & codicibus de Hexaplo Origeniano diligenter & correctè admodum deſcriptis* [de quo Hexaplo ſupra eodem capite, pag. 427. dixerat, *Omnium 70. Interpretum Editionum puriſſimam & ſinceriſſimam ex omnium Patrum prædicatione eam eſſe, quæ in Origenianis Hexaplis conſervabatur*] *& aliis codicibus correctis, quibus antiquiſſimi Patres publice & è cathedra utebantur, tam exactè & ubique κατὰ λέξιν conſentiat, ut variÿ Manuſcripti codices, quicunque illi ſint, vix deprehendantur ſimiliores. Si verò pauculis in dictionibus ab his aut illis forte diſſentiat, aliis codicibus, è quibus celeberrimi quique Patres textus, quos enarrant, excerpſerunt, conſentiat.* „ Caput autem ſextum exordiuntur iſtis verbis: Auguſtiſsimum ſin„ ceræ 70 Tranſlationis argumentum ex editione libri Ioſuæ per „ Andræam Maſium deſumitur —— cum penes ſe haberet mi„ randæ vetuſtatis codicem Syrum, de ipſis Origenis hexaplis, ab „ Euſebio Cæſarienſi recenſitis, ante mille annos Syra lingua cum „ diligenti iſtarum figurarum [obelorum, aſteriſcorum, & lem„ niſcorum Origenianorum] aſcriptione converſum: uſus eſt co„ dice Vaticano, antequam Pontificis iuſſu ederetur, illumque „ cum ſuo Syro ſic figurato comparavit, atque ex illa comparatio„ ne collegit, Vaticanum illum codicem continere ſinceram 70. „ Interpretum tranſlationem, ab adulterinis quibuſlibet admo„ dum puram & defæcatam. In ipſa quoque Diatriba prædictis conſona ſcribit, tum pag. 141. ubi ita infit: *Quod ad Romanam editionem attinet eam omnium editionum, quæ nunc extant, ſcripſimus eſſe maximè ſinceram, atque à mendis & perturbationibus expurgatiſſimam, & conſequenter ad primigeniam illam omnium proximè accedere:* tum pag. 147. ubi hæc ſunt eius verba: *Quum omnium, quæ nunc vulgò feruntur, ad antiquam illam & primigeniam editionem Romana proximè accedat, neceſſario conſequitur eam ad authentiam, omnium Græcarum Editionum proximè accedere.* Iudicet iam quivis æquus lector, an non rem ipſam dixerim, quando in Examine dixi, *Morinum enixiſſimè contendere, Verſionem græcam veram ac genuinam, qualis ab ipſis Interpretibus profecta fuit, editione Romana repræſentari; eumque ſolam illam Verſionem, quæ eſt in editione Romana, agnoſcere pro authentica:* & an non ſit ipſe omnium ſycophantarum & impoſtorum flagitioſiſsimus, ultra-

que omnem modum, & omne exemplum, mendax & impudens, qui me propterea *mendacij, impudentiæ, calumniæ & impoſturæ* inſimulare auſus fuit. Ex iiſdem dilucet infinita ſtoliditas ac ſtultitia futiliſsimæ iſtius diſtinctionis, quam ponit inter Græcam Verſionem, qualis primis quatuor aut quinque ſæculis extitit, & qualis editione Romana repræſentatur; quaſi ex ipſius mente nequaquam in hanc competant omnia, quæ de illa priori dicuntur. Quomodo enim in Romanam Græcæ Verſionis editionem non quadrent omnia elogia, Græcæ Verſioni quatuor aut quinque primorum ſæculorum tributa, *ſi iſta Editio Interpretationem τῶν Sept. poſt tot ſæcula intermortuam, exhibet redivivam, eamque veram, germanam, ſinceram, puram, incorruptam, inviolatam; ab omnibus, quantum fieri poteſt, mendis & irreptionibus caſtigatam, priſtino-que nitori & integritati redditam:* imo ſi eadem *hæc Editio exacte & ubique κατὰ λέξιν conſentit cum codicibus diligenter & correcte admodum deſcriptis de Hexapla Origenis, in quo Verſio τῶν 70. puriſsima & ſinceriſsima conſervabatur, & cum aliis codicibus correctis, quibus antiquiſsimi Patres publice & è cathedra utebantur:* quæ omnia Morinum totidem verbis aſſerentem audivimus. iſtiſque ſuperponditi loco addatur, quod codici illi Manuſcripto, è quo expreſſa eſt editio Romana, eam tribuit antiquitatem, ut iam extiterit intra ipſum illud primorum quatuor aut quinque ſæculorum tempus, intra quæ dicit in Diatriba, dum mihi oggannit, coercenda illa elogia, quæ Verſioni τῶν 70. uſpiam tribuit. Namque Præfationis §. 13. de codice illo ſic loquitur: *Vetuſtiſsimum codicem, ante mille & ducentos annos literis quas vocant uncialibus exaratum, qui ſecundum Septuaginta inſcribebatur, ſuppeditavit Bibliotheca Vaticana.* Similiterque in Exercit. Anti-biblicis, pag. 94. (& quidem cum quinquaginta adhuc annorum auctario) *Pra cæteris exemplaribus Vaticanum erat venerandæ admodum antiquitatis, literis maioribus omnium iudicio ante mille ducentos & quinquaginta annos exaratum, ante ſcilicet S. Hieronymi tempora, non infra.* Sane tantæ ac tam ſtupendæ vecordiæ, ſibi adeo aperte adeo-que fœde contradicendi, exemplum uſpiam alibi reperiri poſſe, extra ipſum Morinum, cuius ſcripta prodigiis eiuſmodi ſcatent, haudquaquam crediderim.

CAPVT VI.

Profana Capelli innovatio, discrepantias Veterum Interpretum, à verbis Textus nostri hebraici, pro totidem ipsius Textus Variis Lectionibus venditantis, omni authoritate Sacrum illum Textum expoliat, eumque partim valde corruptum, partim incertissimum reddit: id quod contra inania Capelli sophismata, & subterfugia, contraque futiles eius cavillationes ac præstigias, demonstratur.

QVum Morinus & Capellus, proiecto omni pudore, tam proterviter illas suas opiniones, quas totidem verbis profitentur, & integris libris in idipsum editis propugnant, mihi negare sustinuerint; non est maior ingenuitas aut verecundia circa earum consequentias ab iis expectanda, utut evidentes illæ sint & inevitabiles; quin licere sibi velint eas inficiari, inque iis inficiandis pari petulantia grassari, si pessuma pravi-animi libido, & summa frontis strenue perfrictæ durities, id ipsis suaserint. Ita sane quæ de eversa penitus Textus Hebraici authoritate ipsis objeci, non modò negare audent, sed & ob illam objectionem, acsi insignitam eâ iniuriam ipsis feciſſem, consuetâ sibi impotentiâ ac procacitate in me invehuntur. Capello, ut ab eo rursus incipiam, objeceram in ipso Epistolæ meæ exordio, *in id comparatam esse Pseudo-criticam, ut textus Hebraici autoritatem penitus labefactet ac convellat; quippe cuius lectio, si Capello creditur, infinitis in locis vitiosa est, aut saltem dubia & incerta.* Ad hanc objectionem, quam ultro agnoscere & amplecti debuerat Capellus, aut proiicere Pseudo-criticam suam, & universam unicâ liturâ delere, videamus quid reponat. Apologiæ pag. 9. ita de hac re loquitur: „Quum in ipso Criticæ meæ limine, & passim toto illo Opere, „textus Hebraici incorruptionem præstruam atque defendam, „moneamque, aliud esse corruptionem, aliud Varias Lectiones,

„ac

„ac textum quidem corruptum non esse, ubique inculcem, va-
„rias duntaxat in variis eius codicibus occurrere lectiones: cum
„ubique dicam, Textum Hebræum fontem esse, ad quem trans-
„lationum rivuli revocari, expendi, & examinari debent, ubi ab
„eo variant: quanta est hominis illius vel malignitas, vel stupor,
„obiicere mihi communicatum cum Morino consilium de ever-
„tendo sacro textu Hebræo, in eiusque locum supponenda Græ-
„ca τῶν 70. vel Latina Hieronymi Translatione? Ac quamvis ex
„iis quæ dico de variis lectionibus, per consequentiam deduci
„posset (quod longe falsissimum est) textus sacri authoritatem
„sic occulte & tacite imminui, tamen cum id cum Morino non
„profiteat, sed contrarium toties in Critica inculcem, non de-
„buit Bootius id mihi imputare, & hostili animo in me ea pro-
„pter invehi, sed amice duntaxat monere, ut à periculosa con-
„sequentia mihi caverem, debuit solide & aperte consequentiam
„illam probare & demonstrare (quod tamen non facit) non ve-
„rò consilium evertendi sacrum textum Hebræum mihi imputa-
re, illudque toties oggerere.

Responsio ista, vel ex apertissimis mendaciis, vel ex frivolis causationibus, puerilibus exceptiunculis, fœdis ac crassissimis sophismatis tota contexta est. De primo genere, mendaciorum inquam, illud est, quod ait, de communicato consilio cum Morino, de supponenda in textus hebraici locum Græca τῶν Sept. vel Latina Hieronymi Translatione. Namque dixi quidem, quod commune cum Morino consilium inierit, communemve cum eo viam institerit, convellendi penitus atque evertendi omnem Sacri Textus Hebraici authoritatem, id quod res est. de altera autem illa cum Morino participatione nusquam ullum vel minimum verbulum feci; imò plus uno loco illa dixi, unde plane contrarium diluceat. Quando enim dico, id quod feci §. quinto, *Capellum velle, Interpretes S. Scripturæ non ad Hebræum duntaxat textum attendere, sed ad Veteres Interpretes omnes, & ubicunque hi ab illo dissentiunt, hos sequi potius quàm illum, si sensum videantur suppeditare meliorem; nullâ aliâ Hebraico super Veteres Interpretes, ubicunque aliquis eorum, quisquis tandem sit, ab eo dissentit, relictâ prærogativâ, nisi quatenus sensum aptiorem fundit, sicuti contra, si Translatio Vetus quæcunque, in quocunque loco ab hebraici textus lectione discordat, sensum videatur exhibere commodiorem, translationem textui hebraico absque hæsitatione præferendam*: an non clarum est, quod velim Capellum Textui hebraico non præferre vel sub-

ſtituere, ita uti à Morino factum, alterutrã iſtarũ Tranſlationũ, ſed æquare ambas illas, idque haud aliter, quàm alias Tranſlationes Veteres quaſcunque? ſicuti interdum quoque diſertis verbis iſtam *Veterum Interpretum cum codicibus hebraicis æquiparationem* Capello objeci, ut tum alibi, tum §. duodecimo. & tamen, aeſi parum eſſet id hic dixiſſe, repetit rurſus pag. 19. *Vt Bootius & illius ſimiles perſpiciant, quam bellè mihi cum Morino convenerit in evertenda Textus Hebraici autoritate, ei-que ſubſtituenda græca 70. Interpretum & Latina Hieronymi tranſlatione.* Sed nimirum ſolenne eſt Capello, in fœdo illo ſcripto, turpiter quidvis, itidem ac hic ab eo factum, de me mentiri, ea-que mihi affingere, quorum nec vola nec veſtigium in Vniverſa mea Epiſtola apparet: cuius rei ſequentia exempla ſunt, è plurium acervo decerpta. *Conqueritur Bootius, ——— quod dicam Codices Hebraicos, quibus nſi ſunt Veteres Interpretes, & ex quibus ſuas inſtituerunt Tranſlationes, eſſe pariter totidem Textus Hebraici exemplaria:* pag 16. *Flavignius, quocum me Bootius vult committere*, pag. 32. *Familiaritatem & antiquam cum Morino amicitiam exprobrat mihi Bootius*, pag. 28. *Hæc eſt illa arcta & antiqua cum Morino amicitia, quam obiicit mihi Bootius*, ibid. *Vellet lubens ab omnibus credi, codices Hebræos ſemper fuiſſe punctatos*, pag. 45. cuius mendacij fœditas eo teſtatior eſt, quum §. 46. exerte profeſſus ſim, mihi videri *puncta non fuiſſe ab initio aſcripta. Comparatio, quam inepte inſtituit Bootius inter Librarium & Interpretẽ, reſpectu facultatis non legendi ſed transferendi*, pag. 48. *Ex Bootij ſententia τὸ keri perpetuo legendum & ſequendum eſt, non verò τὸ cetib*, pag. 70. *Vnde habet Bootius, τὸ keri eſſe lectionem plurium conſentientium codicum autoritate communitam?*, pag. 73. falſo putat B. ſibi-que imaginatur, omnes illas τῶ keri „ notas maſorethicas eiuſdem eſſe cum ipſa punctatione antiqui- „ tatis, & utrumque eſſe ex codicum collatione confectum, quaſi „ uno eodemque tempore, & ab iiſdem individuis hominibus, „ tum punctatio, tum keri marginale, ex Veterum codicum col- „ latione fuerint iam olim longe ante Maſoretharum tempora, in „ libris ſignata: pag. 74. *Sic concidit, quod ille garrit, mihi-que imputat, de arbitraria punctatione, quaſi liberum & ſolutum cuilibet amenti & inſano per me eſſet: pro lubitu & ex mero arbitrio quam volet punctationem ubique inferciri, ſine ſenſu & ratione*: p. 79.

In ſecunda claſſe *frivolarum cauſationum*, eſt quod dicit de *hoſtili meo in ipſum animo*, & quod debuerim *eum duntaxat amice monere, ut à periculoſa conſequentia ſibi caveret.* Namque poſterius quod

attinet; ſpes haud ulla erat, tales monitiones poſſe quicquam apud illum proficere, aut iis ab illo impetrari, ut publice palinodiam caneret, ac Pſeudo criticam edito ſcripto impugnaret ipſe, atque à fundamentis, ſicuti à me factum, ſubrueret; quæ unica ratio cavendi à periculoſis peſtilentis iſtius Operis conſequentiis ſupererat. hoc autem quum non niſi ſtultiſſime ab ipſo, ambitione & φιλαυτίᾳ ſupra omnem modum tumente, ac amore flagitioſiſſimæ iſtius Pſeudo-criticæ penitus dementato, expectari poſſet: non debui ipſum monere, quod fuiſſet Æthiopem lavare velle, ſed monendi mihi fuerunt omnes alij, in quorum manus fortaſſe nefarius ille liber venturus eſſet, ut à pernicioſa eius doctrina ſibi caverent, ne forte incauti ullam partem veneni in eo latentis, ac per omnes eius angulos ſparſi, haurirent. Quod verò eſt de *hoſtili in ipſum animo*, quem mihi hic tribuit, ac de *odio*, *livore*, *invidia*, *malignitate*, quæ tum eadem pagina, tum alibi ſæpius, mihi imputat, ac quibus me impulſum vult calamum in ipſum ſtrinxiſſe: ſi iſtas contra eum ſcribendi cauſas habuiſſem, ac non unicam iſtam, quam in calce Epiſtolæ meæ veriſſime profeſſus ſum, *quod cernerem eum tueri ſententiam, quæ mihi ſumme falſa, inque ſacrum Dei Verbum unice iniuria uidebatur*; non præteriiſſem ſilentio ſcurrilia illa dicta in Criticæ Defenſione, adeo nullius excuſationis capacia, ut haud aliam in Apologia viam ea deprecandi inire potuerit, quàm eorum culpam in filium derivando, acſi is ipſo inſcio illa de ſuo inferſiſſet: quæ adeo me non latuerunt, ut ea non modò deprehenderim, ſed & aliis, ac quidem ipſis Capelli amicis, monſtraverim, antequàm omnino Epiſtolæ Anti-criticæ ſcriptionem inchoaſſem. Quod ſi conſilium mihi fuiſſet, ut ſæpius me criminatur Capellus, in hominum odium & contemtum adducere, non Pſeudo-criticam tantum (de qua id non diffiteor, quum eam habeam pro ſcripto pernicioſiſſimo, in qua οὐδὲν ὑγιὲς, ſed omnia ulceribus ac tabo plena) verùm ipſum quoque; haudquaquam omiſiſſem tam amplam eum exagitandi ac traducendi occaſionem, quam propudioſa iſta dicteria mihi ſuppeditabant: id quod feci tamen, quia ad rem ipſam, atque ad debellandam falſam illam de fictitiis Sacri Textus variis lectionibus ſententiam, quod mihi in Epiſtola illa penſum ſumpſeram, iſta nihil pertinebant. Eademque mihi cauſa fuit ſilentio tranſmittendi quamplurimas ineptias, ſumme abſurdas & ridiculas, quibus infœlix illa & verè ſacra Critica quaquaverſum aſperſa eſt; uti apparebit è pauculis exemplis, quæ hic apponam in ſpecimen reliquorum. omnia enim huc

comportare, atque illud Augiæ stabulum penitus everrere, neque libet nunc, neque vacat. Libro 3. cap. 9. §. 19. introducit „ nobis bellatores asinis vehentes, atque ex iis depræliantes: Se„ cundum τὸ cetib sensus hic videtur esse: *Asini sunt pro familia* „ *Regis ad equitandum:* ulehillachem, *& ad præliandum:* ut hoc „ velit Tsiba, futuros usui tum ad viam, vt iis vehatur Regis fa„ milia; tum etiam, si opus sit, ad pugnam. Eiusdem capitis §. 28. æque catum ipsi videtur, ut *facies* dicatur *pasci stultitia*, quàm ut de ore ista phrasis usurpetur, idque ut persuadeat, absurda ab„ surdis cumulat: Retineri non incommodè posset τὸ cetib, & legi „ *fene, facies.* eodem enim sensu dici potest *& os & facies stulto*„ *rum pasci stultitia*, hoc est, delectari tanquam suavi cibo, vel ex„ hilarari, quomodo mœsta famelici facies exhilaratur & reficitur, „ nitetque post famem luculento cibo sedatam. Expositione ista longe absurdissima aliam adhuc absurdiorem lib. 3. cap. 13. §. 23. adfert ad Ier. 17. 13. quo loco (ipsi pravè Ier. 28. 12. indigetato) itidem ac in duobus illis iam allatis, cetib manifeste corruptum defendere laborans, ex mera ingenij lasciuia, atque ad ostentandum singulare illud acumen stochasticum, de quo sibi tantopere placet, ac cuius fiduciâ potissimum nefariam istam Criticam „ nobis procudit, ita infit: Legi tamen posset *Iissurai*, castigatio„ nes meæ, *in terra scribentur*, id est, castigationes, quibus me in „ his terris castigas, habes in numerato, & quasi in libro descri„ ptas. Lib. 4. cap. 9. coccineum colorem ex sagulis militum in facies eorum transfert (instar Ægles Virgilianæ, quæ Sileno *Sanguineis frontem moris & tempora pingit*,) & *methullaim*, Nah. 2. 4. quod recta ratio & magnus Interpretum cõsensus iubet intelligi *coccineatos*, seu *coccineis vestibus indutos*, ipsi sunt *vermiculati, quorum facies rubet instar vermiculi*. Lib. 4. cap. 17. § 3. inelegans ei videtur, ut res incorporea conferatur corpori, quum eiusmodi comparationibus nihil frequentius sit tam in Scriptura Sacra, quàm in Externis scriptoribus; ac elegans ipsi est, ut viro „ tribuantur ubera quæ sugantur: Elegantior est similitudo, qua „ ubera lagunculæ vini præstantissimi comparantur, & præferun„ tur, eâ qua res incorporea, ut est amor, rei corporeæ, vino pu„ tâ, confertur. hoc nempe vult, longe delectabilius esse, ubera „ ipsius velut sugere, atque iis inhærere, quàm lagunculam aut „ utrem vini generosissimi exhaurire. Ibidem, agens de Psal. 33. 7. & applaudens similitudini illi, quæ pravæ punctationi innixa, aquas maris velut in utrem condit, pro inficeta eam

damnat, qua illæ acervo comparantur: Vult Pſaltes Deum „aquas marinas in maris alveo concluſiſſe —— quomodo nos „ſolemus vinum —— utre concludere —— eleganti & lu„minis plena ſimilitudine, cui de elegantia multum decedit, ſi „legamus *cumulum*. nam cumulus non eſt rerum liquidarum, ſed „ſiccarum. ubi neſcias quid prius admireris, ſummamne iſtius iudicij fatuitatem, cui ſordet ſimilitudo & in ſe adeo proba, ac elegans, & in Scriptura ſacra toties uſurpata; an incredibilem iſtius rationis futilitatem, quæ ipſi ſtatuminando advocatur, *acervus* enim ob idipſum, quia eſt rerum ſiccarum, aptiſſimus eſt cui aquæ marinæ, à Deo cohibitæ ne diffluant, ac terras inundent (qua de re dicto loco Pſaltes loquitur) comparentur; ſumme ineptus ad id futurus, ſi rerum eſſet liquidarum. Eiuſdem capitis §. 9. ait, Prou. 5. 16. *damnari Spartanorum morem, qui coninges ſuas facile proſtituebant*: quæ paucula verba duas complectuntur abſurditates maxime ridiculas. namque ex neceſſitate illa, qua lex maritis, qui poſt diuturnum aliquot annorum matrimonium nullos ex uxore liberos ſuſceperant, iniungebat illam alteri id petenti ad tempus commodare, vellent nollent; exculpſit morem uxores facile proſtituendi: & legem illam, vel morem, vult damnari à Salomone, quo Lycurgus, legis iſtius auctor, aliquot ſæculis poſterior fuit. ut non dicam nunc, etiamſi iam tum ævo Salomonis inter Spartanos fœdum iſtud inſtitutum obtinuiſſet, haud meliore colore dici poſſe illud à Salomone damnatum, quam permiſſum in eadem Republica furtum clancularium, conſuetamque ibi virginum nudarum inter medios iuvenes exercitationem: niſi ſi Spartanis, ac non Hebræis, ſententias ſuas ſcripſit Salomon; aut ab illis ad hoſce iſta morum corruptela manavit: cuius rei in Sacra Scriptura nullum ne minimum quidem veſtigium extat.

Appendicis pag. 469. contendit, *vero propius eſſe, ut codex 70. Interpretibus à ſummo Pontifice traditus, emendatiſſimus fuerit, ac tantæ vel etiam maioris autoritatis, quam codices, qui poſt tam horrendam Antiochi Epiphanis adverſus Iudæos perſecutionem, ignem & flammam (cui ex edicto illius Tyranni tradebantur libri ſacri) evaſerant, ac ſuperſtites & incolumes in gente illa ſic miſere afflicta remanſerant*: quaſi verò Antiochi perſecutio, & ignis ac flamma, obeſſe potuerint codicibus, qui ea evaſerant, & ſuperſtites ac incolumes remanſerant. Iſta, alia-que eiuſdem generis innumera, haudquaquam ſicco pede præteriiſſem, ac penitus intacta reliquiſſem, ſed ſuis coloribus depicta in ſcenam produxiſſem, ſi li-

more aut odio in ipsum Capellum motus, sicuti falso mihi obiicit, consilium contra ipsum scribendi cepissem, eum ve hominum irrisui exponere mihi proposuissem; cuius sane rei tot tamque intolerabiles ineptiæ, quibus tota Pseudo critica undique scatet, amplissimam mihi materiam submini strabant. Verum ego non cum ipso certamen mihi sumseram, uti ex isto silentio meo manifestum est, sed cum Pseudo-critica, & cum illa quoque non universa, neque cum omnibus eius erroribus & nugis, sed cum illis duntaxat, quæ ad præcipuum eius caput, atque ad nefarium illum conatum, conspurcandi sacrum Textum Hebraicum innumeris corruptelis, ac variis lectionibus commentitiis & chimæricis, pertinent: quem conatum fateor mihi summo odio ac detestatione dignum visum; & sedulo me id adnisum, ut aliis quoque eum invisum & execrabilem pro merito suo redderem. Tertium eorum, quæ in prædicta Capelli *βίβλῳ* culpabam, est puerilis exceptiuncula, qua consilium evertendi sacri textus Hebraici authoritatem sibi iniuste à me imputari quiritatur, *quia id non sit professus*, nimirum totidem verbis: quasi verò talis professio esset necessaria, quando aliunde id, quod ipsi objeci, est manifestissimum, ac sponte incurrit in oculos cuiusvis Pseudo-criticam lectitantis, utpote inevitabiliter fluens ex iis, quæ in illa pertractantur. Negat quidem hoc Capellus, ac *vult ex iis, quæ dicit de variis lectionibus, ne per consequentiam quidem deduci posse*, non modò *quod Textus Hebraici authoritas* sic destruatur & evertatur, *sed vel occulte & tacite imminuatur*: aitque, *debuisse me consequentiam illam solide & aperte probare & demonstrare, priusquam consilium evertendi sacrum textum Hebraeum ipsi imputarem; id quod nequaquam fecerim*. Ad quod respondeo, probationem illam, quam hic à me postulat Capellus, me exhibuisse quàm amplissimam, non quidem ipsi, à quo dementis esset dementiâ plus quàm Capellianâ, quicquam tale expectare, aut putare ullam satis rem ei contra ipsum probari posse; sed omnibus aliis mortalibus, non ab ipso dementatis, ac sensu duntaxat communi præditis: de quibus nemo ne dubitabit quidem, quin plenissime sequatur, Textus Hebraici authoritatem evertipenitus atque destrui ab eo, qui doceat ea, quæ Capellum docere ostendi totis sex Epistolæ meæ paragraphis, ab initio paragraphi quarti ad finem paragraphi noni. Quænam enim textui Hebraico adversus Veteres Interpretes authoritas supereſt, si ubicunque aliquis istorum ab ipsius verbis quomodocunque discrepat, ad Interpretes ita ab Hebraico discrepantes æque attenden-

dum est, atque ad Codices nostros hebraicos, nullâ huic super illos prærogativâ relictâ, nisi quam commodior sensus dederit; quum omnes codices Hebraici, qui uspiam hodie inveniuntur, pro unico duntaxat Textus Hebraici originarij exemplari habendi sint, uti Veteres Interpretes omnes pro totidem aliis? Sane in tanta tamque aperta Veterum Interpretum cum Codicibus nostris Hebraicis exæquatione, nulla nec umbra authoritatis hisce erga illos relinquitur, quantum quidem ad id discrimen de quo nunc agitur, & quantum ad quascunque in ipsis verbis discrepantias. Et sicuti isto pacto omnis authoritas & certitudo Textui hebraico perit; ita integritatis quoque laus ei à Capello demitur, dum statuit ac pronuntiat, in plurimis istorum locorum, ubi ita Veteres Interpretes à textu nostro Hebraico discordant, maiorem sensus commoditatem (quod unicum Capello integræ sinceræque lectionis κειμήλιον) ab illis stare contra istum. Absurde igitur ac futiliter me criminatur, quod Textus Hebraici eversionem ipsi contra mentem eius & absque ulla probatione imputaverim; quū illa, quæ dictis paragraphis asserui ac allegavi, & quæ contra ineptissimas Capelli cavillationes ac tergiversationes tertio, quarto, ac quinto huius libri capite abunde defendi, planissimam faciant meę accusationis, de eversa ab ipso Sacri Textus authoritate ac sinceritate, rectitudinem ac veritatem. Sed garrit contrà: *Se incorruptionem Hebraici Textus defendere, atque in ipso Criticæ limine præstruere: monere se, & ubique inculcare, eum quidem corruptum non esse, sed varias duntaxat in variis eius codicibus inveniri lectiones, quæ aliud sint à corruptione: tandemque, dicere se ubique, Textum hebraicum fontem esse, ad quem Translationes examinari debeant, ubi ab eo variant.* Verùm ista nihil aliud sunt, nisi fœda sophismata, ac præstigiæ meræ, ad fascinandos incautiorum oculos à Capello excogitata. Namque incorruptio illa, quam Textui Hebraico in Pseudo-criticæ ingressu astruit Capellus, non de omnibus agit corruptelis, sed de illis duntaxat, quas nonnulli causati sunt, *malitiâ & fraude Iudæorum, fuisse ab iis datâ operâ & certo consilio in eum invectas:* à qualibus corruptelis potest textus Hebraicus, ut alius quivis liber, immunis esse, & tamen aliunde esse corruptissimus; id quod exemplis quamplurimis & summe insignibus doceri posset. sed vice omnium esto unicum, proprie pertinens ad rem nostram, atque ad Textum Hebraicum. quippe Morinus, Capelli collega in nefaria ista molitione ipsum evertendi, atque omni authoritate expoliandi, itidem à malitiosis illis atque datâ operâ in-

troductis corruptelis liberos pronuntiat codices noſtros hebraicos tum alibi, tum Exercitationis Anti-biblicæ primæ capite quarto: & tamen habet eos pro corruptiſſimis; utpote corruptionis damnans omnes illos locos, ubi ipſorum verbis cum verbis Græcæ tranſlationis diſconvenit; qui, ut omnibus notum eſt, ſunt innumeri, & ſæpiſſime quam maximi momenti, ſenſumque longe diverſiſſimum efficientes. Deinde, quod dicit Capellus de diſcrimine inter corruptiones & varias lectiones, etiamſi ei concederetur totum, nihil tamen iuvaret ipſum: quandoquidem ſic abſolveretur quidem Textus Hebraicus ab omnibus iſto reſpectu corruptelis, ſed maneret tamen ſumma eius infinitis in locis incertitudo; cuius importationem Capello æque vitio do, & multo adhuc magis, quam corruptionum. Quo enim liber aliquis pluribus alicuius momenti Variis lectionibus ſcatet, eo textus eſt magis ambiguus, ac genuina eius lectio incertior; quum canon ille, de dijudicando inter illas ex maiore ſenſus commoditate, ſæpiſſime nos fallat, ob rationes illas, quæ ſequenti capite fuſe atque ex profeſſo exponentur. nullus autem in mundo liber tot tantiſque abundat variis lectionibus, ac Textus Hebraicus, ſi locum habet innovatio Capelli, omnes omnino Veterum Interpretum à verbis eius diſcrepantias nobis pro totidem variis ipſius lectionibus obtrudentis.

Prætereà vel falſa ex parte eſt in præſenti negotio illa inter Varias Lectiones & Corruptiones diſtinctio, vel à propoſito penitus aliena. namque ſi ea intelligatur de imaginario illo Capelli Textu Hebraico, de quo egi Epiſtolæ paragrapho nono, ac cuius vult Codices noſtros hebraicos eſſe tantummodo unicum exemplar, uti Veteres Tranſlationes omnes totidem alia; tunc poterit quidem eam meliori colore defendere Capellus, ſed à propoſito noſtro, atque ab illa controverſia, quæ mihi cum ipſo intercedit, erit in totum aliena: quum ego nuſquam loquar de chimærico illo textu, qui extra delirum Capelli cerebrum nullibi terrarum extat, aut extitit unquam, ſed de eo, qui inter manus noſtras verſatur, ac quem codices noſtri nobis repræſentant. Is autem quum varias illas lectiones ſcilicet, ex Tranſlationibus ab ipſo diſcrepantibus exorientes, nuſpiam exhibeat, corruptus erit omnibus illis in locis, ubi maior ſenſus commoditas (ſolus, Capello Iudice, veræ ac germanæ lectionis canon) ab Interpretibus ſteterit; quippe qui ibi præpoſteram ac depravatam lectionem, eamque ſolam, præ ſe ferat, abſque ullo alterius & melioris vel tenuiſſimo

indicio

indicio aut vestigio: ut propterea à manifesta corruptione in omnibus illis locis excusari nullatenus queat. unde apparet, quàm fatue ac futiliter Capellus suam illam inter corruptiones ac variantes lectiones distinctionem mihi opponat. Quod autem tertio ac ultimo loco ait, *Dicere se ubique, Textum hebræum esse fontem, ad quem examinari debeant Translationes, ubi ab eo variant;* vel simili laborat stultitia hoc responsum, ac præcedens, si pro eo textu, de quo mihi cum ipso lis est, illum suum fictitium mihi reponit rursus, vel est longe falsissimum. In omnibus enim, quæ verba ipsa spectant, discrepantiis, nihilo magis Veteres Interpretes ad Textum nostrum examinari vult, quam hunc ad illos, sed utrosque ad communem canonem commodioris sensus; ita ut illa lectio vincat, quam maior sensus convenientia commendaverit, sive illa in Textu Hebraico, sive in quocunque istorum Interpretum occurrat. Iste autem casus, quo solo Interpretes ad Textum nostrum Hebraicum expendi ac corrigi iubet, quando nimirum nulla in ipsis verbis est discrepantia, sed circa vocum ac phraseon significationem Interpretes sunt hallucinati, easque perperam transtulerunt; is inquam casus ad negotium nostrum prorsus nihil pertinet; ideo-que, si de eo intelligi verba sua voluit Capellus, mentionem eius, æque ac Textus illius chimærici, præpostere omnino ac sophistice hic injecit. Ille enim à proposito penitus est alienus, cum nulla mihi cum ipso controversia super eo intercedat. Manet igitur, & ratum fixumque est, Textum Hebraicum omni in Veteres Interpretes authoritate exui à Capello, & partim multis magnisque corruptelis commaculari, partim summa infinitis in locis incertitudine repleri, per prophanam illam ac nefariam innovationem, qua Veteres Interpretes omnes, nemine excepto, Textui nostro Hebraico ita adæquat, uti eorum quemque, itidem ac huiusce codices omnes simul sumptos, pro uno textus primigenij exemplari agnoscere debeamus; ut proinde non maius horum in illos, quàm contra, sit imperium, in omnibus illis locis, ubi aliqua discrepantia, non circa vocum ac phrasium significatum, sed circa ipsas voces, inter illos occurrit; & omnis illa lis, utra lectio præferenda sit, illa ne Codicum nostrorum Hebraicorum, an illa priscarum Translationum, haud aliunde, quàm ex sensu ipso, & maiore eius commoditate, possit decidi. Ideoque iustissimam causam habui dicendi, Capellum hic tueri sententiam, quæ uti *summe falsa*, ita *in sacrum Dei Verbum unice iniuria sit*; idemque vecordiæ spiritus, qui ad nefandam istam molitio-

nem eum adegit, ipsi quoque dictavit amentia ista verba, quibus æquissimæ isti meæ censuræ ita occlamat pag. 9. ut dicat, *me hic turpissime hallucinari, ac mero in ipsum odio excæcatum, pueriliter desipere.* ac nihil addi potest ad illam impudentiam, qua haud erubuit dicere pag. 32. *Non cuiquam magis quàm mihi cordi est codicum hodiernorum authoritas & sinceritas, eamq; in critica pro virili tueor & defendo, & quidem non minus, uti puto, fortiter, quàm vel olim doctissimus De-muis, vel hodie etiam doctus Flavignius.* Quod si pro *Codicum hodiernorum*, dixisset *codicum hebræorum*, aut *codicum originariorum*, uti pag. 111. ubi ultro gratias sibi agi postulat pro flagitioso isto conatu, tanquam optime merito de sacris literis, & textu originali (*Hoc est*, inquit, *de sacris literis bene mereri, tantum ab-est ut sic earum dignitas violetur, vel authoritas minuatur, ut contra potius faciat id ad restituendam veram magisque genuinam textus originalis lectionem*) aliquem saltem excusationis colorem sibi reliquisset in vesano illo suo commento, quo textum hodiernum à textu primigenio tanquam diversum, ac plurimis in locis magnopere discrepantem, distinguere solet: quomodo sane Defensionis Criticæ pag. 643. Domino Muisio, querenti *nimis ab ipso deprimi Textus Hebræi authoritatem*, ita respondet, ut Textus Hebræi autoritatem quidem à se deprædicari dicat, illum autem Textum à Textu nostro Hebræo, quem usitatis ipsi & Morino nominibus *Iudaici* & *Masorethici* afficit, sejungat: *Vbique tota Critica, & eius adversus Censorem defensione, authoritatem textus Hebræi deprædico & commendo: dico tantum, hodierni codicis Iudaici & Masorethici lectionem interdum videri minus commodam, quàm illam* ℣ 70. *Paraphrastarum, Hieronymi &c. id quod variis exemplis prolatis ostendo.* Ast audaciæ est & inverecundiæ penitus intolerabilis, adeoque in-auditæ, ut is audeat gloriari *hodiernorum codicum authoritatem & sinceritatem sibi haud minus, quàm vel fortissimis eorum defensoribus, cordi esse*, qui tam graviter ac tam indignis modis eos violavit, non modò in Pseudo-critica, sed in hac ipsa Apologia, in qua nefandi istius libri omnia portenta, & iniuriosissima quæque in codices Hebraicos hodiernos deliria, mordicus retinuit, uti supra planum feci permultis testimoniis inde productis, quibus alia consimilia quamplurima adhuc addi possent. sed ex ingenti acervo paucula quædam delibasse sufficiat. Pag. 16. agnoscit *hodiernum codicem Hebraicum* (quem ipse ibi, uti alibi sæpius, quod & iamiam quoque notavimus, contumeliose *Iudaicum* indigetat, Morini exemplo, acsi textus ille Iudæo-

rum peculium eſſet, ad Chriſtianos non attinens) *eſſe tantùm unum textus authentici exemplar*; addens *tam hoc, quam illa Veterum Interpretum à primævo textu Moſis & Prophetarum, magnopere diſcrepat. ac quamplurimis locis diversùm abit.* iſtiſque conſequenter pag. 17. profitetur. *illam* modò *lectionem* ſe velle *haberi pro authentico fonte Hebræo, ſeu pro genuina ipſius autographi lectione, ubi nullus eſt inter Interpretes diſſenſus ab Hodierno codice Hebræo*; (qualia repetit etiam pag. 18. aiens, *Vbi conſentiunt de lectione omnes Interpretes, iſtic hodierni codicis lectio cenſenda eſt authentica*) ſicuti contra, *quando ab eo diſſentiunt, non niſi ex ſenſu dignoſci poſſe, utri ab autographo diſceſſerint.* Et pag. 16. magnam ſe Textui hodierno gratiam facere putat, quod *non velit ubique eius lectionem reiici, ſed illis tantum locis, ubi oſtendi poteſt, aliam ex Veteribus Interpretibus ductam fundere ſenſum meliorem.* Illud autem, *ut Veterum Interpretum lectio ſenſum meliorem ſignat hodiernâ, ideo-que ei præferri debeat*, affirmat pag. 15. & 17. ſæpiſſime accidere, idque plurimis exemplis à ſe demonſtratum iactitat. En tibi egregium hodiernorum codicum Hebraicorum defenſorem, qui rite ac vere gloriari poſſit, ſibi æque, ac cuiquam alteri, eorum authoritatem & ſinceritatem cordi eſſe. Nam inſignis ſanè ea eſt authoritas, qua ipſis non conceditur, ut uſpiam eorum lectio habeatur pro authentica, niſi ubi Veterum Interpretum nullus ab ea diſſentit; & admirabilis ſinceritas, quum ipſorum lectio, ipſo ſanciente, quamplurimis in locis ſit reiicienda tanquam vitioſa & corrupta, atque illa Veterum Interpretum ei præferenda.

CAPVT VII.

Amplius oſtenditur, illam Capellianæ ſententiæ partem, quæ omnes Veterum Interpretum locos, à Textu Hebraico diſcrepantes, ipſi exæquat, inque eodem pretio haberi vult, modò ſenſum commodum fundant; ſummè iniuriam eſſe in Veritatem Hebraicam, omnemq; ei in illis locis authoritatẽ & certitudinẽ demere.

MOnſtratum eſt ſuperiori Capite, innovationem Capelli, de omnibus Veterum Interpretum, quorumcunque à verbis

Textus noſtri Hebraici diſcrepantiis habendis pro totidem ipſius variationibus, ſeu variis lectionibus, inter quas ex ſolo ſenſu, eiuſq; maiore commoditate, diiudicandum ſit, quænam ex iis alteri alteriſ. ve præferri, ac pro vera & genuina textus originarij lectione haberi debeat; ſummopere iniuriam eſſe in Veritatem Hebraicam, idque duobus modis. Sunt enim complures in Veteribus iſtis Tranſlationibus loci à verbis Textus Hebraici deviantes, qui ſenſum videntur parere commodiorem, quàm ipſa verba Hebraica, quæ proinde ibi corrupta eſſe atque depravata exiſtimandum eſt ex Capelli ſcito, ipſoque id ultro agnoſcente, ac palam profitente, & compluries iactitante ac inculcante. quo pacto ingens corruptelarum numerus in plurimos Codicum Hebraicorum locos, revera ſinceros atque optime ſanos, importatur. Præterea infinitus eſt numerus locorum eiuſdem Textus Hebraici, qui, receptâ Capelli ſententiâ, non quidem diſerte corruptionis condemnandi venient, ut præcedentes, ſed in quibus magna tamen corruptionis ſuſpicio hærebit, ac in quibus plane incertum erit, neque ullo ingenio humano decidendum, num textus Hebraicus ibi integritatem & ſinceritatem primævam retinuerit, taliſque, qualis ab initio fuerat, perſtiterit, an verò ibi quoque degeneraverit, & vitium ac labem paſſus ſit. Poſterius hoc, de ſumma veræ lectionis incertitudine, per profanam iſtam ac nefariam Capelli molitionem in locos Hebraicæ Veritatis propemodum infinitos invecta, animus eſt hic ex profeſſo tractare, atque ea, quæ capite præcedenti ſuccinctius ac per compendium de ea fuerunt dicta, fuſius impræſentiarum explicare. Sciendum igitur eſt, Capellum illas Veterum Interpretum à codicibus noſtris Hebraicis diſcrepantias ad tria ſumma Capita referre; quippe qui velit canonem illum, ab ipſo decantatiſſimum, de cenſenda in iſtiuſmodi variationibus vera ſinceraque lectione ex maiore ſenſus convenientia, alibi quidem ſtare pro Hebraicis Codicibus contra Veteres Interpretes, alibi verò contrario plane modo pro Interpretibus contra dictos codices: quandoque autem rem in medio relinquere, neque quicquam adiumenti adferre, unde certo dignoſci queat, utra lectio alteri mereatur præferri, quum utraque ſenſum probum & commodum gignat. Tertium iſtud, de quo proprie hic agitur, tradit Pſeudo-criticæ lib. quarto cap. 16. §. 6. hiſce verbis: Non rarò ſenſus, qui ex utraque lectione exurgit, „ eiuſmodi eſt, ut difficile ſit ſtatuere, uter aptius quadret, com„ modior-ve aut verior ſit. atque tum non eſt actius de varia le-

„ctione contendendum aut dimicandum, quando perinde est „utram sequaris. liberum esse debet cuique, hanc vel illam se-, qui &c. istisque consonant hæc ex Apol. pag. 38. *Neque modò si meliorem, verum etiam si tam bonum & commodum sensum fundit lectio τῶν 70. quàm hodierna, tam haberi debet illius ratio quam istius.* Putaverit fortasse aliquis, paucos esse locos, qui ad tertiam istam classem pertineant, ac raro admodum in illis Veterum Interpretum à Textu nostro Hebraico discrepantiis contingere, ex Capelli mente, quin aut illi hunc vincant, aut hic illos. sed rem longe aliter se habere, facile perspiciet, quisquis consideraverit, quid à Capello requiratur in istis dissidiis, ut lectio aliqua pro vitiosa & prava reiiciatur. Sancit nimirum, dicti capitis 16. lib. 4. paragrapho quinto, quod *illa lectio reiicienda est tanquam adulterina, quæ sensum parit vel nullum, vel insulsum atque absonum, & aperte falsum, perplexum, incommodum, antecedentibus, consequentibus minime cohærentem, ἀπροσδιόνυσον, menti & scopo scriptoris & scripturæ reliquæ adversum, aut minime consentaneum.* Iam innumeri sunt loci in vulgata Versione græca, quam τῶν 70. dicunt, uti & in aliis Translationibus Veteribus haud pauci, ubi quum Interpretes quàm longissime ab Hebraica Veritate abeant, sensusque ab iis, qui ibi conspiciuntur, summopere diversos exhibeant; interpretamenta tamen eorum talia sunt, ut nulla istarum notarum, quas requirit Capellus, ut lectio aliqua reiiciatur tanquam adulterina, iure in ea aptari possit. & quidem capitalium istarum diversitatum, quibus integra capita, integræ narrationes, integri versiculi, integræ periodi, integra commata textui Hebraico vel superadduntur ab Interpretibus, vel detrahuntur, longe maxima pars huc pertinet: siquidem in plerisque istarum tum additionum, tum imminutionum, difficile admodum factu est, atque adeo impossibile, eas per indicia à Capello designata, aut per ulla alia, fa si convincere, & adulterij ac παραχαράξεως reas peragere, si unicum ac certissimum illud κριτήριον, examinationis ad Fontes Hebraicos, seponatur, uti id seponi omnino vult Capellus; quippe qui in hoc negotio haud maius Fontium in Interpretes, quàm istorũ in illos, ius esse statuat, atque utrosq; isti communi canoni, veram falsamve lectionem ex sensu commodo incõmodo-ve diiudicanti, ex æquo submittat. Sed & in illis locis, ubi nihil magnopere vel additur vel omittitur, omnisque inter Hebraicam Veritatem & Interpretes diversitas vel nequaquam, vel haud principaliter, in superfluitatibus defectibus-ve consistit, sed in immutationibus, at-

que in eo, quod pro verbis Textus Hebraici alia longe diversum sonantia, minimeque eiusdem sensus capacia, substituerunt; eandem rem, quam modò de alteris illis differentiis notabamus, observare est. Namque hic quoque sæpissime usu venit, ut loci ita ab Interpretibus immutati ac perversi, atque à vero Hebraicorum verborum sensu in longe alium atque alienum transformati deformati-que, sententiam tamen contineant, quæ seorsim atque in seipsâ spectata, non possit iure *nulla*, *absona*, *aperte falsa*, *perplexa*, *incommoda*, *incohærens*, ἀπρασδιόνυσος, *aut menti scriptoris*, *Scripturæ-ve reliquæ*, *adversa* censeri. Exempli gratia, Prov. 24. 6. posterius hemistichium ita se habet in Græca Translatione: βοήθεια δὲ μετὰ καρδίας βουλευτικῆς, quod Nobilius ita latinè vertit, *auxilium autem cum corde consilium habente*: quæ sententia, si per se consideretur, nullo istorum incommodorum laborat, quæ nobis proponit Capellus, ut lectio aliqua pro falsa & adulterina repudiari debeat; ideo-que dubios nos & incertos hærere necessum est, si Capello credimus, ita-ne in Proverbiorum autographo scriptum fuerit, quomodo ista interpretatio præ se fert, an verò ita, quomodo nos locum illum in codicibus nostris sensu valde diverso legimus, ותשועה ברב יועץ, *& salus est in multitudine consiliariorum*. magnum illud in sensu discrimen unica peperit literula, dum 70. *lamed* pro *resch* perperam legentes, ex *rob* fecerunt *leb*. quum autem Salomon alterutrum istorum duntaxat pronunciaverit scripserit-ve, & si dixit *leb*, non dixit *rob*; si verò dixit *rob*, non dixit *leb*; necesse est alterutram istarum lectionum esse vitiosam & corruptam. utri autem vitium insit, nemo mortalium expedire quiverit, si Capelliano Canone litem istam dirimere tentaverit, quum utraque sententia, tam illa Hebraici textus, quàm illa græcorum Interpretum, proba sit & bona, omnibusque illis incommodis libera, quæ ad dignoscendam adulterinam lectionem nobis proposuit Capellus; ideoque tam causari aliquis potest, si Capelliano commento locus est, labem ac corruptelam hic hærere in textu Hebraico, quàm in Translatione græca, atque ita nobis extorquere, aut saltem dubiam incertamque reddere authoritatem præclari istius moniti, & tanti in Republica tractanda usus, quo Principibus præcipitur, ut non sibi ipsis tantum, aut uni alteri-ve consiliario fidant, sed aliquammultos spectatæ prudentiæ viros super gravioribus quibusque negotiis in consilium adhibeāt: quod quidem præceptum haud uspiam alibi totâ Scripturâ occurrit, nisi supra eiusdem libri cap. 11. vers. 14. ubi Sept. non quidem

eundem errorem, mutandi *rob* in *leb*, admiſerunt, ſed tamen minus accurate vim verborum Hebraicorum expreſſerunt, dum ἐν πολλῇ βουλῇ, *in multo conſilio*, pro ἐν πλήθει βουλευτῶν *in multitudine conſiliariorum*, dixerunt. Reliqui quidem Interpretes Veteres magno conſenſu Veritati Hebraicæ contra Sept. illic aſtipulantur, atque veram lectionem, quæ *rob* habet, contra corruptam illã τὸ *leb*, confirmant. Syrus enim vertit בסונאא דמלכא: chaldæus, בסוגעא דמלכנא: Sym. & Theod. ἐν πολυβουλίᾳ: Hie. *ubi multa conſilia ſunt.* ſed hoc nequaquam iuvat textum Hebraicum, à quo ſi vel unus tantum Veterum Interpretum diſſentiat, reliqui Interpretes, etiamſi unanimiter omnes vel exactiſſime ei aſtipulentur, tueri eum non poſſunt, ſecundùm Capelli placita, quominus & varia lectio ibi in eo ſtatuenda ſit, quiſcunque tandem ex illa unius Interpretis diſcrepante verſione ſenſus exurgat; & quominus diſcors illa Interpretis lectio, ſi commodum aliquem ſenſum præ ſe fert, Hebraicæ Veritati de genuina ac ſincera lectione litem movere poſſit, & dubium facere ac incertum, num hæc potius quam illa à primæva lectione, qualis in ipſis autographis fuit, deſciverit. In eodem Proverbiorum Capite 24. verſus quatuor, verſum iſtum ſextum proxime ſequentes, longe adhuc gravius, & quam monſtruoſiſſime à Fonte diſcordant, non in una alteraq; vocula, ſed univerſi, ita ut ſenſus illius, quem hic exhibet, ne veſtigium quidem aut umbram græca tranſlatio repræſentet. Namque verſum ſeptimum, qui Hebraice ſic legitur, רָאמוֹת לאויל חכמות בשער לא יפתח פיהו, & quem Pagn. ſic vertit, *Excelſiores ſunt ſtulto ſapientiæ* (id eſt, *arduum nimis eſt ſtultis omne ſapientiæ genus*) *in porta non aperiet os ſuum:* eandem lectionem exhibente etiam Syro, חכמתא רמא לסכלא ובתרעא לא פתח פומה, & chaldæo, ſed minus accurate quoad prius hemiſtichium (quum in altero omnia eadem ac Syrus verba uſurpet, quæ propterea repetere ſuperfluum duximus) מתרעם שטיא בחכמתא, itemque Hier. *Excelſa ſtulto ſapientia, in porta non aperiet os ſuum:* Sept. hoc modo corruperunt, σοφία καὶ ἔννοια ἀγαθὴ ἐν πύλαις σοφῶν, σοφοὶ οὐκ ἐκκλίνουσιν ἐκ στόματος κυρίου: *ſapientia & cogitatio bona in portis ſapientum, ſapientes non declinant ab ore Domini.* Verſus octavus talis eſt in Hebraica Veritate: מחשב להרע לו בעל מזמות יקראו, id eſt, Interprete Pagnino, *Cogitantem malefacere, virum malas habentem cogitationes vocabunt:* ſimiliterque in Syro (qui in poſteriori hemiſtichio

liberiorem quidem paulo, sed probam & elegantem, usurpavit interpretationem) דמתחשב למבאשו גברא עולא מתקרא, *qui cogitat malefacere, vir improbus vocatur:* & in Chaldæo: מאן דחשב למבאשא נקרון ליה מרי תרעיתא בישתא *Eum, qui cogitat malefacere, vocabunt authorem malarum cogitationum:* necnon in Vulgata (in qua nihil culpandum, nisi quod בעל מזמות parum accurate *stultus* vertit) *Qui cogitat mala facere, stultus vocabitur.* Istum autem versum in sermonem, sensumque penitus dissimilem Sept. depravaverunt, hoc modo: ἀλλὰ λογίζονται ἐν συνεδρίοις. ἀπαιδεύτοις συναντᾷ θάνατος: *Sed cogitant in consessibus. Indisciplinatis occurrit mors.* Versus nonus in Fonte est talis: זמת אולת חטאת ותועבת לאדם לץ. Pagn. *Cogitatio mala hominis stulti est peccatum, & abominatio homini est derisor:* quem ita expressit Syrus: תרעיתה דסכלא חטיתא וטמאותא דברנשא בישא, *Cogitatio stulti est peccatum & impuritas hominis mali:* & Chaldæus, תרעיתא דשטיא חטאה ומרחקתא דברנשא חכימא ממיקנותא, *Cogitatio stulti est peccatum: abominabilis autem homini sapienti est irrisio:* itemque Hieronymus, istis duobus in reddendo posteriore hemistichio accuratior; *Cogitatio stulti peccatum est, & abominatio hominum detractor:* & parili exactitudine Aq. Sym. & Theod. Ἐννοία ἀφροσύνης ἁμαρτία, καὶ βδέλυγμα ἀνθρώποις λοιμός: *Cogitatio stultitiæ [est] peccatum, & abominatio hominibus est vir pestilens.* Iam procedat in medium græca τῶν Sept. interpretatio istius versiculi, toto cœlo ab Hebraico, & à reliquis Interpretibus, Hebraicæ Veritati suffragantibus, discordans, quantum saltem ad priorem eius partem attinet: ἀποθνήσκει δὲ ἄφρων ἐν ἁμαρτίαις. ἀκαθαρσία δὲ ἀνδρὶ λοιμῷ: *Moritur autem imprudens in peccatis: immunditia autem viro pestilenti.* Versum decimum sic legimus in textu authentico: התרפית ביום צרה צר כחכה, eumque ita vertit Pagninus: *Remissus fuisti in die angustiæ: angusta erit fortitudo tua.* & fideliter eum expressit Chaldæus, אן תתרפי ביומא דעקתא מתתעיק חילך, *Si remittas te in die tristitiæ, contristatur robur tuum:* necnon Hier. *Si desperaveris lassus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua:* & Symmachus quoque, in priori quidem hemistichio, quod solum nobis servaverunt scholiastæ, στραγγένεσθαι ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως. Ast longissime ab istis abeunt Sept. quoad initium & finem versus, sic eum interpretati: Εμμολυνθήσεται ἐν ἡμέρᾳ κακῇ, καὶ ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως, ἕως ἂν ἐκλίπῃ: *Inquinabitur in die mala, & in die tribulationis, quoadusque*

aduſque deficiat. Ingentes illæ ac portentoſæ Tranſlationis græcæ τῶν 70. ab Hebraica Veritate per continuos quatuor verſiculos diſcrepantiæ, omnino ſunt de numero Capellianarum Variarum Lectionum, quum nullo modo poſſint compingi in numerum illarum diſcrepantiarum, ubi Interpretes dicit eadem quidem omnia in codicibus ſuis hebraicis legiſſe, quæ nos legimus in noſtris, ſed in aſſequenda duntaxat genuina vocum phraſeonque vi ac ſignificatione hallucinatos; & palam ſit, diſcrimen in ipſis vocabulis conſiſtere, & verba tranſlationis græcæ cum verbis textus Hebraici, qualem eum nobis exhibent codices noſtri, & qualem eum in codicibus ſuis repererunt Veteres Interpretes cæteri, conſiſtere nullo modo poſſe. Atque ſicut nihil facilius eſt, quàm cum Capello dicere, ad excuſandam iſtorum quatuor verſuum miſerrimam converſionem, aut potius fœdam perverſionem, in codice hebraico τῶν 70. longe aliter ibi ſcriptum fuiſſe, quam in codice noſtro, & in codicibus reliquorum omnium Interpretum, eoſque ita tranſtuliſſe, quomodo in codice ſuo legerunt, aut ſcriptum invenerunt: ita expeditum æque eſt in pleriſque iſtarum diſcrepantiarum proximitates illas, ac ſimilitudines, de quibus tantopere ſibi placet Capellus, ac in quibus paſſim proram puppemque cauſæ ſuæ, abſque ulla alia demonſtratione, collocat, (quanquam iis ne in centeſima quidem Variarum lectionum ab ipſo confictarum locus eſſe poteſt, uti antea oſtendimus) venari ac deprehendere, ſubſidio-que artium ipſi ſolennium, & tum additione, detractione, tranſpoſitione, copulatione, ſeparatione, tum permutatione vocalarum ac literarum aliquam (aliàs maiorem, aliàs minorem & longius petitam) affinitatem ſoni figurę ve poſſidentium, fabricari textum Hebraicum, à noſtro quidem ac genuino textu ſumme diverſum, ſed cuius verba verbis prodigioſæ iſtius tranſlationis reſpondeant, ut ſic totidem Capellianæ Sacri Textus Hebraici Variæ Lectiones ſcilicet nobis exoriantur. Ita verſu ſeptimo ſi חכמות ex medio retrahatur in principium verſus, ac mutetur ראמות in ומזמות, & לאויל in נאוות, ac יפתח in נטה, ſuppleaturque חכמים poſt בשער, ac מן ante יפיהו, habebimus textum hebraicum Tranſlationi græcæ reſpondentem, & vero ſincero-que textui diſſimillimum, quoad ſenſum & vocabulorum poteſtatem, ſed quadantenus affinem, ſi eorundem forma aut ſonus duntaxat ſpectetur. Idem dicendum de verſu octavo, ſi ex להרע fiat בעצה, & לבער ex לו בעל, ſi que duæ primæ literæ amputentur ex מזמות, & ultima ex יקראו.

Similiter versu 9. ex זמת *cogitatio*, fiet vox hebraica græcæ ἀπο-θνήσκει *moritur*, respondens, si levissima mutatione *zain* in *vau*, literam ipsi simillimam, transformetur. Et versu decimo, ut vocabulum Hebraicum habeamus vim τῦ ἐμμολυνθήσεται continens, dicemus Sept. in codice suo hebraico pro התרפית legisse התפרש, transposito *resch*, & mutato *thau* in *schin*, à *peres*, excrementa, quasi dicas *excrementari*, *excrementis oblini* (tantisper enim desipiendum est cum Capello, & vocabula hebraica effingenda, quæ non modò in nullo Textus authentici codice, sed ne in lingua quidem Hebræa fuerunt unquam) itemque eos duas voculas plus habuisse, quàm in nostris codicibus comparent, nimirum ביום רעה ante ביום צרה, nisi si alterum istorum, ἐν ἡμέρᾳ κακῇ, aut ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως, glossema est: & in duobus ultimis vocibus eos pro יצר legisse ער (mutatis literis figura simillimis, *tsade* in *ain*, & *resch* in *daleth*) & כרה pro כחכה, extrito *cheth*, & mutato *caph* in *lamed*. En tibi Textum Hebraicum quatuor istorum versiculorum, translationi Græcæ respondentem, hoc est, qualem Græci isti Interpretes in codice suo Hebræo repererunt, si Capello credimus; qui vult, ut quoties discrepantia Veteris cuiusvis Interpretis consistit in Varia Lectione, hoc est, quoties verba earum cum verbis Veritatis Hebraicæ, stare nullo modo possunt, ita ut illa discrepantia nequaquam imputari possit illorum hallucinationi, qua eadem quidem omnia in codicibus suis, ac nos in nostris, legerint; sed in assequenda tantum vera vocum phrasiumque Hebraicarum vi aberrarint: qui vult, inquam, in isto casu ne superesse quidem locum dubitandi, quin Interpres ita in codice suo Hebræo legerit, quomodo translatio eius præ se fert, ac vocabula hebraica omnia in eo repererit eiusmodi, quæ verbis translationis ab eo datæ respondeant; jubetque nos ea de re æque certos esse, ac si ipsum Interpretis codicem Hebræum præ manibus haberemus. quippe ait Defens. §. 17. ex Translationum cum codice hodierno collatione *certo certius demonstrari posse*, quomodo authores earum in codice suo Hebræo legerint. Imò scisci, ex Versione non modò æque certo, sed *certius multo nobis constare*, *quod Interpres sic vel sic in codice suo legerit*, *quàm si præsentem haberemus codicem ipsum quo usus est*: quod dementissimum dictum, Epistolæ paragr. 4. & 19. à me allegatum ex dicto Defensionis loco, è-que paragrapho eius 17. retinet ac defendit Apol. pag. 41. quod quo successu fecerit, non est huius loci dispicere, quum id infra abunde præstituri simus.

Sufficit impræsens, quod ex regula Capelli *certo certius nobis constat.* Sept. quatuor istos versiculos ita circiter in Codice suo Hebræo legisse, quomodo supra dixi; idque æque certum est, imò *certius multo*, quàm si codicem illum ipsum præsentem haberemus. Quum autem lectio illa non pariat *sensum nullum, vel insulsum, absonum, aperte falsum, perplexum, incoharentem* &c. ratio eius æque magna habenda est, atque illius, quem in codicibus nostris conspicimus, & quem in suis reliqui Veteres Interpretes repererunt. Tales autem loci, in quibus. Veteres Translationes à Textu Veritatis Hebraicæ immensum quantum discrepant, & tamen sensum satis commodum nobis exhibent, æque ac in quatuor istis versiculis, hic in specimen adductis, ut propterea pro adulterinis condemnari ex Capelli mente nequaquam debeant; sunt penitus innumerabiles, adeo ut spississimum volumen inde confici posset (si quis ita eos tractare & examinare vellet, sicuti dictos versiculos fecimus) idque ex sola Translatione Græca τῶν Sept. cui volumini ingens adhuc accessio accresceret, si reliquorum quoque Veterum Interpretum consimiles loci, ad eundem modum à Fontibus Hebraicis discrepantes, ei adiungerentur, præsertimque Syri & Hieronymi. Etsi enim hi duo longe ac longe parcius, quàm Sept. ab Hebraica Veritate abeunt, atque in multis locorum millibus huius sinceritati contra istorum corruptelas exactissime astipulantur; persæpe tamen illis quoque contingit, uti à verbis Textus Hebraici, alibi quidem levius, alibi autem gravius, discordét. & utriusque istius rei luculentum in dicto specimine documentum habemus, consensus quidem per omnes quatuor versus in Hieronymo, per tres autem priores duntaxat in Syro; dissensûs autem in eodem, quantum ad quartum versiculum attinet, in quo enormiter ab Hebræo variat, æque ac Sept. sed longe alio modo. Ita enim eum reddit: ולעולא כישתא תרברי אנון ביומא דאולצנא, id est, *Iniustos autem* [seu *impios*] *abducet* [seu *abripiet*] *malum in die tribulationis:* è qua Translatione, etiamsi gravissime dissonat à Textu Hebræo (quippe cuius tria vocabula in alia literis quidem aliquatenus similia, sed vi & significatu dissimillima mutavit, primum quidem התרפית in את רשעים, duas autem ultimas, יצר כחבה, quas & loco movit, in רע ינחה) sensus tamen exurgit, qui omnino bonus in se est, & commodus; ideoque Syri quoque Interpretis lectio hoc loco, itidem ac Græci, utut ab Hebraica Veritate enormiter discordans, in *lectionibus* recipienda Textus au-

thentici, in codicibus noſtris extantis, nihilo-que magis, quam ipſe, ſpernendus aut reiiciendus. Et ſi aliquando aſpicere liceret beatum illud ſæculum, in quo in dias luminis oras prodiret præclara illa ſcilicet atque optabilis Sacri Textus Hebraici Editio, tam ardentibus votis à Capello expetita, & veluti pretioſiſſimum quoddam Chriſtianæ Eccleſiæ κειμήλιον ab eo exiſtimata & deprædicata, omnes omnino Textus Hebraici Varias lectiones Capellianas, ex Veterum Tranſlationum diſcrepantiis exculptas, nobis exhibens; haberent Sacra um Literarum Studioſi iſto loco, verſu inquam decimo Capitis 24. Proverbiorum, tres textus Hebraicos, immaniter à ſe invicem diſcrepantes, ſed eiuſdem pretij omnes & authoritatis; omni in totum præcluſa via, per quam indagari ullo-ve modo dignoſci poſſet, quis iſtorum alteri præferendus, ac cæteris reiectis pro vero ac genuino agnoſcendus eſſet: quod ipſum infinitis aliis in locis uſu veniret, ut pro germano Textu Hebraico unico & ſimplici, haberemus binos, ternos, quaternos, imò quinos alicubi & ſenos, prout plures paucioreſ-ve Interpretes ibi à verbis Veritatis Hebraicæ diſcrepare deprehenſi forent. Quanquam enim Codicibus noſtris Hebraicis vegrandem iſtum honorem habet Capellus, ut nolit receptam lectionem ex textu expungi in præclara iſta editione, atque alteras illas chimæricas pro iis ſurrogari, ſed haſce duntaxat in margine aut ſcholiis exhiberi, priorem verò loco manere: totus tamen ille honor nihil eſt niſi ludibrium merum, nullamque vel minimam Textui Hebraico noſtro ſupra ſpurios illos ac fictitios prærogativam relinquit. Nequaquam enim is impedit, quominus textus noſter libere, vel pro corrupto repudietur, ſi Tranſlationes ab eo diſcrepantes meliorem ac commodiorem ſenſum ſuggerere videantur, vel ad meram cum iis æqualitatem revocetur, ſi ſenſus utrobique boni & commodi, utut inter ſe diverſiſſimi, exiſtant. Vt hinc liqueat, quam ſtrenuus hodiernorum codicum Hebraicorum defenſor ſit Capellus, & quam rite jactitet, eorum authoritatem & ſinceritatem haud cuiquam magis cordi eſſe; qui non modo in locis quamplurimis lectionem eorum, ubi ſenſus inde exurgens ipſi haud ſatis arridet, duruſque aut inconcinnus videtur, pro deprauata & adulterina damnat, eamque Interpretum veluti genuinam ipſi præfert; ſed locis præterea innumerabilibus, ubi ſenſum ipſius confeſſione valde bonum & commodum exhibent, tam ignominioſe eos tractat, ut iis in Tranſlationes inde diſcrepantes nihil omnino iuris ſit, utut graves ac enormes ſint

illæ diſcrepantiæ; neque Tranſlationes magis ex iis, quam eos ex Tranſlationibus emendare fas ſit: aut cuiquam conſtare queat, in ullo iſtorum locorum, Codices-ne Hebræi, an Tranſlationes veram ſinceramque ipſorum Fontium & Autographorum ſcripturam nobis repræſentent. id quod eſt Veritatem Hebraicam non tantum omni penitus authentia & certitudine in omnibus illis locis expoliare, ſicuti id abſq; ulla ulteriore demonſtratione cuivis per ſe manifeſtiſſimum eſt; ſed & in diſcrimen eam adducere, atque in ſuſpicionem, ne in aliquibus iſtorum locorum, vel in pleriſque, aut etiam in omnibus, vitioſa ſit & depravata, æque ac in illis, ubi ob ſenſum minus commodum aut concinnum commaculationis & corruptelæ exerte eam arceſſit Capellus. In omnibus enim illis locis, ubi à codicibus Hebraicis notabiliter diſcrepant Veteres Interpretes, aut eorum aliqui; etiamſi ſenſus tam hic quàm illic poteſt exiſtere probus & commodus, textus tamen integer & ſincerus, qualis primitus ab ipſo Authore ſacro profectus fuit, utrobique eſſe nullo pacto poteſt, ſed alterutros ab eo deſciviſſe omnino neceſſe eſt. Vtri autem potius in vitio cubent, nemo mortalium, ex principiis à Capello poſitis, atque ex aperta ipſius confeſſione, definire ullo modo poteſt; ideoque liberum cuivis manet, hoſne an illos codices de labe ac depravatione ſuſpectos habere malit. Verum itaque dicit Capellus (id quod neque ſemper neque ſæpe ei contingit) quando Apologiæ pag. 72. ait, *Dolet Bootio, quod numerum illum* [Variarum in ſacro textu, Hebraico Lectionum] *valde auxerim*; & pag. 15. Male Bootium „habet, ægerrime-que fert, quod variis exemplis oſtendi, le„ctionem ℌ Sept. aliorumque Interpretum, non rarò meliorem „eſſe hodierna codicis Iudaici, quodque inde eliciam, hodier„nos codices non ubique repræſentare nobis ipſa Prophetarum, autographa. Omnino enim iſta mihi dolent, ea-que ægerrime fero, non ob falſam rationem ab eo allatam, *quod ſim ex eorum numero, qui diſſentientes à ſe nullo pacto ferre poſſunt*, ſed ob veriſſimam illam, quam in calce Epiſtolæ profeſſus ſum, quia nimirum *ſententia illa mihi ſumme falſa, inque Dei Verbum unice iniuria videtur.* Sane hominis Chriſtiani nomine me penitus indignum exiſtimarem, niſi mihi doleret, & quidem ex animo, tanta tamque flagitioſa in Divina Oracula, in-que primævos ac puriſſimos eorum Fontes, petulantia ac protervia. Et quidem tanto impenſius ea mihi dolet, quia monſtri ſimile eſt, tam infeſtum Hebraicæ Veritatis hoſtem extitiſſe in medio Reformatorum, inter

quos semper tam venerabile fuit eius nomen. quanquam id rursus me consolatur, quod impia unius hominis temeritas, illotis atque adeo sacrilegis manibus sacrosanctos codices Hebraicos vexantis & commaculantis, non potest ab æquis iudicibus vitio verti Ecclesiæ nostræ, in qua sicuti vix unus aut alter de Capelli sodalibus ei applaudunt, idque furtim ac clanculum, & nomen suum veriti profiteri; ita Pastores eius ac Doctores ubique terrarum, quo infaustæ istius Criticæ fama pervenit, eam aversantur ac detestantur, idque tanto validius, quo quisque eorum maiori harum rerum peritia pollet, & quo pietate ac eruditione & iudicio magis præcellit; cuius rei testes producere possum epistolas quamplurimas, ab eximiis quibusque per varias Europæ regiones nationesque Theologis ad me conscriptas, post visam illis lectamque Epistolam meam Anti-criticam: quam sicuti utroque pollice approbant, ac maximas mihi pro ea, proque defensa ibi tam strenue Hebraica Veritate, gratias agunt, ita summam suam Pseudo-criticæ detestationem non possunt ullis satis verbis exprimere.

CAPVT VIII.

Ex Morini mente Hebraicam Veritatem esse longe corruptissimam, & infinitis ac crassissimis mendis fœdissime undique deturpatam; similiter-que Vulgatam Latinam, illi in plerisque consonam: ac proinde tam hanc, quàm illam, omni penitus authentia carere: contra procacem atque impudentem eiusdem Morini negationem liquidò demonstratur.

SIcuti ex proterva Capelli innovatione, de discrepantiis Veterum Interpretum à textu Hebraico habendis pro totidem ipsius Textus variis lectionibus, sequitur Codices nostros Hebraicos esse valde corruptos, summa-que incertitudine laborantes; quum ex ipsius mente lectio ipsorum sit vitiosa ac depravata in locis permultis, uti in aliis infinitis ambigua penitus & incerta, quemad-

modum hactenus demonſtratum eſt: ita ex ſententia Morini, Græcam τῶν 70. Verſionem Codicibus illis abſolute præferentis, ubicunque aliquod hiſce cum illa diſcrimen intercedit; ſequitur, eos eſſe corruptiſſimos, & infinito craſſiſſimarum mendarum & depravationum numero undequaque obſitos, & fœdiſſime deturpatos. Hanc tamen ille conſequentiam, tametſi evidentiſſima ea eſt, & ſole meridiano clarior, adeo pro ſua non agnoſcit, ut ſummopere indigneturillam ſibi à me obiici, & in extremam iram ac rabiem eo nomine exæſtuet, uti apparet ex iis, quæ ſupra Capitis quinti initio ex eo allegavi; ubi aſſertionis iſtius, *quod Hebræus textus ſit mendoſiſſimus*, uti duarum aliarum, de Græca Verſione Hebraicis fontibus prælata, & de eiuſdem confirmatione per teſtimonia è Veteri Teſtamento in Novo allegata (quarum alteram dicto Capite quinto iam excuſſimus ampliter, alteram infra diſcutiendi occaſionem habebimus) teſtimonia ex ipſius ſcriptis nulla à me proferri ait; eſſe-que id *opinionis portentum & monſtrum, & propoſitionem abſurdam inſanamque, quæ ſibi nunquam in mentem venerit; quam averſetur, refugiat, horreat; cuius ex ſcriptis ipſius colligendæ occaſionem nullam habuerim, eum nulla in id vel leviſſima ſententiola reperiri ibi poſſit, imo contrarium evidentiſſime docuerit ſæpius & ſcripſerit*, ut proinde objectio iſta, cum duabus illis aliis, haberi debeat pro *furentis hominis calumniis abſurdis, & à ſenſu communi abhorrentibus.* Quod ſi quæras, quomodo ſe ab iſta objectione purget, & quæ igitur ſit revera ipſius de Textu Hebraico, eiuſque integritate aut corruptione opinio, ait Diatribes pag. 148. *tantum abeſſe, ut textum Hebræum pro depravatiſſimo habeat, atque omni mendarum genere pleniſſimo, ut eum corruptum nunquam dixerit:* addens, Multas quidem mendas in eo „ eſſe, & à Iudæis annotari, multa quidem loca deprehendi, in „ quibus corruptelæ ineſſent, ſcripſi: ſed textum corruptum nun„ quam pronuntiavi. ſunt autem hæc longe diſſimillima. Res ali„ qua talis denominatur vel à nobiliori, vel à maiori ſui parte. non „ maior pars, non nobilior depravata eſt. Multis in locis ſunt „ mendæ, nonnullæ nullius momenti —— nonnullæ quoque „ magni momenti ſunt corruptelæ. Illa tamen omnia ſi cum reli„ quo textu integro comparentur, & pauciſſima ſunt, & minimi „ momenti. Ideo nec unquam ſcripſi Textum iſtum ſimpliciter „ corruptum, nec talis niſi admodum improprie dici poteſt. Men„ dæ ſunt plurimæ in textu Græco N. Teſtamenti —— num „ ideo abſolute dicetur Textus ille corruptus &c. Similiter

pag. 230. dicit, *Se docere, ab omnibus mendis Hebraicos codices non esse usquequaque immunes; negare tamen, ideo corruptos dici posse, eo quod & corruptelæ illæ paucæ sint numero, si totum codicum corpus consideretur, & vix aliquæ reperiantur, quæ aliquid impium contineant.* Ad eundem quoque modum extenuat factum suum toto capite quinto, acsi nihil amplius voluisset aut dixisset unquam, quam *in codices S. Scripturæ originarios mendas irrepsisse*, pag. 39. *Ex differentiis, quæ inter neotericum textum Hebræum & 70. Interpretum translationem deprehenduntur, colligi necessariam Textus Hebræi quibusdam in locis corruptionem*, pag. 37. *Se scripsisse*, 70 *Interpretes & S. Hieronymum nonnullis in locis aliter legisse in textu Hebræo, quam nunc legatur, & consequenter omnibus omnino locis Textum Hebræum nunc non esse eundem, qui tunc erat*, pag. 38. Quin haud veretur ibidem profiteri, suam de textu Hebræo, deque mendis in eum illapsis sententiam haud aliam esse, quàm illam plerorumque Reformatorum, ac præsertim Sixtini Amamæ, dicens, pag. 43. Si scire velis, Lector, quæ sit quæ-ve fuerit de „ Codicum Hebræorum integritate sententia nostra, quæ scribit „ tota ista dissertatione Amama, lege & perpende. Nusquam in „ nostra Præfatione de istis mendis & corruptelis tam severe, ut „ ille decernit, pronuntiavimus: rursusque pag. 46. *Hæc de Amamæ, & aliorum quos refert, sententia, cui nec verbulum unum ad nostræ expressionem addere vel detrahere necesse est.* Tria sunt in ista responsione, quibus objectionem meam, de Hebræo textu ex ipsius mente corruptissimo, amoliri se posse speret Morinus. Causatur enim primo, se Textum Hebræum nunquam dixisse corruptum, aut absolute corruptum pronuntiasse. Deinde, ne posse quidem eum dici talem ob mendas & corruptiones quas in eo statuat, utpote numero paucas, neque nobiliori neque potiori parte corruptionem passâ, easque ipsas haudquaquam capitales. ac tertio, Nihil aliud de mendis ac corruptelis textus Hebraici à se dictum, quàm quod plerique Reformati, ac præcipue Amama, de iis dixerint. quæ qualia sint, ordine singula videamus. Et primum quidem quod attinet, unico verbo id expediri potest. Neque enim ad rem facit, aut omnino quæritur, an Morinus exerte unquam dixerit, *Textum Hebræum esse corruptissimum, vel corruptum*, sed an ex aliis eius dictis id evidenter & necessario consequatur: quod posterius duntaxat, non verò alterum, ei ego vitio dedi. quanquam si illud quoque dixissem, nihil dixissem nisi rem verissimam. quisquis enim mendas & corruptelas in libro aliquo

inesse

ineſſe dicit, idem dicit librum illum eſſe mendoſum & corruptum, quum nihil prorſus inter illa interſit. aſt *mendas* in Hebraico textu, & *depravationes*, ac *corruptelas*, paſſim crepat Morinus, & iterum iterumque inculcat, in omnibus ſuis ſcriptis, in Præfatione, in Exercitationibus Anti-biblicis, in Exerc. ſamaritic is, in ipſa Diatriba; ac quidem haud raro *corruptelas ingentes, fœdas, deformes*. neque paucis aliquot locis hoc contigiſſe vult, ut corruptionem & depravationem paſſi ſint codices Hebræi, ſed quàm numeroſiſſimis, atque adeo innumeris: id quod teſtimoniis quamplurimis oſtendi proclive eſſet, ſed ſufficiet pro reliquis omnibus illud ex Exerc. antibibl. 6. cap. 12. §. 12. ubi ſic loquitur: *Certiſſimum eſt, Iudæorum codices, præſertim neotericos, innumeris erroribus & depravationibus paſſim ſcatere, pleriſque ſcribarum ſola aberratione commiſſis, in nonnullis autem aberratione ſenſum textus fœdante*. ac paulo poſt, *Fœtent innumeris mendis codices Hebræi*. quin Exerc. primæ cap. 1. pag. 11. codices Hebraicos ſimpliciter, nulla ad particulares locos reſtrictione facta, *fœda corruptelæ* poſtulat, his verbis: Quanquam incognita eſſent Rabbinorum ſupina negligentia, portentoſa ignorantia, *fœdaque librorum Iudaicorum corruptela*, & hæretici contraria his magna verborum pompa audacter iactarent, adduci tamen non potuit Eccleſia, ut Verſio, qua ſola fere mille & centum annis uſa fuerat, ad normam & amuſſim Textus Hebræi iterum recuderetur. & in calce Exerc. quintæ hanc inter alias Recentiorum ex Hebraico Tranſlationum utilitates recenſet: *Vt archetypi* [codicum Hebraicorum] *corruptio ex tam inſignis ectypi* [Verſionis Vulgatæ] *ſinceritate cognoſcatur, & plerumque ſanetur*: ſimiliterque in ipſo veſtibulo Operis iſtius anti-biblici, Exerc. 1. c. 1. p. 12. pro conceſſo ſumit, ac Doctorum omnium Catholicorum ſententia ſubnixo, *Fontes Hebræos admodum turbidos fluere*. ac in epigraphe capitis ſeptimi *ſententiam de depravatis Iudæorum codicibus* proponit tanquam *manifeſtarei evidentia* ſubnixam. Poſt talia autem de textu Hebraico dicta, negare ſe eum dixiſſe corruptum, non niſi per inſignem valde-que fœdam tergiverſationem potuit Morinus. Nam quod ſecundo loco dicit, ne poſſe quidem eum dici corruptum, ob mendas quas in eo ſtatuat, quia neque nobilior neque maior eius pars ſit corrupta; cum corruptelæ illæ & paucæ ſint, parti ſaniori comparatæ, & ut plurimum haud magni momenti, neque quicquam impium continentes: quam ſtulta ſit hæc exceptio, hinc cuivis patebit, quod ſi iſti locus detur, vix ullus unquam liber

corruptus dici potuit poteritve ; quum vel rariſſime , vel nunquam contigerit, librum aliquem tam corrupte deſcribi, ut plus in eo corrupti quàm ſani eſſet. hoc tamen non obſtitit, quominus omnes omnium temporum Critici libros plurimos pro corruptis, atque adeo corruptiſſimis, damnarent; non quod maior aut nobilior eorum pars eſſet corrupta, ſed quod frequentes admodum & craſſæ corruptelæ per totum eorum corpus eſſent ſparſæ. Tempus itaque erit Morino, ut vel omnes omnino Authores, qui de corruptis libris unquam locuti ſunt, prave ac falſo locutos inſimulet; aut ſi id nec audet, nec poteſt, quin omnium ſibilo excipiatur, me quoque cum illis abſolvat, ac mihi permittat, ut dicam Textum Hebraicum ipſi eſſe corruptum, atqne adeo corruptiſſimum. Nam ſi ullus unquam in mundo liber corruptus & corruptiſſimus fuit dicendus, is eſt codex Hebraicus hodiernus, quatenus Morino de eius corruptelis auſcultabitur. Etiamſi enim in nonnullis locorum paulo ante ex Diatriba adductorum ſuam de iis ſententiam ita extenuat, acſi dixiſſet tantum, codices Hebraicos non eſſe ab omnibus mendis uſquequaque immunes, & paucas tantum quaſdam in eos irrepſiſſe, eaſque non magni utplurimum momenti; contrarium tamen eſt evidentiſſimum. Namque ut omnia nunc alia teſtimonia, quæ ex ipſius ſcriptis produci quamplurima poſſunt, dimittam; an non audivimus eum modò dicentem, *Iudæorum codices innumeris erroribus & depravationibus paſſim ſcatere, eoſque innumeris mendis fœtere?* & tamen *errores* illi *innumeri*, *mendaque* & *depravationes*, quibus ibi ait Iudæorum codices *paſſim ſcatere & fœtere*, pars ſunt longe minima corruptelarum eos obſidentium, ſi ipſi fides adhibeatur. quippe ibi vel ſolum, vel potiſſime loquitur de mendis illis & depravationibus, quæ ex collatione variorum codicum Iudaicorum, uti ipſe appellare amat, vel deprehenſæ antehac, ab ipſis Rabbinis & Maſorethis fuerint, vel deprehendi adhuc à quolibet iſtarum rerum ſatagente poſſint. Iſtæ autem omnes, non modò quotquot ſunt, ſed & quot Morinus, eas plurimum ſupra verum exaggerans, credi vult, in unum comportatæ, neç numero nec pondere comparandæ ullo pacto ſunt cum iis, quas ex Græcæ Verſionis à textu Hebraico differentiis procudit. Quanquam enim hic quoque impoſtor antiquum obtinet, & ita ſententiam ſuam diſſimulat, acſi ſentiret corruptiones textus Hebraici, quæ ex 70. Interpretum ab ipſo diſcrepantia exurgunt, ad pauculos tantum locos pertinere, ſicuti id duo illi loci, ex Diatribes pag. 37. & 38. ſupra allati, pla-

niſſime præ ſe ferunt: certum tamen eſt, eum omnes illos Hebraicæ Veritatis locos, à quibus Verſio græca Vulgata uſpiam diſcrepat, pro vitioſis & depravatis habere, ne illis quidem exceptis, ubi Vulgata Latina cum Hebraicis codicibus concordat: ſicuti id capite primo diverſis teſtimoniis, productis ex Exercitationibus Antibiblicis, planum fecimus. Iſtæ autem græcæ Verſionis à Textu Hebraico diſcrepantiæ ſicuti numero ſunt longe maximo, prorſuſque immenſo, ita momenti ſunt utplurimum quam graviſſimi, idque in tantum, ut nullæ graviores ullius libri corruptelæ produci aut cogitari queant: niſi ſi ulla gravior cuiuſvis Authoris depravatio dari poteſt, quàm vt plurima ipſius dictis, tum ſuper-addantur, tum detrahantur; ac de cætero verba eius paſſim adeo immutentur, ut ſenſus inde longe alius exiſtat, à genuino ſenſu quam diverſiſſimus, & perſæpe nec volam eius nec veſtigium retinens. Talium autem inter græcam τῶν 70. Verſionem & Codices Hebraicos diſcrepantiarum ſicuti ex libris Moſis, ac reliquis libris hiſtoricis per-amplam meſſem colligere eſt, ita libri didactici ac prophetici multas earum myriadas exhibent. ut propterea veriſſimum ſit, quod modò dicebam, nullum unquam librum tam miſere ac fœde corruptum fuiſſe, quàm eſt textus Hebraicus, ſi omnes illæ diſcrepantiæ, quæ inter ipſum ac 70. Interpretes conſpiciuntur, ſunt totidem ipſius corruptelæ, uti id planiſſime ſtatuit Morinus. unde apparet, quàm falſum ſit, quod ait, *Mendas*, quas in Hebraico textu agnoſcit, *& pauciſſimas eſſe, & minimi momenti, ſi cum reliquo corpore integro comparentur.* ſicuti extremæ ac plane Morinianæ dementiæ eſt id, quod velut ad elevandum amplius earum pondus addit, *Vix aliquas reperiri, quæ aliquid impium contineant:* quaſi verò corruptelæ illæ, quæ ſenſum authoris penitus pervertunt, non ſint merito graviſſimæ cenſendæ, niſi præter id, quod ſenſum à ſenſu authoris alieniſſimum, id quc perſæpe in rebus maximi momenti, exhibent, eum inſuper impium efficiant; id quod dictu ſumme delirum eſt, neque ante Morinum unquam quenquam, qui adeo deliraret, aut id diceret, inventum fuiſſe, mihi perſuadeo. Similis vecordiæ eſt, quod flagitioſæ iſti audaciæ, qua adeo numeroſas ac graves in Textum Hebraicum corruptelas invehit, colorem aliquem quærit ex mendis, quas dicit eſſe in N. Teſtamenti textu græco quamplurimas, ob quas tamen textus ille non debeat dici abſolute corruptus. Falſiſſimum enim eſt id, quod pro confeſſo ſumit, mendas eſſe in Textu N. Teſtamenti græco quamplurimas; niſi ſi idem ſunt variæ le-

ctiones, & mendæ, id quod longe abeſt. Menda enim & corruptio textus eſt, quando pro genuinis authoris verbis alia ſenſum eius corrumpentia ſubſtituuntur, aut quando ea vel truncantur, vel alienis additamentis adulterantur; varia autem lectio, quando præter genuinam ſcripturam alia præterea occurrit, ita ut non certo conſtet, ſed lectoris ſagacitati indagandum ac diſcernendum relinquatur, utra iſtarum alteri præferenda, atque authori adjudicanda ſit. Ob varias itaque lectiones textus iis in locis, ubi eæ occurrunt, ambiguus dici poteſt, (niſi ſi tales eæ ſunt, ut verior lectio ſponte ſtatim pateſcat) corruptus ac depravatus non poteſt. Quum autem omnis lectionis varietas à mendis & corruptelis ortum habeat, & variarum lectionum alterutram eſſe corruptam eſſe neceſſe ſit; ſi authoris alicuius, multa lectionis varietate laborantis, ulla reperiantur exemplaria, quæ in omnibus, aut pleriſque, aut bene multis locis, varia lectione affectis, alteram tantum ac ſequiorem lectionem exhibeant: iſta exemplaria corrupta dici rite poſſunt. & ſicuti hac ratione monſtravimus ante contra Capellum, codices noſtros hebraicos omnino corruptos eſſe dicendos, ſi verum eſt, quod ille vult, variare revera lectionem multorum locorum, quorum unica tantum ac ſimplex lectio, eaque deterior, in dictis codicibus occurrat: ita haud gravate fatebor, & fatebitur mecum quiſquis res iſtas intelligit, ſi qua extant N. Teſtamenti exemplaria græca, quæ ſimili modo peccent, & ſemper aut ſæpe in locis varia lectione laborantibus non utramque lectionem, ſed alteram ac pejorem duntaxat repræſentent, ea iure mendoſa ac corrupta dici poſſe. & tamen univerſus variarum N. Teſtamenti lectionum numerus, quæ quidem alicuius ſint momenti, ludus tantum eſt & iocus, ſi conferatur cum diſcrepantiis omnibus ſenſum inſigniter immutantibus, quæ Vulgatæ Verſioni græcæ cum Textu noſtro Hebraico intercedunt; in quibus diſcrepantiis alteram duntaxat lectionem, eamque Morino iudice ſemper deteriorem, Codices Hebraici exhibent; qui propterea effugere nullo modo poſſunt, quin corruptiſſimi & mendoſiſſimi ſint pronunciandi; Morino per illam à N. Teſtamento comparationem, alia-que ſophiſmata, inaniter contra nitente. Nititur autem contra, non quod ipſi curæ ſit, ne Textus Hebraicus pro corruptiſſimo habeatur, aut quod non exoptet, omnibuſque modis effectum dare velit, ut id fiat; ſed partim ex mera mihi contradicendi atque petulanter in me incurſandi rabie, partim verò etiã, quia adeo fœdum eſt ac impium facinus, ſinceritatem atque au-

thoritatem primævarum ac authenticarum Verbi Divini tabularum, quæ omnibus Christi nomen profeſſis ſumme venerabilis eſſe debet, procaciter convellere ac proſcindere; ut quanquam flagitium iſtud admittere nihil penſi duxerit ducat-ve, & quidem eo modo, ut omnes ſuos in deteſtabili iſta molitione præcurſores longe ſuperaverit, ſingularique malitia & impietate vias plane novas ad eam perpetrandam excogitaverit, omni-que ope & niſu eam promovere laboraverit ac laboret; illud tamen ſibi obiici, ac veris coloribus à me repræſentari, impatientiſſime ferat. Nulla enim ſunt crimina, quæ ſibi obiici libenter quiſpiam patiatur, ne illi quidem, qui eorum noxa cum maxime obſtricti tenentur. & cum mundus plenus ſit ebrioſis, adulteris, furibus, peculatoribus, latronibus, ſicariis, nemo tamen eſt iſtorum, qui vero nomine ſe appellari non ſummopere indignetur, atque appellationes iſtas quam enixiſſime à ſe non amoliatur, haud minus quam ſi ab iſtis flagitiis & ſceleribus eſſet innocentiſſimus, nec niſi per ſummam iniuſtitiam eorum reus agi poſſet. Ita mendacem, cavillatorem, tergiverſatorem, ſophiſtam, impoſtorem, calumniatorem, ſycophantam ſe dici haud quiſpiam æquis auribus audiat, ne Morinus quidem ac Capellus, quorum in me ſcripta craſſiſſimis mendaciis, putidiſſimis cavillis & tergiverſationibus, apertiſſimis ſophiſmatis, nefariis impoſturis, & fœdiſſimis ac impudentiſſimis calumniis & ſycophantiis tota ſcatent, & undique iis oppleta differta-que ſunt. Ad eundem quoque modum, atque ob eandem rationem, quum Veritatis Hebraicæ iſti duo ſint hoſtes acerrimi atque infenſiſſimi, omneſque in id ingenij nervos contenderint, ut omni eam authoritate & authentia, omni-que ſinceritatis & integritatis laude penitus expolient, nolunt tamen ſibi à me obiici vel conſequentias ſuarum opinionum, utut evidentes ac neceſſarias, vel ipſas illas opiniones, quas tanto apparatu in ſcenam produxerunt, quas tanto conatu propugnarunt, quibus etiamnum mordicus adhærent, ac quarum ne vel minimam quidem partem retractare ſuſtinent: ſed quando illas produco, atque illis obiicio, miris atque furioſis modis in me incandeſcunt, nullumque fœdiſſimarum artium ac ſtropharum genus omittunt, ut mundo perſuadeant, me de iis mentiri, ac eos calumniari, quum ipſi interea nihil niſi mera mendacia, ac meras calumnias vomant. Neque contenti adniti, ne pro Veritatis Hebraicæ vexatoribus & everſoribus, quæ ipſis meritiſſimo debentur nomina, habeantur, vellent etiam, ſi Diis placet, pro defenſoribus ipſius ac hyperaſpiſtis cen-

seri; quæ illis elogia multo minus quadrant, quam leonis exuviæ asino Æsopico, aut anulus aureus rictui βορβοκρύκτῃ pecudis apud Salomonem. quod totum, sicuti in se iniquissimum est, ita ab eadem, ac alterum illud, origine proficiscitur: quum omnibus hominibus insitum sit, non modo aversari appellationes flagitiorum & facinorum, quorum admissionem haudquaquam reformidant; sed & contrariarum virtutum, à quibus quam longissime absunt, nomen ac speciem affectare; quemadmodum nulla est tam perditi pudoris fœmina, quę non & scortum dici horreat, & castitatis laudem libentissime admittat, atque ultro, quatenus eius fieri ullo modo potest, ambiat: id quod in omnibus aliis etiam vitiis ac noxis virorum fœminarumque observare licet. Ita capite præcedenti vidimus, Capellum gloriari, sibi æque, ac cuiquam alteri, authoritatem & sinceritatem codicum hebraicorum hodiernorum cordi esse. & similiter Morinus libenter lectoribus suis persuasum vellet, se nihil durius de Textu Hebraico sensisse aut scripsisse, quam quod Reformatorum plerisque, ac nominatim Amamæ, dictum prius fuerit; cuius hac in parte sententia cum ipsius sententia exactissime conveniat, nisi quod Amama de mendis & corruptelis Textus Hebraici adhuc severius pronuntiaverit, quam ipse Morinus de iis decernat. Sane hoc tam audax est, tam infandum, tam impudens mendacium, ut oporteat Morinum, quando id fabricari, atque chartis illinere in animum induxit, toto pectore prius ebibisse nefarium illud axioma, quod edicit iis, qui mentiri constituerint, ut strenue mentiantur. & quanquam stupendæ prorsus ac portentosæ impudentiæ exempla quamplurima suppeditet turpissimum istud Morini scriptum, Diatriba inquam, de quibus complura iam, tum hoc ipso Capite, tum antea quoque, produximus, & permulta adhuc producenda restant: hoc tamen, de quo nunc agitur, tale est, ut reliqua omnia à tergo relinquat, ea-que longo intervallo supergrediatur namque si vel minima ruboris & ingenui sanguinis guttula in ore Morini superfuisset, atque si non omnem penitus pudorem decoxisset, & sub pedibus proculcasset, nunquam ausus fuisset Amamam in communionem suæ de corruptelis Codicum Hebraicorum sententiæ vocare; quum ipse velit eos esse corruptos, atque à primæva puritate & sinceritate degenerasse, ubicumque Translatio Græca vulgata ab iis discrepat, id quod sit in plurimis locorum millibus, & quidem ad eum modum, ut discrepantia illa quamfrequentissime sit longe maximi momenti: Amama autem sanciat, ac fortiter

defendat, *ad textum Hebræum examinandas esse omnes, quà Veteres, quà Recentes, nullâ exceptâ, Versiones; eam esse normam, regulam, & canonem omnium Versionum: nullam Versionem recipiendam esse pro Verbo Dei, nisi quatenus cum authentico isto exemplari convenit, quod solum sit infallibilis Veritatis: omnes Versiones esse rivos, authoritate cum authentica forma non comparandos, ut proinde nulla Versio, qualiscunque ea sit, textui Hebraico æquari, nedum præferri possit: Textum illum in Vetere Testamento, ut Græcum in Novo, esse authenticas Fidei Christianæ tabulas, & utrique tantum isti Textui competere magnificum & augustum illum authentici & infallibilis Verbi Divini titulum, nulli Versioni competentem, nisi cum hac restrictione, Quatenus cum authenticis tabulis convenit.* Hanc esse Amamæ de Textu Hebraico doctrinam, totidem verbis ab ipso traditam, capite primo monstravi; cui quam bene conveniat cum illa Morini, corruptum eum statuentis, ubicunque Græca τῶν Sept. Versio ab ea discordat, cuivis per se est manifestum. Et sicuti iam hinc nemini dubium esse potest, quin Amamæ dictum *de erratis quibusdam & sphalmatis, quæ iniuriâ temporum & descriptorum incuriâ in textum Hebræum irrepserint*, in sensum ab Authoris mente alienissimum detorserit Morinus, qui Diatribes pag. 44. id ostentat, tanquam sententiæ suæ de mendis textus Hebraici per omnia consonum: ita impostura istius fœditas amplius adhuc diluceret, postquam constiterit Amamam, qui nonnullas in S. Textu Hebraico agnoscit varias lectiones (quas nemo paulo cordatior in iis unquam negavit) ad eas tantum astringere id, quod de sphalmatis in Textum Hebræum illapsis dicit; atque exerte monere, præter erroneam in iis scriptionem (qualem profecto necesse est in quavis Varia Lectione agnoscere, uti supra quoque dictum) alteram quoque ac veriorem diligentiâ Masoretharum nobis custoditam ac repræsentatam. Quippe in processu istius sermonis, unde detruncavit verba illa Morinus, in quibus triumphat, ac quorum mentem tam fœde pervertit, ita profatur Amama, paginâ mihi 23. *Considera, ea quæ in textu Hebræo librariorum incuria, & temporum iniuria, corrupta fuerant loca, Masoretharum indefessam diligentiam restituisse:* rursusque in Epilogo, pag. 25. „totam rem sic concludit: Hæc eò à me dicta sunt, ut illis occur„rerem, qui *kerîin* & *chetibin* pro variis lectionibus, ex descri„ptorum incuria vel ignorantia ortis, non agnoscunt ——— & „ut ostenderem errores librariorum, de quibus hactenus actum „est, Masoretharum industria iam esse sublatos: Quod si præter

„ eos putant adhuc restare alios, ut Psa. 19. *kavam* pro *kolam*, Esa. 9. „ 6. *iikra* pro *iikhare*, & similia, quæ Bellarm. & alij quoque vel in- „ curiæ librariorum, vel ignorantiæ Rabbinorum transcribunt, „ non persuadebunt, nisi evidentiores rationes & clariora indi- „ cia produxerint. suspiciones vanæ cordatos non movent. Ita igitur apparet, quam longe omni ex parte à sententia Morini, de corruptelis Textus Hebraici, absit Amama, ac quam impuden- ter fecerit Morinus, qui istum Heroem, veluti prorsus eadem cum ipso super ista re sentientem, in medium protrahere non erubuit.

Quum autem nefaria ista Morini contra Hebraicam Veritatem molitio in Vulgatam quoque Latinam maxima ex parte recidat, tamen pro sueta sibi ac profligatissima illa impudentia, hic quoque ita se gerit, acsi nihil scripsisset unquam, quod ipsi vel minimum officeret, sed authoritatem eius studiosissime per omnia sartam tectam conservasset. Itaque quod in Examine dixi, *eum pro Græca Translatione reiicere ac damnare non tantum Codices Hebraicos, sed & Latinam Editionem, quam ei, æque ac illos, ex sua ipsius privata authoritate ignominiosè posthabendam censuerit*, de eo ille Diatribes pag. 19. tanquam de *virulenta sycophantia* conqueritur; idque rursus pag. 232. *spurcissimam calumniam* & *atram sycophantiam* appellat, *cui colorandæ nihil responderi possit, quum passim in scriptis suis Editionem illam appellet sanctam, canonicam, authenticam, divinam, & divinitus inspiratam, cuius author in ea condenda Propheta fuerit, & speciali Spiritus Sancti afflatu ductus*: iubetque *notari locum, in quo vel minima* eorum, quæ de Latina Editione ipsum sen- tire dixi, *coniectura lateat*. Profecto si epitheta illa *sancta, canonica, divina*, &c. in Editionem Latinam collata, sufficiunt, ut censeri debeat Morinus nihil contra authoritatem eius atten- tasse, causam vicerit; quum palam sit, neque à nobis unquam ne- gatum, scripta ipsius iis abundare. sed oporteret cum pueris aut cum pecudibus rem ipsi esse, si per inania eiusmodi elogia, & cas- sos sine mente sonos, obtinere posset, se honorifice de Vulgata La- tina sensisse semper, neque ipsi quicquam derogasse; quando res ipsa adeo evidenter, in contrarium stat, & quando ea docet, omni- que nisu defendit, per quæ omnis istius Editionis dignitas ra- dicitus convellitur. nisi si honorifice de Servatore nostro Iesu Christo, de-que eius regno, existimasse censendi sunt Pilatus, ac Pilati milites, quorum ille titulo cruci superposito Iesum Iudæo- rum Regem indigetavit, hi verò Regem eum flexis quoque geni- bus, & iniecta ipsi veste Regia, salutaverunt. sed sicuti speciosæ

istæ compellationes nihil nisi acerbam Christi illusionem habuerunt, ita magnifica illa elogia, quibus Vulgatam Editionem passim afficit Morinus, in merum ludibrium, inque apertissimam eius derisionem recidunt quamdiu stabit opinio eius de Versione Græca, de-que eius super codices Hebræos prærogativa; quum Latinæ Editionis causa cum istorum codicum causa, hac in parte, sit coniunctissima. Quod si nihil aliud unquam docuisset Morinus, quam id quod scribit Exercitationis Antibiblicæ sextæ capite decimo extremo, in hæc verba, Fideliter codices, quos præ manibus habebant, secuti sunt Sept. ——— consimiliter S. Hieronymus fidelissime reddidit Latine codices Hebræos, quos à Iudæis habuit. Vnde igitur eiusmodi Varietates inter Translationem S. Hieronymi, sive Hebræum textum neotericum (nam in hac hypothesi perinde fere sunt Vulgata & Textus Hebræus qui nunc extat, & qui tempore S. Hieronymi extabat) & 70. Interpretum translationem? Omnis certe varietas à codicum Hebraicorum varietate manavit. Textum Hebræum fideliter verterunt Interpretes nostri; sed quum variarent exemplaria, necesse quoque fuit variare fideles exemplarium translationes: si ita inquam, semper locutus esset Morinus, tunc tueri posset, non quod ibidem subiungit, *Varietates illas neutrius translationis authenticæ Veritati vel leviter officere* (id quod dictu stultissimum est) sed neutram istarum translationum sibi magis authenticam esse quàm alteram, aut culpam istarum varietatum in hac magis quam altera hærere; sed corruptelas illas, unde tanta varietas exorta, atque à primævis exemplaribus deflexiones, partim invasisse codices Hebræos, è quibus facta translatio Græca, partim verò illos, è quibus Latina; ac proinde sententiam suam non in huius magis, quam in illius iniuriam & depreciationem redundare. Verùm nunc viam illam sibi penitus præclusit, quandoquidem statuit, & absque hæsitatione ulla decernit, omnem istius varietatis culpam hærere in codicibus Hebraicis, è quibus translationem suam adornavit Hieronymus; qui codices à primæva puritate degeneraverint omnibus illis in locis, ubi à Translatione τῶν Sept. discrepant, exceptis tantum pauculis illis locis, ubi Sept. aliquid de industria mutaverunt. Hanc enim esse Morini de codicibus Hebraicis τῶν Sept. & S. Hieronymi sententiam, ut illos quidem pro correctissimis & purissimis venditet, hos autem passim, ubicunque aliquod inter eos discrimen intercedit, immutatos ac depravatos velit, Capite primo monstravi. unde apparet, quam

egregia ſit authentia illa, qua Vulgatam Latinam dignatur Morinus; & quomodo omnem penitus authentiam ei in totum detrahat reapſe, utcunque paſſim authenticam eam appellet. Nulla enim Tranſlatio poteſt eſſe magis authentica codicibus originariis, è quibus expreſſa eſt: & codices originarij, qui à protographis ſuis degeneraverunt infinitis in locis, & corruptelas innumeras ac graviſſimas paſſi ſunt, non poſſunt ullo modo pro authenticis haberi. Namque commentum Morini, qui ne videretur authoritatem Latinæ Vulgatæ ſtirpitus cõvulſiſſe atque peſſum dediſſe, ut revera fecit, authentiam Tranſlationis Sacræ Scripturæ in eo collocat, (Exercit. Antibibl. 6. cap. 9. & 12.) *ne quid falſum, abſurdum, aut ridiculum, nihilque contra fidem & bonos mores contineat*, quanquam alias neque codicem originarium exacte per omnia exprimat, & præterea ex codice multis gravibuſque modis vitiato facta ſit; omnibus modis abſurdum ſtultumque eſt, neque argumentis ullis, aut reſponſione, ſed irriſu & ſibilo excipiendum: uti omnia illa, quæ dicto capite de natura authentiæ Tranſlationum, de-que duplici eius genere, uno per ſe, altero per accidens, deblaterat. Sicuti autem epitheta *canonica* & *authentica tranſlationis*, Vulgatæ Latinæ à Morino tributa, ludibrij plena ſunt, utpote quæ nullo modo conſiſtere valent cum eo, quod tam præfractè alibi contendit, eam ex codicibus hebraicis vitioſiſſimis ac corruptiſſimis eſſe adornatam; ita illa *divina* & *divinitus inſpirata* in ipſum Deum ſumme contumelioſa ſunt. Quæ enim major contumelia divinæ gloriæ & providentiæ fieri poteſt, quàm ut Deus dicatur Hieronymum ſingulari modo excitaſſe, & prophetico inſtinctu impuliſſe, atque extraordinaria Spiritus ſui præſentia adiuviſſe, ut ex codicibus Hebraicis, tunc temporis miſerrime, ac fœdum in modum depravatis, novam adornaret Verſionem, eamque obtruderet Eccleſiæ Latinæ in locum eius, qua antea ab initio, & per quartum iam ſæculum, uſa fuerat, & quæ facta erat ex Verſione Græca, codices Hebraicos primævos ac puriſſimos fideliſſime exprimente? An non egregius ille eſſet Divinæ Providentiæ erga Eccleſiam Latinam effectus, ut non modò pateretur recentem eiuſmodi Verſionem, tot vitiis ac corruptelis obſitam (neque enim alia eſſe poterat, cum tales eſſent codices Originarij, unde exprimebatur) ſurrogari in priſtinæ locum, ex laudatiſſima Editione Græca factæ; ſed & de induſtria atque peculiari afflatu incitaret aliquem, qui talem Tranſlationem novam adornaret, quæ non tantum in uſum aliquem recipe-

retur, ſed inſuper alteram illam ac probam abrogaret ac loco pelleret, imò tandem penitus obliteraret ac aboleret: quomodo Veterem Editionem Italicam, ex Græca Verſione adornatam, ſuperventu Hieronymianæ, ex Hebraico expreſſæ, antiquatam, atque ex hominum manibus excuſſam, tandem penitus interiiſſe, atque ante multa iam ſæcula nuſpiam amplius viſam, omnibus palam conſtat. Iuvat hic attexere ea, quæ optimus Muiſius de ludibrioſa iſta Vulgatæ Editionis authentia & θεομαχία Moriniana pronuntiavit, dictis noſtris in totum conſentanea. Ita igitur ille, Animadverſione in caput 13. Exercitationis Antibiblicæ ſex-
„tæ: Neque verò iniuriam facit duntaxat Morinus Hebraicæ
„Veritati, quum eam corruptam eſſe ac violatam ita præfracte ac
„pervicaciter contendit, ſed & Vulgatæ Verſioni, cui ſæpius cum
„illa convenit. Nam ſi Vulgata Verſio cum Hebræo conſentit,
„ubi eſt aliquid, quod *nec verbis nec ſenſu cum Apoſtolo convenit*;
„ubi eſt *ingens & manifeſtiſſima corruptio, quæ tantum abeſt, ut cum*
„*Apoſtolo conciliari poſſit, ut quam inſtituit demonſtrationem, peni-*
„*tus labefactet*, ubi *verba ſunt, quæ nec cum Paulo, nec cum ſacrificio*
„*corporis Chriſti convenire poſſunt*; ubi *verba ita mutata ſunt, ut to-*
„*ta vis ſacrificij Dominici fracta videatur*; ubi denique *id omiſſum*
„*eſt, in quo cardo argumentationis apoſtolicæ vertitur, cui-que ratio-*
„*cinationis Chriſti momentum incumbit* (non mea hæc, ſed Mori-
„ni ſunt omnia) ſi, inquam, Hebraicæ Veritati cum Vulgata Ver-
„ſione in iſtis convenit, nonne utraque ableganda procul atque
„amandanda eſt? Cur igitur Vulgatam Verſionem S. Synodus
„Tridentina pro authentica approbavit? approbavit ergo ingen-
„tem & manifeſtiſſimam corruptionem, ea-que quæ Chriſti &
„Apoſtoli argumenta evertunt. Sed cur eadem Synodus mẽdacij
„& erroris Hebraicam Veritatem non etiam damnavit? Recan-
„tet ſolennia illa ſua Morinus, aut nunquam deſinent omnes bo-
„ni eum laceſſere. Non aliter, ait M. à Synodo Trid. ap-
„probata eſt Vulgata Verſio, quam quod textum primigenium,
„ex quo converſa eſt, fideliter repræſentet. *Sufficit enim*, inquit,
„*ad αὐθεντίαν Verſionis, quâ Verſio eſt, à ſenſu, qui continetur in*
„*Origine, nihil diſcrepare*. Verùm tandem approbata eſt ea Ver-
„ſio, quæ ſimul cum primigenio textu Chriſti Domini & Apoſto-
„li argumenta concutit, labefactat, enervat. Concedo equidem
„tibi, legitimam eſſe Verſionem, quâ Verſionem, quæ primige-
„nium textum, unde expreſſa eſt, repræſentat. Sed ut ea Ver-
„ſio, quæ Novi Teſtamenti fidem atque authoritatem labefactat,

„ ut è corrupto & vitiato exemplari expressa, pro authentica &
„ canonica habenda sit, & à Spiritu Sancto dictata D Hieronymo, quod tu censes, dici possit; id verò quis concedat? ——
„ Quis præter te ausus fuisset scribere, *textum mutilum ea mutilatione quæ validum Fidei propugnandæ argumentum eripit, Ecclesiam nonnullis in locis approbare, & authenticum declarare?* apage ab his, Sacris profanas & sophisticas argutias. Hactenus Muisius. Quanquam autem id, quod ego & Muisius dicimus, non posse Græcam Versionem codicibus Hebraicis ita præferri, uti præfertur à Morino, quin Latinæ quoque Vulgatæ summa iniuria fiat, atque hæc per illorum latus saucietur & confodiatur; per se evidentissimum est, neque probatione ulla indiget: lubet tamen hoc confirmare testimonio quatuor Iesuitarum, summe eruditorum ac celebrium; Bellarmini, Andradij, Riberæ, & Marianæ; cum quorum nullo Morinus vel doctrina vel ingenio ulla ex parte cõparandus est. De istis Bellarminus lib. 2. De Verbo Dei, cap. 6. ita scribit: Nec dicendum, Textum Hebræum, ubi à Græco discrepat, corruptum esse, *ne fateri cogamur, Vulgatam Editionem*, quam Concilium Tridentinum authenticam esse iudicavit, *totam* quoque *esse corruptam*: nam excepto Psalterio, Latina Editio magis convenit cum Hebræo, quam cum Græco. Andradius autem, Defens. Conc. Trid. fol. 354. Demum quæram, an existiment corrupta fuisse Hebræa illis in locis, in quibus à 70. Interpretum Editione dissentiunt. Quod si corruptam fuisse, ex Veteris Ecclesiæ in 70. Interpretes observantia, evincunt, *corruptam* etiam *adulteratamque nostram esse Editionem oportet*, quæ 70. Interpretum Versione posthabita, Hebræam nobis orationem & sententias aptissime reddidit. esset enim infinitum omnia loca recensere, in quibus Vulgata cum Hebræo mirum in modum, cum 70. verò Interpretibus nulla ratione consentit. Ribera ad Hos. cap. 9. §. 20. Si Hebræi codices tempore Hieronymi erant depravati, cum ex Hebræis Editio nostra depromta erat, tum hæc quoque *Ecclesiæ nostræ Editio depravata est*, quo quid turpius dictu est, quid insanius? Mariana, tractatu de Vulgata Editione, Epist. ad Sanderum: Placet mihi argumenti tui acumen, quo ex Vulgatæ Editionis fide Hebraicos codices incorruptos esse defendis, cum convincas Hebraicos codices repudiari, incolumi Vulgatæ Editionis autoritate, non posse. Ex istis iam planum est, illa quæ ego Morino obieci, quod Hebræum textum faciat mendosissimum, & quod

insignis illa iniuria, quam Hebræis codicibus facit, in Latinam quoque Vulgatam gravissime redundet: eamque omni prorsus authentia, æque ac Hebraicam Veritatem, expoliet; non esse *calumniam* nec *sycophantiam*, multo-que minus calumniam *atram*, *virulentam*, *absurdam*, *monstruosam*, *portentosam* *spurcissimam*, *insanam*, *furiosam*, quibus illa nominibus indigetat Morinus; sed ipsum esse calumniatorem ac sycophantam, & quidem insanum ac penitus monstruosum, qui me propter objectum crimen, cuius adeo manifeste tenetur, tam rabide ac furiose insectari & criminari sustinuerit. Neque quicquam addi potest ad effusam illam ac effrænem audaciam ac impudentiam, qua non contentus negare res tam liquidæ veritatis, non erubuit insuper contendere, *sibi ista nunquam in mentem venisse; se ista refugere, aversari, horrere; eorum ex scriptis ipsius colligendorum nullam occasionem me habuisse; nullam in id vel levissimam sententiolam reperiri ibi posse; nullum posse notari locum, in quo vel minima eorum coniectura lateat; imò contrarium se, & quidem evidentissime, docuisse sepius & scripsisse.* Sane oportet hominem istum, quem Veritati clarissimæ ac testatissimæ tam impudenter ac tam procaciter inequitare non puduit, aut frontem nullam habere, aut plane æneam, cuius duricies vincat illam perditissimorum scortorum, atque adulteratum illarum, de quibus canit Satyrâ sextâ Iuvenalis, aiens quòd

——— ——— *Nihil est audacius illis*
Deprensis: iram atque animos à crimine sumunt.

Et omnino huc quadrat proverbium istud Lusitanicum, *Quem sempre memte, vergoña naom semto*, i. *Qui semper mentitur, pudore nullo suffunditur*; cuius dicti sensus est, Nullum mendacium tam crassum nec tam fœdum esse, cuius pudeat eum, qui frequenter mentiendo, oris æque atque animi callum contraxit, & turpem illam atque probrosam mentiendi licentiam sibi reddidit familiarem: id quod si in ullo unquam mortalium verum fuit, in Morino certe verissimum deprehenditur, uti tot tantaque exempla à me producta fidem abunde faciunt.

CAPVT IX.

Authentiam & authoritatem Sacrorum codicum Hebraicorum penitus labefactari à Morino & Capello, ac funditus convelli, amplius adhuc demonstratur.

OStensum hactenus fuit, quam fœde ac quam nefarie Sacri Textus Hebraici authentia & authoritas à Morino & Capello violetur: quod ipsorum facinus adhuc conspectius fiet, si perpendatur, quæ sit illa authentia & authoritas, quæ Codicibus Hebraicis debetur, eis-que à me atque ab aliis ipsorum propugnatoribus arrogatur, & in quo illa consistat. Authenticum scriptum id est, cui ad fidem faciendam abunde omnia suppetunt, & cui plenissima in suo genere fides debetur: hoc est, de quo certò constat, quod & profectum sit ab eo authore, cuius nomen præ se fert, & quod omnia in eo ita scripta sint, quomodo illa scribi ipse voluit. Duobus autem modis scriptum aliquod authenticum esse potest, & solet; vel primario, & originaliter, vel secundario & derivativè. Primariò authenticum est id scriptum, quod est αὐτόγραφον, hoc est, cui sua per se fides constat, ac cui ob seipsum plene creditur, ac credi debet; quippe quod vel ipse sua manu scripsit author, vel conscriptum ab aliis, quos ad id delegit, ac quibus id negotium dedit, ipse postea recognovit, aut pro suo agnovit, & approbavit: quo pacto authenticæ sunt tabulæ archetypæ ceu prototypæ edictorum ac rescript. Regum, decretorum Magistratuum, sententiarum Iudicum, testamentorum, contractuum, aliarumque scripturarum; & quævis quoruncunque authorum autographa, sive in literis epistolisque, sive in libris, aut aliis scriptis. Ast secundario authentica sunt omnia apographa, seu exemplaria, accurate ac fideliter ex archetypis descripta per idoneos homines; quales quidem pro edictis Principum, aliisque tabulis publicis, & scriptis iudiciariis, sunt duntaxat Tabelliones peculiariter & publica authoritate in id destinati; pro libris autem, aliisque scriptis, quivis probi ac diligentes scribæ, seu descripto-

res. & ſecundaria hæc authentia quamvis alteri illi ac priori cedat certo modo, eandem tamen in omnibus ac per omnia authoritatem cum illa obtinet. quod antequam plenius exponamus, obſervandum eſt, authoritatem & authentiam non eſſe rem eandem, uti vulgo putatur ab iis, qui minus penſiculate de iſtis loquuntur, aut ſcribunt, neque confundenda iſta ac promiſcue uſurpanda, uti paſſim ab illis fieri videmus; ſed eſſe duas res revera diſtinctas, & authoritatem ab authentia ita differre, ut naturâ ſuâ ſit eâ poſterior, atque ab ea oriatur & emanet. Eſt autem authoritas cuiuſvis ſcripti authentici duplex, quarum altera in rebus ipſis, de quibus id agit, fundata eſt, atque homines ſpectat, ad quos id ſcriptum dirigitur, ac quibus de quacunque re inſtituendis id dictum eſt; altera autem circa ſcripturam ipſam ac ſermonem verſatur, atque ad congenera exemplaria, itemque ad citationes & tranſlationes inde factas refertur, inque ea omnia tale ius obtinet, ut hæc ad ſcriptum authenticum examinari debeant, & ſicubi ab eo variant, corrigi & emendari. Prior illa authoritas, res ipſas complexa, atque ad homines ſpectans, in aliis ſcriptis magna eſt, in aliis exigua, in aliis nulla; prout eſt eius authoritas, à quo ſcriptum id, de quo quæritur, profectum eſt, & prout is vel maius imperium, vel minus, vel nullum obtinet in homines, ad quos ſcriptum ſuum dirigit. in ſacris autem Scripturis eſt ea longe maxima, qualis in nullo unquam alio ſcripto fuit erit-ve; quum Deo, pro ſummo illo imperio, quod in homines, uti in alias creaturas quaſcunque, ſolus obtinet, ac pro ſumma illa ſapientia & iuſtitia, quæ in ipſo eminent, ac quarum vix umbram inter Mortales reperire eſt, ſimpliciter & credere debeamus, & parere, in omnibus, quæ ſacratiſſimum eius Verbum, ſacrâ Scripturâ authenticâ comprehenſum, aut credenda, aut exequenda, aut devitanda nobis proponit & iniungit; atque tum mores noſtros, tum intellectum quoque, ad id conformare, tanquam ad canonem abſolutiſſimum: quo ſenſu etiam Canonicorum nomen libris Sacræ Scripturæ authenticis à priſca Eccleſia inditum fuit. ſed de iſta ſacræ ſcripturæ authoritate, quanquam latiſſimus dicendi campus patet, nihil amplius dicturus ſum, quum ea ad præſens propoſitum, atque ad huius libri inſtitutum nequaquam pertineat. Veniamus itaque ad alterum authoritatis genus, in quo S. Scriptura nihil peculiare ſuper alia ſcripta, alioſque libros quoſvis obtinet, quippe quæ in eo conſiſtit, ut autographa, itidemque accurata & fidelia apographa, ſint norma aliorum omnium eiuſdem ſcripti

exemplarium, uti & Translationum eius, & citationum ac allegationum: in quorum quocunque si aliquid à scriptis authenticis, sive ea autographa sint, sive apographa, dissonum reperitur, id pro spurio & adulterino condemnandum est, atque reiiciendum; ita ut nulla alia ratione, ad exercendam illam censuram, opus sit, præter ipsum illum dissensum. Si quod igitur occurrit alicuius libri exemplar, quod ab aliis eiusdem exemplaribus, probis illis atque accuratis, ac proinde authenticis, multis in locis, id-que haud raro satis graviter, discordat, illud propter istam discordiam pro corrupto habendum est, & authentici nomine indignum iudicandum, omni-que hac, de qua nunc agitur, authoritate carens. Quanquam enim authentia librorum ex aliis descriptorum non adeo angusta est, neque tam arctis cancellis circumscripta, ac illa instrumentorum publicorum à tabellionibus aut graphiariis transcriptorum; neque pauculæ quædam & parvi momenti mendæ, si quæ hic illic inter exscribendum irrepserunt, in illis, uti in istis, ipsi proreliqua quoque & absolute sana parte derogant: attamen exemplar multis crassisque mendis obsitum non potest ullo pacto authentici nomen tueri, neque authoritatem authentico codici debitam retinere. Atque idipsum de Translationibus quoque tenendum est. tametsi enim, proprie ac stricte loquendo, nulla Translatio potest authenticæ nomine donari; quodam tamen modo secundariam illam authentiam, quam ab autographis ad fidelia apographa derivari diximus, Versiones quoque, (sed aliter, & imperfectius) participare possunt, si nimirum exacte & fideliter ex protographis ac authenticis libris expressæ sunt, cum nullis, aut cum pauciſſimis & parvi momenti aberrationibus: sicuti contra Translatio illa, quæ ex codice linguæ originariæ vitiosa adornata est, utut aliàs diligenter & accurate facta; vel quæ multa magnaque inter convertendum vitia contraxit, quanquam ex codice sincero & authentico facta; authenticæ appellatione penitus indigna evadit, omnemque illam secundi huius generis authoritatem in totum omittit. Namque illa Morini, Exercit. Antibib. 6. cap 9. extremo: Licet multa complectatur 70. Interpretum Translatio, quæ nec Hebraicus Textus, nec Vulgata Latina nobis exhibeant: & vice versa multa complectatur textus Hebræus & Vulgata Latina, quæ 70. Interpretum translatio nobis non exhibeat; neutrius divinæ authoritati præiudicare debet ista hemistichiorum & versiculorum ab hac aut illa translatione vel abtentia, vel præsentia, ut liber aliquis translatus authen-

„ authenticus ab Ecclesia declarari possit, sufficit interpretationem „ recte & appositè factam fuisse, nihilque contra fidem bonosque „ mores continere. nunquam necesse fuit, ut omnia complecteretur, quæ Mosis vel Prophetarum ἀυτόγραφον. ista, inquam, fatuitate & dementia summa laborant, ac plane Moriniana; uti & ea, quæ in eundem sensum profert eiusdem Exercitationis capite duodecimo, ubi defendit, *Translationem posse censeri canonicam, in qua multa sunt non modo à Prophetis non dicta, sed scribarum inducorum errore, negligentia, aliisque de causis invecta; taliaque Translationis eiusmodi canonicam authoritatem nullo modo convellere, modo nullus ex ea locus produci queat, qui falsum, ridiculum, aut absurdum quid contineat:* qualia etiam multa garrit cap. 13. in cuius epiloge ponit bellam istam *πῦρ*, superioribus per omnia similem, & à Muisio quoque notatam, *Insanum esset, Versionem aliquam criminari, quæ textum primigenium, ex quo conversa est, fideliter repræsentat. Sufficit ad eundem Versionis, qua Versio est, à sensu, qui continetur in Origine, nihil discrepare.* Sicuti enim verissimum est, sufficere ad reddendam Translationem authenticam (in quantum Translatio authentica esse potest) *ut textum primigenium fideliter repræsenter; ut à sensu, qui in Origine est, nihil discrepet: ut recte & appositè facta sit;* si quis loquatur de textu primigenio sincero & authentico: ita nihil falsius dici potest, quando codices primigenij, è quibus translatio facta est, supponuntur fuisse mutili & manci, aliisque multis ac gravibus modis vitiosi ac depravati, quales eos prædictis locis supponit Morinus. Quum enim omnis Versionum authentia, quanta-quanta est, à conformitate ipsarum cum codicibus originariis, è quibus adornatæ sunt, dependeat ac oriatur; non possunt eæ ullam habere authentiam (utut magnam alias & exactissimam in iis convertendis fidem & diligentiam præstiterit Interpres) si codices earum originarij illa ipsi caruerunt. carent autem omni in totum authentia codices tot tantisque corruptelis defœdati, & tam misere à suis prototypis variantes, ac illi, de quibus ibi Morino sermo est, fecerunt, ex ipsius hypothesi. Talia, inquam, exemplaria nullam possunt in Translationes inde factas derivare authoritatem, quam ipsi nullam habent. habere autem nullam, per se planissimum est; ut superfluum sit, ulla aliorum in id testimonia, quod alioqui factu facillimum esset, velle adducere. temperare tamen mihi non possum, quin unum citem, hominem quidem futilissimum ac mendacissimum, & nullius prorsus fidei, sed cuius testimonium tamen valere in hac causa

debet. Is eſt ipſe Morinus, cuius hæc ſunt verba, Exercit. antibiblicæ primæ cap. 7. pag. 60. *Exemplari nulla authoritas arrogatur, niſi authentico conformis eſſe comprobetur.* Et Sacrarum Scripturarum Tranſlationi factæ ex codicibus originariis ita vitioſis, omnique ob id authentia deſtitutis, velle authentiam inde aſſerere, *quod nihil contineat contra fidem aut bonos mores, nihilque abſurdum, falſum, aut ridiculum*; hoc eſt cœlum terræ miſcere, & totam authentiæ naturam prorſus vel ignorare, vel deſtruere. ut enim authentica ſit aliqua Sacræ Scripturæ Verſio, non ſufficit, eam nihil tale continere, ſed præterea neceſſe eſt, ut & illa, quæ ad fidem & bonos mores ſpectant, & alia inſuper omnia contineat eodem modo, & abſque ulla vel diminutione, vel redundantia, vel immutatione, quo ea in codicibus originariis melioris notæ, & liquidè authenticis, continentur.

Poſtquam explicavimus, quænam ac qualis ſit, & in quo conſiſtat, codicum ſacræ Scripturæ originariorum authentia, eorundemque in alios codices ab ipſis variantes, inque Tranſlationes omnes, authoritas; non eſt multis verbis opus, ut monſtretur, Morinum ac Capellum codices noſtros Hebraicos, qui in medio verſantur, omni authentia & authoritate penitus exſpoliare. Nam ut de Authoritate prius dicam, adeo nullam in alios codices, inque Tranſlationes, iis relinquunt, ut Codicem ſamaritanum, plurimum ab iis diſcrepantem, in eodem cum ipſis pretio habeant, & in eodem dignitatis gradu collocent. & Tranſlationes Veteres adeo iis faſces ſubmittere nolunt, ut Morinus quidem rem plane in contrarium vertat, ac Tranſlationem Græcam ipſorum normam eſſe velit, ad quam ii examinari debeant, & reformari: Capellus autem, in omnibus diſcrepantiis, quæ circa verba ipſa verſantur, qualeſcunque ac quantæcunque illæ fuerint, nullum majus Codicum Hebraicorum in Tranſlatione illam Græcâ, atq; alias Tranſlationes Veteres quaſcunque, ius eſſe velit, quàm earum in ipſos; ſubiiciens utroſque uni communi canoni, commodioris ſenſus, ſecundùm quem victoria illis adiudicari vel abjudicari debeat, ſepoſito omni alio reſpectu, ac nullâ prorſus codicibus Hebraicis ſuper Tranſlationes prærogativâ relictâ, ſed hiſce cum illis pleniſſime exæquatis; quare Interpretes & Enarratores Sacræ Scripturæ in omnibus locis, ubi Veterum Verſionum cuicunque cum Verbis Textus Hebraici nequaquam convenit, ad illas æque, ac ad iſtum, attendere debeant, atque ex omnibus id deligere, quod commodiorem ſenſum ipſis gignere videbitur. quæ or[illegible] fuſe

antehac explicata, & contra fœdas ſtolidaſque ac pudendas Morini & Capelli tergiverſationes in clara luce ante omnium oculos poſita, nunc verbo attigiſſe ſatis eſt.

Neque modo docent illa iſti duo Hebraicę Veritatis hoſtes, unde neceſſario ſequatur, atque evidens ſit, eos velle, Quòd codicibus Hebraicis nulla ſit in Vêteres Interpretes authoritas, ſive, id quod ſub aliis verbis planiſſime idem eſt, Quod hi non debeant ad illos, tanquam ad normam, examinari & emendari, quantum quidem ad illud diſcrimen attinet, quod in verbis ipſis, non autem in eorum ſignificatione ſitum eſt: ſed exerte ac claris verbis tantundem quoque crebrò profitentur. Namque Morinus, ut nunc omittam ea, quæ in aliis eius ſcriptis in hanc rem occurrunt, Diatribes Capite Decimo, & in Epigraphe gloriatur, à ſe *demonſtrari, Hebræum textum corrigendarum antiquarum Verſionum regulam adæquatam eſſe non poſſe:* & in ipſo eius corpore, pag. 121. proponit, veluti principium minime concedendum, *Antiquas Verſiones ad Hebræum textum, velut ad Lydium lapidem, eſſe exigendas.* & in Reſponſione ad ſectionem Examinis octavam, profitetur rurſus tantundem, tum in Epigraphe, ubi ait, *Ad Hebræum textum ſolum Verſiones antiquas non eſſe exigendas:* tum poſtea pag. 199. ita ſcribens: *Si Hebræus textus, ut nunc ſe habet, multis in locis convincitur eſſe vitioſus, manifeſtum eſt ipſum ſolum, ut nunc ſe habet, omnium antiquarum Interpretationum regulam eſſe non poſſe, nec eas ad illius libellam & præſcriptum eſſe ubique dirigendas & exequendas.* Rurſuſque eiuſdem ſcripti pag. 362. in reſponſionibus ad Cenſuras D. Muiſij, aſſerit, *certum eſſe, Iudæorum neotericos codices Verſionum antiquarum corrigendarum regulam adæquatam eſſe non poſſe:* addens, *Quod unicum omnibus libris, quos de his rebus ſcripſi, demonſtrare contendi.* atque huc quoque pertinet, quod initio Operis anti-biblici, pag. 3. ſolis Prophetarum autographis concedit, ut Verſionum omnium regula ſint & amuſſis: *Fateor*, inquit, *Apoſtolorum & Prophetarum αὐτόγραφα regulam eſſe & amuſſim, ad quam Verſiones omnes exigendæ ſunt. Repræſentetur ipſiſſimus liber Moſis, qui iuſſu Dei in arca conſervabatur: ad ipſius exemplum & præſcriptum Verſiones omnes emendandas eſſe libentiſſime concedo, nec 70. Interpretum tranſlationem excipio.* —— *nulla controverſia eſt, aut unquam fuit, de authenticis libris, hoc eſt, ipſiſſima Prophetarum & Apoſtolorum manu deſcriptis.* Capelli autem Pſeudo-critica, eiuſque Appendices & Defenſio, ſcatent eiuſmodi dictis, quibus ſancit, Verſiones antiquas non eſſe ad

codices noſtros Hebraicos, tanquam ad normam, examinandas & corrigendas, ubi aliquid in ipſis verbis diſcrimen occurrit; neque eas ob id ſimpliciter eſſe damnandas, quia à Textu Hebræo diſ-, ferunt. Ita libri 6. cap. 5. §. 4. dicit, Quum hodie inter Chri-„ ſtianos de Scriptura eiuſque mente diſceptatur, non eſt ſtatim „ vel Græca 70. Interpretum, vel Latina Vulgata S. Hieronymi „ Verſio, vel quælibet alia eiuſmodi vetus Tranſlatio, ſi nobis , obiicitur, eo ſolo nomine reiicienda atque explodenda, quia , cum hodierno codice Hebræo non conſentit. ac rurſus eiuſdem capitis §. octavo: *Maneat itaque hoc fixum ratumque, Vulgatam Verſionem, aut 70. Interpretum, non eſſe ideo falſi revincendam, aut eo duntaxat nomine repudiandam, quia repugnat hodierno textui Hebræo.* & Defenſionis pag. 636. *Quum ex collatione plurium codicum* [id eſt, ex ipſius mente, Veterum Interpretum cum codicibus noſtris Hebraicis] *deprehenditur aliqua lectionis varietas, non eſt ſtatim reiicienda aliorum codicum lectio, hac ipſa tantùm quod ab hodierna diſtat.* Et ſane omnino neceſſe eſt Morino & Capello ita ſentire ac loqui, ut Codicibus noſtris Hebraicis omnem adimant authoritatem, tum in Pentateuchum Samaritanum, tum in Tranſlationes antiquas. Talis enim authoritas, qualis eſt illa de qua hic loquimur, nequaquam competere poteſt codici ulli in alia exemplaria, ſi ipſe non eſt authenticus; quum authoritas iſta ab authentia pendeat ac oriatur, ſicuti iſta ſuperiùs monſtravimus. authenticus autem nullo pacto eſſe poteſt codex frequenter ac graviter ab autographis varians, valdeque impurus ac inſincerus, multiſque & craſſis corruptelis & mendis obſitus; qualem eſſe Morino ac Capello Textum Hebraicum noſtrum, ſive, ut ipſi indigitare amant, Iudaicum & Hodiernum, certo conſtat, & nos ſupra multis planum fecimus. Præterquam autem quod illa, quæ de plurimis ac graviſſimis Textus Hebraici depravationibus paſſim crepant, abunde per ſe ſufficiunt ad detrahendam ipſi illam cum autographis conformitatem, ſine qua authenticus eſſe nulla ratione poteſt; frequentiſſime diſertiſſimis verbis inculcant hoc ipſum, Codices noſtros Hebraicos non referre exacte autographa, neque eſſe iis per omnia ſimiles; & contrariam ſententiam, quæ noſtra eſt ac S. Hieronymi, traducunt atque exagitant pro paradoxo, ſomnio, commento, & quidem ridiculo, ſuperſtitioſo, futiliſſimo, falſiſſimo atque abſurdiſſimo. Certe Capelli ſcripta eiuſmodi dictis atque dicteriis undique differta ſunt; & tribus illis, quæ epiſtolæ anticriticæ para-

grapho octavo in Inſpecimen adduximus, permulta alia conſimilia addi poſſunt: uti iſtud ex Pſeudo-criticæ lib. 1. cap. 1. §. 8. *Iudæi, gens ſupra modum ſuperſtitioſa, in hac quidem hodie-que ſunt, & ſemper iam à multis ſæculis fuerunt ſententia, ut quicquid vel hilum à codice ſuo hodierno diſcrepat, ea ipſo eſſe falſum & adulterinum, ac propterea reiiciendum. nempe hos illi ſibi perſuaſerunt, hodiernum ſuũ codicem ne vel minima quidem apicula diſcrepare ab ipſis ſacrorum Scriptorum, & Moſis vel Eſdræ autographis.* Sic lib. 4. cap. 17. „ Quia multi ſunt hodierno codici Hebræo ita addicti, ut religio „ illis ſit, nefaſque prorſus habeatur, vel latum pilum ab eo diſ„ cedere, quaſi ipſa Scriptorum Sacrorum autographa totidem „ non modò vocibus & literis, ſed etiam vel minimis apiculis, ha„ berentur in eo ad unguem expreſſa, & ad amuſſim repræſentata; „ operæpretium eſt errorem illum à pulmone illis revellere. l. 6. cap. 5. §. 10. *At dicet forte aliquis, Neceſſe eſt aliquem eſſe codicem certum & immotum, qui nobis ad amuſſim repræſentet ſacrorum Scriptorum αὐτόγραφα ipſa ——— atque huiuſmodi codicem nonnulli volunt eſſe Hodiernum Iudæorum Hebræum textum, quoad Vetus Teſtamentum, quem putant nobis exhibere ipſius Moſis & reliquorum Prophetarum αὐτόγραφα exactiſſime & ad amuſſim, in omnibus etiam vel minimis apicibus.* & eiuſdem libri c. 9. *Ni Iudæorum commentatores Rabbini nimis ſuperſtitioſe addicti eſſent hodiernæ codicum ſuorum lectioni, acſi illa totidem apicibus nobis exprimeret ipſa ſacrorum Scriptorum autographa.* ac capite eiuſdem primo, ipſis primis „ eius verbis: Ex his, quæ hactenus —— diſputavimus, ſatis ma„ nifeſtum eſſe putamus id, quod non ſemel, ſed ſæpius variis in „ locis, ſupra inculcavimus, non exhiberi nempe nobis ſemper & „ ubique in textu Hebræo hodierno primam atque vetuſtiſſimam, „ quæ in ipſis S. Scriptorum fuit αὐτογράφοις codicibus, lectionem. & Defenſ. pag. 66. *Qui in univerſum ubique ἀδιαφόρως præferri volunt hodiernam lectionem maſoretbicam cuilibet alteri, illos neceſſe eſt tueri paradoxum iſtud abſurdiſſimum, Hodiernum codicem à Moſis & Prophetarum autographo ne hilum quidem differre, reliquos omnes ab eo diſceſiſſe, ubicunque à noſtro iſto diverſi abeunt.* Sed & in Apologia eandem cantilenam ſæpius occinit, ut pag. 16. *Si nefas eſt ab hodierni codicis Iudaici lectione vel tantillum recedere, dicendum eſt hodiernum codicem Hebræum referre nobis ipſum Moſis & Prophetarum αὐτόγραφον ad minimum uſque apicem.* & pag. 13. „ An dicet Bootius, hodiernam lectionem eſſe ipſam Veritatem „ Hebraicam, à qua nefas eſt diſcedere vel latum pilum? Nega-

„ buntilli, nisi ipsis demonstretur, hodiernum codicem referre ad
„ amussim ipsa Prophetarum ἀυτόγραφα. hoc autem asseri adstrui,
„ aut demonstrari non potest, nisi dicamus omnes Scribas sine ul-
„ lo vel minimo errore alios ex aliis descripsisse. ac pag. 14.
„ Vbi probaverit Bootius, hodiernum codicem Hebræum Iudai-
„ cum referre ad amussim ipsa Prophetarum ἀυτόγραφα sine ulla
„ vel minima discrepantia, concedam illi, non esse ab Interpreti-
„ bus attendendum ad Veteres Translationes, sed ad solum tex-
„ tum Hebraicum Hodiernum. Verùm nunquam id probabit Boo-
„ tius. & pag. 16. Si hoc per Bootium non licet, necesse est di-
„ cat hodiernos codices ad amussim, accurate, & ad minimum
„ usque apiculum repræsentare ipsa Prophetarum ἀυτόγραφα. Da-
„ to enim eos non ista sic accurate repræsentare, licebit de ho-
„ dierna lectione variis in locis dubitare —— Nisi Bootij para-
„ doxon complectamur, de apographo isto hodierno pari per om-
„ nia, ad minimum usque apiculum, cum Prophetarum ἀυτογρά-
„ φων. iterumque pag. 24. *Alter vitandus scopulus hic est, ne*
scilicet superstitiose nimis hodierni codicis Iudaici lectioni adhæreamus,
quasi purum putum Mosis & Prophetarum nobis repræsentaret ἀυτόγρα-
„ φον, *sine ullo vel minimo discrimine.* & pag. 68. Quid hic tan-
„ topere exardescit Bootius, nisi quod hoc ipsi fixum & ratum est
„ (ex Iudæorum nimirum sententia, sed nulla ratione fulta, imo
„ contra rationem) hodiernum codicem Hebræum repræsentare
„ nobis ipsissima Prophetarum ἀυτόγραφα, ad minimos usque api-
„ ces, ideo-que in eo nihil omnino esse mutandum, sed quicquid
„ ab eo vel latum pilum distat, eo ipso esse damnandum & reii-
„ ciendum. itemque pag. 99. *Bootius ita agit, ita loquitur, ita sen-*
tit, acsi codex hodiernus Iudaicus esset ipsum prophetarum autographum,
aut exemplar illi par & geminum sine ullo discrimine, à quo propterea
nefas sit vel levissime discedere, quod quam falsum sit & iniustum, pu-
to iam omnibus æquis & cordatis lectoribus patere. Quantum ad
apices & *apiculos*, eosque *minimos*, quorum in hoc negotio tam li-
benter meminit Capellus, nugamentum illud est nugacissimum,
simulque summe malitiosum, quippe in hoc excogitatum, ac ser-
moni de Codicum Hebraicorum cum autographis conformitate,
toties ab eo immistum, ut veram de ea sententiam hoc pacto ob-
scuraret, tantoque maiorem ipsi inequitandi, eamque pro absur-
da & ridicula traducendi, colorem nanciscereturr: id quod in Epi-
stola quoque Anti-critica, paragrapho octavo monui. Respon-
det quidem ad id Capellus, Apol. pag. 16. *Nisi ipse, eiusque simi-*

les, ſic loquantur, & ſentiant, fruſtra & ſine cauſa meam de variis lectionibus reticiunt ſententiam: ſed reſponſio iſta, ut aliæ ipſius pleræque, ſtultitiæ pleniſſima eſt. nemo enim non faſſurus eſt, modò non habeat cerebrum æque ac Capellus delirum, ad tuendam exactam exemplarium cum archetypis conformitatem ſufficere, ut eædem ſint utrobique voces, ſine quibus ſenſus non conſtat, & cum vocibus quoque literæ, ſine quibus non conſtant voces, neque ſcribi aut exarari poſſunt; ablegatis Anticyras unà cum authore ſuo iſtis *minimorum apicum atque apiculorum* futilitatibus & deliramentis.

Morinum verò quod attinet; clarum eſt ex iis, quæ capitis primi extremo fuerunt diſputata, eum codicibus noſtris hebraicis ſinceritatem atque authentiam omnem detrahere; quippe qui velit, eos depravatos eſſe, atque à priſtina puritate, & à primæva ipſorum *αὐτογράφων* ſcriptura degeneraſſe omnibus illis in locis, ubi ipſis cum Græca *τῶν* 70. Tranſlatione diſconvenit. hoc enim planiſſime aſſerit teſtimoniis ibi allatis, quibus addi etiam poteſt hoc, ex §. 35. Præfationis in Biblia Græca: *Lapſu temporis factum eſt, præcipue poſt templi excidium, ut frequenti codicum tranſcriptione poſteriores codices ab authentico & aureo codice, quem Iudæorum Pontifex ad Ptolomæum miſit, plurimum differrent.* Et hinc eſt, quod in eadem Præfatione, quum inde à paragrapho 22. uſque ad finem §. 38. adferat exempla quamplurima diſcrepantiarum Codicum Hebraicorum à Tranſlatione Græca, orientium, vel à literarum & vocum tranſpoſitione, permutatione, additione, omiſſione, vel à varia dictionum, commatum, periodorum coniunctione aut diviſione; pro confeſſo ſumit, omnem iſtius diſcriminis culpam in Codicibus Hebraicis hærere, inque eorum *errores & depravationes* omnem iſtam differentiam impingit: & incunctanter ac fidentiſſime ubique pronuntiat, cunctis iſtis locis Textum hebræum modernum, uti ipſi appellare placet, immutatum fuiſſe à Iudæis, atque corruptum. Itaque paſſim ibi legas, *In textum illum mendas irrepſiſſe; eum ſic reſtituendum: aureum illum textum, quem è Templi penetralibus depromptum præ oculis habuerunt 70. aliter ſcriptum habuiſſe; in textu Iudæo ante excidium aliter lectum fuiſſe: codices Hebræos à Rabbinis interpolatos; corruptionem in textum ſe inſinuaſſe: locum manifeſte corruptum, idque ingenti corruptione: depravationem factam harum aut illarum literarum vel additione, vel litura: Rabbinos verba expunxiſſe, eraſiſſe: Iudæos literas & voces mutaſſe, permutaſſe, ſubſtituiſſe, & diverſus ab antiquo Textu, qui 70. Inter-*

pretum & Apostolorum tempore vulgatus erat, in codicem suum, deletis prioribus, reposuisse: alia-que similia permulta, & consequenter istis sententiam illam, quæ exemplaria nostra autographis similia statuit, eandemque illis atque istis maiestatem & sinceritatem attribuit, pro falsa & delusionis plena traducit, Exercitationis Anti-biblicæ primæ capite primo, pag. 2. ubi hæc sunt eius verba: „ Doctis equidem videri potero magno conatu in rem inutilem „ incubuisse, cum nemini notum non sit, Fontes Hebræos, & „ Græcos [in N. Testamento] turbidos admodum fluere, Do„ ctorum omnium catholicorum esse sententiam. Experientia ta„ men didici, nonnullos huic rei non satis attendentes, Prophe„ ticorum & Apostolicorum αὐτηγράφων maiestate & sinceritate „ delusos, eorum ἀπηγράφοις eandem maiestatem & sinceritatem, „ quasi utrorumque nullum esset discrimen, imprudenter arrogare: qualia etiam garrit eiusdem Exercitationis cap. 7. pag. 60. ac Exercit. 2. cap. 1. pag. 66.

Et acsi parum esset Morino & Capello, ea docere, cum quibus Textus Hebraici authentia & authoritas stare nullo pacto potest (quippe quem infinitis in locis velint esse partim manifestæ ac gravissimæ corruptionis reum, partim sanitatis summe dubiæ ac incertæ) & persæpe etiam exertis verbis utramque illam prærogativam ei adimere: insuper illum quandoque incessunt eiusmodi telis, quæ authoritatem eius & sinceritatem non iam in partibus lædunt, sed universam penitus confodiunt, atque à fundamentis subruunt ac convellunt. Quippe Capellus Apologiæ pag. 107. Codicum nostrorum Hebraicorum authentiam & authoritatem sic lacessit: *Vnde nobis certo constat, ipsum Sacrum Scriptorem sic habuisse in autographo suo, quomodo hodie habetur in codice Iudaico?* posteaque, in calce eiusdem paginæ: *An potest B. certo & infallibiliter affirmare, lectionem hodierni codicis Hebræi esse ubique & semper ipsissimam autographi Scripturam, sine ulla vel in minimo mutatione? si non potest id certo affirmare, cur nos necessario adstringit ad eam sequendam, quasi ea esset ipsa Sacri Scriptoris lectio & scriptura?* quarum interrogationum si ulla vis est, non ea iam ad partes aliquas textus Hebraici duntaxat, sed ad universum eius corpus ex æquo pertinet; ita ut nullus uspiam in eo locus sit, cuius integritatem & authoritatem eodem prætextu non liceat sollicitare, & qui ita se tueri possit, ut non pateat & expositus sit quorumcunque hostium proterviæ & impietati; quibus proinde liberum erit, quidcunque uspiam in Sacro codice ipsis displicuerit, aut minus

arriserit,

arriſerit, præſidio Capellianæ iſtius cavillationis arrodere, & corruptum cauſari, ac pro ſpurio & adulterino damnare & repudiare. Et tamen dicere audet iſte homo, Apol. pag. 87. *iniquam & iniuſtam criminationem, imò calumniam eſſe* id, quod dixeram in Epiſtolæ meæ §. 53. *cum Divinorum Oraculorum maieſtatem ac ſanctitatem ſollicitare, & graviſſime violare.*

CAPVT X.

Capellus illud ſuum iniurioſum in Hebraicos Fontes commentum, quo Tranſlationes Veteres iis exæquat, in tribus fundat hypotheſibus; Quod Codices Hebraici olim immaniter variaverint; Quod unuſquiſque Veterum Interpretum habuerit codicem Hebraicum à codicibus aliorum Interpretum, & à codicibus noſtris, maximopere diſcrepantem: & quod quiſque iſtorum Interpretum exemplar ſuum hebraicum in transferendo exacte ac fideliter expreſſerit: in quibus hypotheſibus Morinus Capello ad amuſſim concordat.

ETiamſi pleraque eorum, quæ hactenus fuerunt dicta, ad vindicandum meipſum potius, quàm Textum Hebraicum, pertinent; omnino tamen neceſſaria ea fuerunt ad aſſerendum ſtatum quæſtionis contra turpes ac pudendas tergiverſationes & ſtrophas Morini & Capelli: quorum duorum hominum tanta eſt perverſitas, ut quum nefariæ ſuæ in Hebraicam Veritatem molitioni mordicus inhæreant, eam que nulla ex parte deſerere aut retractare ſuſtineant; nolint tamen pati illam ſibi à me obiici, atque ad eum modum, quo ab ipſis proponitur, & acriter ac pervicaciter propugnatur, repræſentari. Sed nunc, poſtquam detectis convictiſque omnibus eorum technis ac fallaciis, omnibus-que ſubterfugiis præcluſis, in aperto locatus eſt quæſtionis ſtatus, ac liquido

demonſtratum, quam graviter & quam flagitioſe Codicum Hebraicorum maieſtatem & ſinceritatem temerare, omnemque eorum authoritatem & authentiam convellere aggreſſi ſint duo iſti Hebraicæ Veritatis hoſtes infenſiſſimi: diſpiciendum venit, quibus præſidiis inſtructi ad tentandam rem tanti momenti acceſſerint, & quibus rationibus ac argumentis eam ſe conficere poſſe ſperaverint. Capellus, ut obtineat id quod vult, de æquiparandis Tranſlationibus Veteribus omnibus cum ipſis Codicibus Hebraicis, ita ut æque magna illarum atque horum ratio habenda ſit cunctis in locis, ubi aliquod in ipſis verbis diſcrimen occurrit, nullo alio verioris lectionis κριτηρίῳ relicto, quàm quod maior ſenſûs commoditas ſubminiſtrat: ut hoc, inquam, obtineat Capellus, tria ſupponit, atque lectori ſuo paſſim ingerit: 1. Codices Sacræ Scripturæ Hebraicos enormiter olim atque immaniter variaſſe, & variis lectionibus innumeris omnis generis, plurimiſque longe graviſſimis & maximi momenti, undique commaculatos fuiſſe: 2. Vnumquemque Veterum Interpretum habuiſſe exemplar Hebraicum, quod & ab exemplaribus noſtris, & ab illis, quibus uſi reliqui Interpretes, quamplurimum diſcreparet: 3. Interpretes illos officio ſuo probe perfunctos, atque in Tranſlationibus ſuis omnia exactè, & eodē modo ac in codicibus ſuis Hebraicis illa repererunt, expreſſiſſe, non quidē quoad veram vocum & phraſium ſignificationem, in qua aſſequenda perſæpe erraverint, & graviter hallucinati ſint, ſed in verbis ipſis; ita ut omnes illæ differentiæ, circa vocum pauciorū pluriumve, & circa integrarum ſententiarum, periodorū narrationum ablationē, additionem, immutationem, aut tranſpoſitionem verſantes quæ cuivis ipſorum cum conſortibus ſuis, & cum codicibus noſtris Hebraicis, intercedunt, non Interpretibus ipſis, eorum-ve aberrationibus, aſcribi debeant, ſed codicibus eorum Hebraicis, qui ita multipliciter ac graviter ab aliis exemplaribus Hebraicis variantes, diligenter ac fideliter hac in parte ab illis inter convertendum repræſentati fuerint. Primum iſtorum, de ingenti codicum Hebraicorum Varietate, affirmat lib. 5. Pſeudo-criticæ, cap. 11. §. 6. hiſce verbis: Vix, ac ne vix quidem, inveniri poſ„ſunt, utut ſumma tandem adhibeatur diligentia, duo cuiuſ„cunque tandem libri codices Veteres manu exarati, qui in om„nibus plane conſentiant ſine vllo prorſus diſcrimine. quanto mi„nus id ſperandum eſt de tot codicibus, tam diverſis temporibus, „& diſſitis inter ſe locis, deſcriptis, maxime cum libri ſacri ſint

„multis in locis perplexi & obſcuri, ut facile fuerit illius deſcri-
„ptorem ab exemplari, quod ob oculos habebat, non raro deſle-
„ctere, & in deſcriptione hallucinari, atque impingere etiam
„graviter. à qua communi omnium librorum ſorte non eſt exiſti-
„mandum ipſos libros ſacros tum Veteris tum N. Teſtamenti im-
„munes fuiſſe, &c. Sic lib. 6. cap. 1 § 3 Maneat itaque hoc ex
„ſuperioribus iam ratum fixumque, ſacros Codices eandem com-
„munemque cum reliquis omnibus libris paſſos eſſe in deſcri-
„bendo calamitatem, variam nempe & multiplicem, quæ à libra-
„riorum atque ſcribarum incuria, inſcitia, & ἀβλαβία, correcto-
„rumque interdum audacia & temeritate oriri ſolet, lectionem,
„à qua ne hodiernus quidem codex Hebræus immunis eſt, aut
„eſſe potuit. & capitis 5. §. 11. *In his, aliiſque quamplurimis eiuſmodi rebus, illapſa ſane eſt, Deo permittente, ex humana & ἀδιαβλήτῳ infirmitate, ſcribarum incuria, vel temeritate, in ipſos ſacros utriuſque originarij textus codices multiplex varietas, qualem hactenus totis quinque præcedentibus libris exhibuimus.* itemque Defenſionis §. 25. *An inde efficiet Cenſor, non fuiſſe eo uſque magnam codicum Hebræorum varietatem & diſſidium? legat Cenſor Criticam noſtram, &, niſi ultro cæcutiat, varietatem illam deprehendet.* Secundum verò quod attinet, de maxima diverſitate codicum Hebræorum, quibus Veteres Interpretes uſi ſunt, tum inter ſeſe, tum à codicibus noſtris, de eo ſic loquitur Pſeudo-criticæ lib. 6. cap. 5. §. 3. *Diverſiſſimis uſi ſunt Interpretes illi inter ſe, & ab hodierno codice Hebræo diſcrepantibus exemplaribus.* & cap. 6. §. 2. *Oſtendimus, Tranſlationum illarum authores omnes uſos eſſe variis atque diſ-*, *crepantibus codicibus.* itemque pag. 635. Dixi, lectionem hodiernam maſorethicam, quam à Iudæis habemus, codicem eſſe
„unum è multis, & apographum textus hebræi. lxx. ſuum ha-
„buiſſe eiuſdem textus codicem hebræum, ex quo tranſlationem
„ſuam conſtituerunt. Chaldæos paraphraſtas ſuum item habuiſ-
„ſe, & S. Hieronymum ſuum: Aquilam ſimiliter, Symmachum,
, Theodotionem, ſingulos ſuum etiam peculiarem codicem. & Defenſ. §. 15. *Quum ex collatione Veterum Interpretum cum hodierno Hebræo textu liqueat, codices Veteres, maxime verò τῶν 70. ab hodierno quamplurimum diſtare.* ſic privatim de codice τῶν 70. , Pſeudo-criticæ lib. 1. cap. 13. Denique hoc ipſum (ut & Varia
„Lectio, quæ in Tranſlatione 70. Interpr. diverſa eſt ab ea, quæ
„hodie conſpicua eſt in Hebræo textu) arguit manifeſto codicem
„Hebræum, quo uſi ſunt 70. Interpr. alium fuiſſe ab eo, quo iam.

„utimur; quod ipsum magis fiet postmodum manifestum ex col-
„latione textus Hebræi cum translatione eorum. & lib. 4. cap. 15.
Planum iam est, opinor, quam longe discesserit codex Hebræus, quo
usi sint 70. Interpretes, ab eo quo nos hodie utimur, quandoquidem
tam varie legerunt, non modo quoad voculas & accentus —— *ve-*
rum etiam quoad literas, & voces, & periodos integras. itemque lib.
6. cap. 10. §. 8. *Hoc, quod toties monuimus, observato, diversissi-*
mum nempe fuisse τῶν 70. codicem Hebraeum ab hodierno. De
tertio autem, quod voluerit ac supponat Capellus, Veteres In-
pretes probe & exacte codices suos Hebraicos, quantum ad ver-
ba ipsa attinet, teddidisse, iisque inter convertendum presse in-
hæsisse; planum hoc fit ex eo, quod & initio statim Pseudo-critic-
æ, & aliis præterea locis quamplurimis (quorum permulti supra
capite secundo fuerunt allegati) omnes omnino Veterum Inter-
pretum à codicibus nostris Hebraicis discrepantias in duo genera
dispescens, ita ut aliæ earum ortæ sint ab Interpretum hallucina-
tione, aliæ autem à Varia codicum Hebraicorum lectione; dis-
crepantias illas hallucinatorias ita circumscribit, ut eas adstringat
duntaxat ad eos locos, in quibus omnia quidem eadem in suis co-
dicibus Hebraicis legerunt Interpretes, quæ nos legimus in no-
stris, sed veram vocum & phrasium vim & significationem parum
sunt assecuti: reliquas omnes discrepantias alteri classi deputans,
atque varianti Hebraicorum codicum lectioni acceptas ferens.
Ita enim quisentit, ac loquitur, & qui isto respectu omnes Vete-
res Translationes pro totidem ipsius Textus Hebraici exemplari-
bus venditat, atque habendas edicit; is omnino sentit, Interpre-
tes probe officio suo functos, hac saltem in parte: & quanquam
in percipienda atque exprimenda dictionum locutionumque ge-
nuina virtute sæpius lapsi sint atque aberraverint, in repræsentan-
dis tamen ipsis verbis, iisque quodammodo annumerandis, ma-
iore cum cura versatos esse. Quippe iniquissimum esset, & sum-
mæ stultitiæ ac vecordiæ plenum, Veterum Interpretum locos à
codicibus nostris Hebraicis ita discrepantes, uti verba illorum
cum istorum verbis stare nequaquam possint, pro ipsius textus
Hebraici Variis lectionibus habere, atque ostentare, nisi hoc
præsupposito, quod Interpretes verbis textus Hebraici, qualem
eum in suis codicibus repererunt, arcte se astrinxerint, ea que di-
ligenter ac fideliter exhibuerint & repræsentarint. & sane hoc ali-
cubi in Apologia ipse agnoscit Capellus. quum enim Epistolæ pa-
ragrapho 30. de 70. Interpretibus privatim agens (quorum haud

alia hic, quàm aliorum Interpretum quorumcunque, ratio eſt.)
, ita loquar: Quum ingens illa Variarum Hebraici textus lectio-
„ num multitudo, quam ex Græcæ Verſionis à codicibus noſtris
„ Hebraicis diſcrepantia procudit Capellus, ac tanto ſtrepitu in
„ medium produxit, hac nitatur hypotheſi, quod Interpretes iſti
„ textum Hebraicum, qualem repererunt in codice ſuo, exactè
„ expreſſerunt (niſi enim hoc ponatur, omnes illæ Variæ lectio-
, nes ſponte in auras & fumum vaneſcent) ad illa mea verba
ita reſpondet Capellus, Apologiæ pag. 52. & 53. ut totum illud
poſtulatum, revera agnoſcat, quanquam in ſpeciem ei ex parte
, contradicere, atque aliquid falſitatis affricare videtur. ita enim
, infit: Fallitur Bootius, & pro more ſuo turpiſſimè hallucinatur,
„ quum ait, *Omnes meas varias lectiones hac unâ hypotheſi, quod Int.*
„ *Interpr. textum Hebraicum, qualem reperarunt in textu Hebraico,*
„ *exactè expreſſerunt:* ubi Bootio addendum fuit, *ubique*: quod
„ niſi addat, nihil agit. Non enim dico, aut ſentio, Sept. Interp.
„ *ubique* exactè exprimere Hebræas voces, quæ in ipſorum fue-
„ runt codice: quandoquidem ipſe in Critica monui, quampluri-
„ mas eſſe diſcrepantias, quæ ſunt ab hallucinatione Interpretum,
„ qui vocum Hebraicarum ſignificationem vel non ceperunt, vel
„ non ſatis ad eas attenderunt. Vbi Verſionis eorum ratio duci
„ poteſt à Varia lectione, & oſtendi poteſt quomodo illi legerint,
„ iſthic dico eos trãſlatione ſua expreſſiſſe id quod in Codice ſcri-
, ptum erat. Quum diſcrepantias Veterum Interpretum hallucinatorias, ſeu ab ipſorum hallucinatione ortas, Capellus hoc loco, utialibi paſſim, tum in Pſeudo-critica, tum in Apologia, apertiſſime ad eos adſtringat locos, ubi *vocum Hebraicarum ſignificationem vel non ceperunt, vel non ſatis ei attenderunt*, ac proinde omnes alias diſcrepantias, circa verba ipſa, eorumque additionem, omiſſionem, permutationem verſantes, in alteram claſſem, earum nimirum quæ à varia lectione ortæ ſint, recipiat; fatetur de hiſce ſe dicere, *Quod Interpretes tranſlatione ſua expreſſerunt id quod in codice ipſorum hebraico ſcriptum erat:* ac proinde concedit totum illud, quod ego dixeram. namque de altero illo diſcrepantiarum genere, ab Interpretum hallucinatione ortarum, ego nec locutus ibi ſum, nec loqui potui. quippe in quæſtione illa, de diſcrepantiis Interpretum ad ipſa verba, variamque illorum lectionem, ſpectantibus, de quibus ſolis mihi cum Capello lis eſt, ne poteſt quidem ullus eſſe locus alteris illis, hallucinatoriis inquam, prout eas explicat Capellus, atque ad eos tantum locus coarctat, ubi

eadem quidem omnia in ſuis codicibus Hebraicis legerint Interpretes, quæ nos legimus in noſtris, ſed veram vocum vim ac ſignificationem parum aſſecuti fuerint: qua de re capite ſecundo permulta fuerunt dicta. Itaque ſumme vecors eſt illa Capelli tergiverſatio, qui mihi aſſerenti, quod ad tuendam ipſius de variis lectionibus ſententiam Interpretes debent ſtatui *textum hebraicum exacte expreſſiſſe*, opponit diſcrepantias hallucinatorias, in quibus id falſum ſit ex ipſius mente; nihilque addi poteſt ad ſummam illam petulantiam ac proterviam, qua eo nomine me non tantum *falli* dicit, ſed *turpiſſime hallucinari*: quum diſcrepantiæ illæ hallucinatoriæ, quarum obtentu ita impotenter in me incurſat, ad controverſiam illam, quæ mihi cum ipſo intercedit, nihil omnino pertineant, uti ipſemet eas intelligit & explanat, ſed ab eo ſint alieniſſimæ; ita ut ſermoni de diſcrepantiis circa ipſas voces verſantibus immiſceri non poſſint niſi ſtultiſſime & abſurdiſſime. neque ego *turpiſſime hallucinor*, quando eas dicto illo meo, de textu Hebraico exacte expreſſo ab Interpretibus, non reſpexi; ſed turpiſſime hallucinatur Capellus, qui cauſatur, me earum rationem habere debuiſſe. quæ res ſicuti per ſe planiſſima eſt, ita ſi quis ampliorem eius illuſtrationem deſiderat, ad modo memoratum caput ſecundum recurrat: ubi cum eam ex profeſſo & ampliter pertractaverim, nolo ſuperflua eius repetitione lectori hic moleſtus eſſe. Sicuti autem Capelli cavillatio dicti mei, de exacta textus Hebraici expreſſione, ſumme ſtolida eſt ob dictam rationem, & quia loci illi, in quibus hallucinatos vult Interpretes parum aſſequendo veram vocum ſignificationem, ad me haud quaquam pertinent, ut mihi omnino curæ eſſe non debeat, utrum iſtius dicti mei ambitu comprehendantur, necne: ita immenſa eius ſtoliditas magis adhuc apparebit, ſi quis paulo attentius eam introſpiciat. Quippe ne ſubſiſtere quidem ullo pacto cavillatio illa poteſt, niſi ut verba mea immaniter, atque in ſenſum à mente mea alieniſſimum, detorqueantur. certum enim eſt, atque evidentiſſimum, exactam illam textus hebraici expreſſionem, de qua ego loquor, minime à me prolatam de genuina vocum phraſiumque ſignificatione, ſed de verbis ipſis, quæ Interpretes, prout ea in codicibus ſuis hebraicis repererunt, velut annumeraverint, nihil iis vel addendo, vel demendo, aut alia longe diverſa pro iis ſubſtituendo. Ita me ſenſiſſe, & per ſe liquido patet, & diſci præterea poteſt ex variis Epiſtolæ meæ locis, ubi de eadē re loquor. unus, pro omnibus ſufficiet ille ex §. 18. Neutrum iſtorum ullo colore

„ dici poteſt, niſi conſtet Tranſlationes illas ex codicibus ſuis „ Hebraicis fideliter & exacte, ſi non quoad ſenſum, veramque „ vocum ac phraſium ſignificationem (de qua hic non quæritur) „ ſaltem quo ad lectionem, expreſſas eſſe, atque textum Hebræum „ preſſim & ad verbum, quantum res patiebatur; repræſentaſſe. An quidquam expreſſius dici poteſt, ad ſubmovendum à verbis meis ſenſum illum, quem iis me invito attribuit Capellus, & in quo ſuam contra exceptionem fundat? Si autem ita intelligantur verba mea, uti ego illa intelligi volui, nullus ne tenuiſſimus quidem color exceptioni iſti relinquitur, ſed abſque ullo vlteriore reſponſo ipſa per ſe corruat neceſſe eſt. ſiquidem ipſos illos locos, in quibus hallucinatos dicit Interpretes Capellus, veramque vocum vim haud bene intellexiſſe aut expreſſiſſe, dictum meum ambitu ſuo comprehendit; & in iis, æque ac in aliis, verum eſt, eo ſenſu quo dixi, Interpretes textum Hebraicum exacte expreſſiſſe: quum ipſe Capellus ſupponat, ac ſæpiſſime inculcet, Interpretes iis in locis, in quibus ita hallucinati ſunt, omnia eadem in codicibus ſuis hebraicis legiſſe, quæ nos legimus in noſtris. Idem itaque hic Capello accidit, quod alibi millies, ut cæca mihi contradicendi rabie abreptus, quum id faciendi cum aliquo colore occaſionem in verbis meis nullam reperiret, ipſe eam ſibi fabricaretur, omnia ſurſum deorſum miſcendo, & ſtrenuum ſophiſtam agendo, dicta-que mea pudendis artibus pervertendo, atque in ſenſum diverſiſſimum, quàm quo prolata ſunt, detorquendo.

Porro in tribus illis hypotheſibus, Quod codices Hebraici plurimum olim inter ſe variaverint; Quod unuſquiſque Veterum Interpretum habuerit codicem hebræum, à codicibus aliorum Interpretum, atque à noſtris, plurimum diſcrepantem; & Quod Interpretes illi ediderint tranſlationes codicibus ſuis Hebraicis exacte conformes: in tribus iſtis, inquam, Hypotheſibus Morino mirifice cum Capello convenit, adeoque in iis unanimes ſunt, ut ſimilius nihil fingi poſſit: plane acſi collatis operis eas ſimul fabricati, aut alter ab altero eas mutuati aut ſuffurati eſſent. Et ſecundum quidem, in quo etiam primum continetur, planiſſime dicit Diatr. pag. 360. & 361. *Manifeſtum eſt, Verſiones τῶν 70. Vulgatam, & Syram, ex variis codicibus Hebraicis eſſe factas —— Certum, S. Hieronymum vertendo non eſſe uſum eodem codice, quo 70. Interpretes, nec Syrum iiſdem codicibus Hebraïs, quibus S. Hieron. & 70. Interpretes. His quartus accedit Hebræo-ſamaritanus codex.* &c. Tertium verò illud, de conformitate Veterum Tranſlationum

cum codicibus Hebraicis, ex quibus illæ fuerunt factæ (intra cuius hypotheseos complexum etiam secundam, ac cum ea primam contineri manifestum est) passim lectori suo ingerit Morinus, præsertimque de Græca 70. Interpretum Versione, uti & de Latina Vulgata, seu Hieronymiana. De Sept. ubi hoc diceret, unum alterumque locum iam capite primo ex Exercitatione Antibiblica octava & nona adduxi, quos hic repetere, non est necesse: uti neque alios iis addere opus, quum rem illam, de qua hic quæritur, expressissime illi dicant; & quum facillimum sit, si quis adhuc ampliorem istius rei confirmationem desiderat, eam vel in sola Præfatione in Biblia Græca abunde invenire, absque ullo quærendi labore; siquidem ibi passim inculcat, ac pro confesso sumit, Sept. codicem suum Hebræum accurate & fideliter vertisse; omnemque illam discrepantiam, quæ Versioni isti cum codicibus nostris Hebraicis intercedit, codici ipsorum hebraico à nostris ita discrepanti acceptam ferendam esse: unde illud §. 42. *Hinc manifeste demonstratur, quoties versus unus vel plures desunt in Editione Sept. quæ in textu Hebraico adsunt, hoc Græci textus corruptioni non esse imputandum, sed Hebræorum exemplarium varietati:* aliaque eiusmodi quamplurima, nusquam non obvia in ista Præfatione. De Hieronymo autem idem affirmat Exercit. Anti-bibl. 6. cap. 13. §. 1. hisce verbis: *S. Hieronymus codices Hebraos, quos pra manibus habebat, fideliter vertens, ita scripsit.* ac §. 4. ait *Versionem illam textum primigenium, ex quo conversa est, fideliter repræsentare.* & eiusdem Exercit. capite decimo, in ipso fine, de utriusque simul, Sept. „ & Hieronymo, istud pronuntiat: Fideliter codices, quos præ „ manibus habebant, secuti sunt 70. Interpretes —— consi„ militer S. Hieronymus fidelissime reddidit latine codices He„ braeos, quos à Iudæis habuit. Vnde igitur eiusmodi Varietates „ inter translationem S. Hieronymi, sive Hebræum textum neo„ tericum (nam in hac hypothesi perinde fere sunt Vulgata, & „ textus Hebræus qui nunc extat, & qui tempore S. Hieronymi „ extabat) & Sept. Interpretum translationem? Omnis certe va„ rietas à codicum Hebraicorum varietate manavit. Textum He„ braeum fideliter verterunt Interpretes nostri: sed quum varia„ rent exemplaria, variasse quoque necesse fuit fideles exempla„ rium translationes. cui loco germanus est iste ex Præfatione §. „ 43. Vel denique [contingit] ut versus, qui apud Sept. exempli „ gratia notatur 15. nec verbis nec sensu cum 15. eiusdem capitis in „ Vulgata respondeat; sequentia tamen & antecedentia ad alium

numerum

„numerum non posse referri demonstrent ——— Ista difficul-
„tas nullâ medelâ sanari potest; nec enim medelâ opus habet. nam
„oritur ex variis Hebraici textus lectionibus, quarum unam se-
„cuti sunt 70. alteram S. Hieronymus. ——— Vti autem de dua-
bus istis translationibus, Græca 70. & Latina S. Hieronymi,
sæpissime affirmat Morinus eas codicibus Hebraicis, ex quibus
fuerunt adornatæ, esse conformes; ita de cæteris quoque Vete-
ribus Translationibus omnibus tantundem asseverat plus semel;
„ut Exercit. Anti-bibl. 6. cap. 12. §. 7. Cæteræ Versiones Græcæ
„idem demonstrant, quarum differentiæ & à se invicem, & à
„Vulgata, atque à Translatione 70. Interpretum, solis codicum
„[Hebraicorum] mendis & lacunis attribui possunt: quas sane
„qui legerit, tam vecors & stupidus esse non potest, quin statim
„iudicet variæ translationis nullam aliam subesse causam, præter
„codicum varietatem. Sic Exercit. Samarit. 4. cap. 3. Multa
„sunt in Romana 70. Interpretum Versione, quæ si conferas cum
„Iudaicis codicibus, deesse videntur; multa etiam, quæ supe-
„resse, si comparationem iterum instituas. ——— manifestum
„autem fit, cum ex aliis, tum ex codice Samaritano, discrimen
„illud ab Hebraicorum voluminum varietate originem duxisse.
„sicut enim nonnulla, atque etiam non semel plures versus super-
„addit textus Iudaicus translationi Ecclesiasticæ, ita Samaritanus
„Iudaico non pauciores, quanquam utrique codices Hebræi sint.
„sic Iudaici codices, quibus usus est S. Hieronymus, minus ha-
„buerunt quam Sept. Interpretum Versio; & Theodotionis co-
„dices, ipsi quoque Iudaici, plura quam utrique, ut adnotavit
„S. Hieronymus in medio textus Estheris & Danielis. Atque ut
„Aquilæ & Symmachi Versionum rixas & altercationes præte-
„ream, est ubi Sept. Interpretes & Samaritani uno consensu ver-
„sus aliquot Iudaico textui super-inducunt: quæ sane & codices
„Iudaicos varietatis, & Iudæos incuriæ convincunt. & adhuc
„planius eiusdem Exercitationis capite quinto, §. 2. & 3. Samari-
„tanorum codices nunc ob oculos tibi propone. hebræi sunt. stu-
„diosissime illos conservasse, supra demonstratum est. Græca
„Versio ex Hebræo divinitus facta est ——— Sanctus Hieron-
„mus ex codice Hebræo latina vertit. Syri antiqua Versione &
„diligenter conservata utuntur. à Iudaicis codicibus omnes plu-
„rimum dissentiunt. ——— Quam de Aquila, Symmacho, &
„Theodotione sententiam feres? ex Iudæorum Hebræis codici-
„bus nunquid illi sua verterunt? at ex ipsorum fragmentis appa-

„ ret, ſæpiſſime diverſa, nonnunquam contraria tranſtuliſſe. quod-
„ nam de integris operibus indicium faciendum ſit, hinc collige.
„ Quid porro magis Iudaicum, quam Oukelos chaldaica Verſio?
„ ſed Elias Levita —— teſtatur, Oukelos multa aliter, multa,
„ non modo dictiones, ſed etiam periodos, contrario modo, quam
„ in Hebræo nunc habetur, tranſtuliſſe. Num exiſtimas Inter-
„ pretes iſtos, Hebraici textûs tenaciſſimos, Aquilam & Ouke-
„ los, proſelytos ſuperſtitioſiſſimos, —— Hebræos codices de
„ induſtria corrupiſſe? Quid igitur aliud hac in cauſa dicendum,
„ quàm quod in re pari ab omnibus, ratione & natura duce, dici
„ ſolet? Aliter Interpres in ſuo exemplari legit, quàm nos nunc
, legimus in noſtro. Einſdem quoque farinæ ſunt, quæ dictæ Exercitationis cap. 9 §. 9. ſcribit: *Lectorem denique monebo, verſus iſtos non tantum legi in Editione 70. & Vulgata, ſed etiam apud Syros: veràm propter Iudaicorum codicum varietatem utroſque & ab Hebræo & à ſe differenter illas efferre*, & huc itidem pertinet, quod Diatribes pag. 79. agnoſcit, *ſe ex interpretationum varietate, originarij textus varietatem colligere*: itemque illud pag. 91. *Ipſa experientia de Hebraicis codicibus id teſtante, validam eſſe conſequentiam ab interpretatione variante ad archetypi variationem*: quibus locis alij adhuc multi, ubi rem eandem profitetur Morinus, adiungi poſſent. ſed iſti abunde ſufficiunt, ad monſtrandum, eandem plane ipſi, ac Capello, ſententiam placuiſſe, ſuper diſcrepantiis Veterum Interpretum, tum inter ipſos, tum à Codicibus noſtris Hebraicis: ac duobus illis hominibus unice in hoc convenire, quod omnes illas diſcrepantias imputari velint varietati codicum Hebraicorum, quibus uſi ſunt Veteres Interpretes; quorum unuſquiſque ita tranſtulerit, quomodo in exemplari ſuo Hebraico legebat, ſeu, (quod Morino & Capello plane idem eſt in hac re) ſcriptum offendebat, ac tranſlationem ei per omnia conformem ederit: unde porro ſequitur, quod & volunt illi, atque enixe contendunt, Veteres Tranſlationes pro totidem veluti exemplaribus Hebraicis exiſtimandas, inque omnibus variationibus eandem ipſorum, atque ipſorum Codicum noſtrorum Hebraicorum, rationem habendam eſſe. quod poſtulatum ſicuti negari non poteſt, data illa Verſionum cum codicibus ſuis Hebraicis conformitate, omniumque omnino codicum Hebraicorum *ἀνωμαλία*, quam itidem pro confeſſa ſumunt Morinus & Capellus; ita omni id ratione caret, niſi iſta conformitas probetur, atque extra omnem dubitationem ponatur: quod quomodo illi præſtiterint, deinceps diſcutiendum venit.

CAPVT XI.

Conformitatem Vulgatæ Latinæ & Græcæ Translationis cum codicibus Hebraicis, ex quibus illæ factæ fuerunt, nequicquam probat Morinus per Hieronymi & 70. Interpretum θεοπνευστίαν, quippe quæ fictitia est, atque pro tali olim habita in 70. Interpretibus ab Ecclesia Catholica.

ETiamsi daretur Capello & Morino, codices Hebraicos tam enormiter olim variasse, ac ipsi volunt; inde tamen non sequeretur, Veteres Translationes pro totidem exemplaribus Hebraicis habendas, quum ista nequaquam sint inter se connexa. Sed ne secunda quidem istarum hypothesium, præcedenti capite memoratarum, quod nimirum unusquisque Veterum Interpretum habuerit exemplar hebraicum, ab aliis exemplaribus, tum cæterorum Interpretum, tum nostris ac hodiernis, plurimum discrepans, ad id probandum sufficit, tametsi de ea constaret; quum ipsa quoque esse vera posset absque eo, ut istam sequelam necessario rraheret. Ast si tertia hypothesis, de exacta conformitate Veterum Translationum cum codicibus Hebraicis, è quibus ipsæ fuerunt adornatæ, bene probetur; unà quoque probatæ erunt duę illæ priores: quæ nullo modo queunt esse non veræ, si de tertiæ veritate constiterit. Itaque omissa impræsens prima ac secunda hypothesi, & omissis iis, quæ ad illas seorsim probandas allata alicubi fuerunt à Morino & Capello; videamus quomodo in tertia sese expedierint, ac quibus argumentis stabiliverint illam suam assertionem, qua nobis persuasum volunt, Veteres Interpretes exemplaria sua Hebraica exacte ac fideliter convertisse, translationesque iis penitus conformes edidisse. Morinus de Sept. & S. Hieronymo rem unico verbo conficit, dicendo, eos θεοπνεύστους fuisse, ac peculiari Spiritus sancti instinctu ita gubernatos, ut inter transferendum nuspiam ab officio suo vel aberraverint, vel aberrare potuerint. Sed propheticus ille S. Hieronymi afflatus, quo

actus fuerit in Verſione ſua concinnanda, haud alia quam Morini fide nititur. nihil enim tale vel de ſeipſo uſpiam profeſſus eſt Hieronymus, vel in eo agnovit ullus de coætaneis ipſius; ne illi quidem, quorum id maxime ſcire intererat, ipſi nimirum Eccleſiæ Chriſtianæ præſides ac Epiſcopi: uti vel ex concertationibus illis, quibus novam ipſius Tranſlationem exercuerunt S. Auguſtinus & Rufinus, omnibus notum eſt. ſed neque ſubſecutis temporibus quicquam eiuſmodi de eo declaravit Eccleſia, vel univerſalis, vel Latina ſaltem; quando vel primitus Verſionem eius, abdicata Vetere Italica, in uſum publicum recepit; vel poſtea, noviſſimis hiſce temporibus, in concilio Tridentino authenticam declaravit: quæ authentiæ declaratio quem ſenſum habeat, inter ipſos Romanæ Communionis homines incertiſſimum eſt, & magnis atque acerrimis digladiationibus decertatum. prætereaque θεοπνευσία illa, quam Hieronymo tribuit Morinus, ridicula penitus eſt & ludibrioſa, & in ipſum quoque Deum contumelioſa, ſicuti Capite octavo abunde oſtenſum fuit. . De Septuaginta autem Interpretibus verum quidem eſt, plurimos ante Morianum, & pleroſque primævæ Eccleſiæ Patres; tum Latinos, tum præcipue Græcos, iis θεοπνευστίαν tribuiſſe. ſed omnes eam opinionem hauſerunt ab uno Iuſtino, cui non aliter de ea conſtitit, quã ex traditione hominũ vaniſſimorum, ac mendaciſſimorũ, Iudæorum, Helleniſtarũ Alexandrinorum: qui ſimplicitati ſancti viri illudentes, eo uſq; verba ei dederunt, ut non contenti ei obtrudere commentum illud, à maioribus eorum confictum, de prophetico Sept. Interpretum afflatu, unà cum nugaci illa appendice, in eius confirmationem excogitata, de cellulis, quibus Interpretes illi quiſque ſeorſim incluſi, in eandem omnes ἀυτολεξὰ Interpretationem miraculoſe conſpiraſſent: ipſa quoque dictarum cellarum veſtigia ac rudera, ſi diis placet, in inſula Pharo ei commonſtrarunt. atque ita figmentum illud inane imprudenter atque ἀνεξετάστως à Iuſtino ſuſceptum, ab eo porroditum fuit in reliquos Chriſtianos: qui eo promptius id admiſerunt, quia quod optabant, ut Græca Verſio Hebraicæ Veritati eſſet quàm ſimillima, (ad quod perſuadendum fabella illa de Interpretum θεοπνευσία & ædiculis conficta fuerat) id libenter credebant. Hebrææ enim linguæ imperiti cum eſſent, ipſos authenticos codices adire, atque cominus de toto negotio iudicare nequaquam poterant. Illud autem qui potuit facere S. Hieronymus, longe ſane aliter ſenſit, ac anilem iſtam fabellam de ſeparatis Interpretum cellulis, de-que ſuperſtructo ipſis divi-

no ac prophetico eorundem afflatu, & miraculoſo concentu, pro meris affaniis & ſiculis gerris, ut dignum erat, habuit; eumque animum ſuum reipſa, tum Interpretationem illam atque Interpretes innumeris in locis reprehendendo, ac ſevere caſtigando, tum integram de novo ex Hebraicis fontibus Verſionem adornando, planiſſime teſtatum fecit: præterea-que id ipſum verbis quoque expreſſiſſimis plus ſemel declaravit, ridendo fabuloſas illas cellulas, atque θεόπνευστον directionem Sept. Intepretibus adimendo, neque aliud quàm humanam induſtriam iis concedendo. *Neſcio* (inquit, Præfatione in Pentateuchum) *quis primus author ſeptuaginta cellulas ſuo mendacio extruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, quum Ariſteas, Ptolomæi hyperaſpiſtes, & multo poſt tempore Joſephus, nihil tale retulerint, ſed in una baſilica congregatos, contuliſſe ſcribant, non prophetaſſe*: qualibus teſtimoniis contra fictitiam Sept. Interpretum θεοπνευστίαν ſcripta eius paſſim aſperſa ſunt.

Verùm quidem eſt, ipſum quoque interdum ita loqui, acſi de divino illo τῶν 70. afflatu aliquid credidiſſet; non propter inconſtantiam, & acſi ipſe parum certum haberet, quid de iſta re credendum eſſet, ſicuti in Exercitationibus anti-biblicis eum plus ſemel hoc nomine carpit, & falſe traducit Morinus, ſed ut vel eorum, quibuſcum rem habebat, imbibitæ prorſus opinioni pauliſper ſe accommodaret, vel adverſariorum (qui conatus ipſius, nullis ſatis laudibus proſequendos, apud imperitum vulgus, inveterati erroris apprime tenax, criminari non deſiſtebant) calumnias frangeret. & poſterioris quidem ſunt generis illæ excuſationes, quibus ſe non male de Græca Verſione ſentire, contra Ruffinum paſſim, præſertimque in ſecunda ac tertia Apologia, obtendit. Quam truculentum enim in iſto homine, atque ipſius emiſſariis, paſſus ſit calumniatorem, amariſſimæ querelæ, quibus undique ſua ſcripta opplevit, manifeſtum faciunt. & quantopere Vulgus veteris erroris conſuetudinem ſalutari novitati ab ipſo introductæ antepoſuerit, vel illa Auguſtini hiſtoria, de Epiſcopo tantum non à ſuis occiſo ob plantæ duntaxat nomen in Ionæ prophetia immutatum, abunde teſtatur. Nihil igitur mirum, quum adeo immani ob novam ſuam Tranſlationem flagraret invidia, ſi ad illam amoliendam aliquid interdum locutus eſt contra quàm ipſe ſentiret. Sed & cum amicis ſuis ſic agere ſolebat, ut quoties in eos incideret, qui iſta de θεοπνευσία τῶν Sept. opinione erant penitus imbuti, affectibus ipſorum verba ſua accommodaret, quo

facilius eos corrigeret, atque veritati recipiendæ aptiores experiretur. facilius enim credebant, solo Veritatis amore illum nova moliri, atque à Veteri Versione discedere, de cuius autoribus ipse tam honorifice sentiret. etenim nihilosecius Græcam Versionem tunc quoque culpabat, sed cum hoc discrimine, ut quorum errorum magnam aut maximam partem, quoties libere loqueretur, ipsis Interpretibus ascribebat, id totum tunc in librariorum & exscribentium peccatum transferret. Hoc artificio usus est cum Chromatio Episcopo, qui cum esset de admiratoribus τῶν Sept. ita se ipsi accommodavit, ut libros Paralipomenon ex Hebraico conversos ipsi dedicans, diceret, *Si Septuaginta Interpretum pura, & ut ab ipsis in græcum versa est, editio permaneret, superfluam futuram novam ex Hebraico translationem. iam verò pro varietate regionum diversa ferri exemplaria, & germanam illam antiquamque Versionem corruptam esse & violatam.* Hæc non ex animo ipsum dixisse, non opus est inde convincamus, quod alibi in contrarium ipse scripsit, Illos Interpretes præcipua quæque fidei mysteria vel certo consilio, vel ob ignorantiam, aut in totum tacuisse, aut male transtulisse: siquidem in ipsa hac epistola mentem suam satis declarat, iftisque ad fidem sibi & Chromatij benevolentiam conciliandam præmissis, mox & cellulas ridet, & in Ecclesia dicit illa legi, quæ Septuag. nescierunt, de additamentis asteriscorum loquens; Apostolosque & Evangelistas illa citavisse, quæ in Sept. non habentur: & propterea ad Hebræos revertendum esse, unde & Dominus loquitur, & discipuli exempla præsumunt. Sic in alia præfatione, ad Domnionem, cum dixisset, vitiosissimum esse Paralipomenon librum in Græcis & Latinis codicibus, subiungit: *Nec hoc Sept. Interpretibus, qui Spiritu Sancto pleni, ea quæ vera sunt transtulerunt, sed Scriptorum culpæ ascribendum, dum de inemendatis inemendata scriptitant.* & mox, de obelis loquens, iis signari ait, quid Sept. addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti autoritatem, licet in Hebræis voluminibus non legatur. Sed utrobique recte observat Erasmus, hoc illorum, ad quos scribebat, affectibus tribuere Hieronymum, qui tot in locis diversa scripserit. Et sane oportet prorsus hospitè esse in Hieronymi scriptis, qui nesciat, quã nullo in pretio habuerit illa Sept. Interpretũ additamenta, quæ obelis ab Origene fuerunt prænotata, seu, ut ipse Hieronymus loqui amat, confossa & vulnerata. E quibus apparet, quam fideliter Morinus Hieronymum hac in parte inconstantiæ arguat in Exerc. Anti-biblicis; & quam stulte dixerit

Exerc. Samar. 4. cap. 2. *Solus Hieronymus Verſioni Sept. parum æquus fuit, ſed tandem ſenex factus, in Apologia ad Ruſinum ſententiam correxit:* quum certo certius ſit S. Hieronymum, quicquid iunior aliquãdo ſenſit aut addubitavit de voluminibus Hebraicis, maturioris ævi ac iudicij factum veram ſententiam, de abſolutiſſima ipſorum ſinceritate & authentia, ex quo ſemel eam amplexus fuerat, conſtantiſſime deinceps ad extremum uſque ſpiritum retinuiſſe; cuius rei commentaria in Eſaiam, in extrema ſenectute ab eo conſcripta, fidem abunde faciunt: ac proinde in altera quoque opinione, iſtius conſectaria, deirridenda & explodenda τῶν 70. ἑρμηνείᾳ, unà cum annexis fabellis, de ædiculis ſeparatis, de-que ipſorum in iis incluſorum, atque invicem ſecluſorum, miraculoſo concentu, ne minimum quidem variaſſe.

Hieronymo autem in iſta re, in-que repudianda τῶν 70. ἑρμηνείᾳ, ſuffragata eſt univerſa Eccleſia latina, quando novam eius Verſionem, ex codicibus Hebraicis, tam immaniter à Tranſlatione Græca diſſidentibus, adornatam, in uſum ſuum recepit, in-que eius gratiam alteri Verſioni, ex Græco factæ, qua ab initio uſa fuerat, & cui iam per aliquot ſæcula aſſueverat, nuntium remiſit, ac penitus eam (ſolo excepto libro Pſalmorum, *qui auferri non poterant ex ore cantantium populorum*) abdicavit: adeo-que ipſam exinde neglexit, ut ne dignam quidem putaverit, cui aſſervandæ curam ullam impenderet, ſed ex toto, præter Pſalmos duntaxat, interire ipſam paſſa ſit; qua de re iam ſupra quoque plus ſemel loquendi occaſionem habuimus. Idem fuit iudicium Eccleſiæ Syriacæ, quæ ſimiliter aperte teſtata eſt, ſe nihil prorſus credere de divino inſtinctu, quo acti 70. libros ſacros tranſtulerint, ſed totum illud pro falſo ac fabuloſo reiicere; quando ex ipſis codicibus Hebraicis, non ex Interpretatione græca, tantopere ab iis diſcrepante, Sacram Scripturam ſibi converti fecit. idque ipſum fecerunt multæ adhuc aliæ inſignes Eccleſiæ, per varias Aſiæ atque Africæ regiones atque nationes diffuſæ. Imò ipſa quoque Eccleſia græca, quæ ſupra omnes alias illam 70. Interpretum ἑρμηνείαν, ſi ulla fuiſſet, agnoſcere & defendere debuerat, planiſſimum fecit, non modò ſibi de ea non conſtare (alioquin enim haud dubie aliquod de ea re edictum condidiſſet, id quod in nullo unquam Concilio, nulla-ve alia ratione unquam ab ipſa factum) ſed ſeſe eam pro fictitia & fabuloſa habere; quando Origenis laborem, in revocanda & corrigenda ad fontes Hebraicos Interpretatione illa, non modo æquis oculis aſpexit, ſed gratanter ex-

cepit, & avidissime amplexa est. Namque & magna sui parte, in omnibus nimirum provinciis inter Antiochiam & Ægyptum interiectis, Origenianam istam Græcæ Translationis Editionem, per obeliscos, asteriscos, & lemniscos ex Hebraica Veritate emendatam, ita admisit, ut in publicis conventibus ad prælectiones, explanationes, omnesque alios ecclesiasticos usus solam exinde usurpaverit: & in reliquis quoque regionibus, ad Patriarchatum Alexandrinum aut Constantinopolitanum pertinentibus, ubi ab initio non ita publice recepta fuit, doctissimi quippe Sacræ Scripturæ Interpretes eam semper in maximo pretio habuerunt, ac passim eam, quoties ad populum non ageretur, in usum traxerunt. unde tandem factum, ut in istis quoque Ecclesiæ Græcæ partibus, ubi primitus non fuerat admissa Editio Origeniana, paulatim ea invaluerit; tandemque eas omnes, cunctasque earum bibliothecas, sic pervaserit, ut aliæ istius Translationis Editiones, Origenianis emendationibus carentes, penitus fere interirent, adeo ut non nisi difficulter ac paucis locis aliquod earum exemplar esset nanciscì. Namque quod Morinus istud Origenis factum passim, quoties ipsi occasio de eo loquendi se offert, plane in contrarium torquet, acsi nequaquam eo voluisset Græcæ Translationis defectibus & superfluitatibus mederi, sed simpliciter ipsius à codicibus Hebraicis discrepantias monstrare, & Hebraicum potius textum, quam Græcam, depravationis hoc pacto convincere: in eo suetæ sibi audaciæ, quidvis temere vel affirmandi vel negandi, nimium indulget. & nihil facilius est, quàm ipsum falsi in hoc negotio redarguere, unà cum Epiphanio, quem insigniter hîc à vero devium, sequi maluit, quam Hieronymo fidem habere: qui totam illam rem longe magis, quam Epiphanius, compertam habens, omnia alia de ea tradidit. Et Hieronymum vera narrasse in iis, quæ de consilio Origenis in corrigenda ac reformanda ex Hebraico Translatione græca prodidit, tum variis ac certissimis argumentis probare in promptu est, tum doctissimi quique de Recentioribus agnoscunt, qui totam istam rem planissime eodem modo, ac Hieronymus, explicare solent. Vnus pro omnibus in medium procedat Andræas Masius, in hoc negotio versatissimus, & ad cuius eruditionem nulla ex parte aspirare potest Morinus. Is Præfatione in Iosuam de Obelis & Asteriscis Origenianis ita loqui-
„tur: Quæcunque supra id, quod Hebræo continebatur, addita
„esse videbat [in Interpretatione τῶν 70.] ea appositis obeliscis
„velut iugulavit ac confodit. quæ verò detracta esse animadver-
„tebat,

„tebat, ex Theodotionis interpretatione accepta, aſcitaque in „contextum, aſteriſcis ſive ſtellulis notavit; propterea quod lo„cum, cæteroquin imminutum & conciſum, illuſtrarent. Et ſicuti hoc facto, atque approbando Origenianam Tranſlationis τῶν 70. emendationem, evidenter profeſſa eſt Eccleſia Græca, ſe pro commento & fabula habere illam de διοσμοσία iſtorum Interpretum traditiunculam, ita idipſum amplius adhuc declaravit, quando Verſionem 70. univerſam repudiavit in libro Danielis, atque illam Theodotionis in ipſius locum ſubſtituit: quod ab ipſa factum fuiſſe, docet præfatione in iſtum Prophetam Hieronymus. Itaque διοσμοσία 70. Interpretum, quam cum nonnullis Patrum (minus iſtarum rerum peritis, ideoque hac in parte falli aptioribus, & nimium credulis) toties crepat Morinus, adeo nullum habet ab Eccleſia univerſali teſtimonium, ut plane contrariam ei mentem fuiſſe manifeſtum ſit. ſiquidem maximæ quæque ac nobiliſſimæ eius partes, nimirum Eccleſia Latina, Græca, Syriaca, aliæque præterea, eam inſtiterunt viam, unde evidentiſſime dilucet, eas nihil tale de iſtis Interpretibus, deque divino inſtinctu, qui ipſos in adornanda Verſione ſua gubernaverit, compertum habuiſſe, aut credidiſſe; ſicuti ſuperiori ſermone eſt demonſtratum. Ac proinde probatio illa, qua conformitatem Tranſlationis Græcæ cum codicibus Hebraicis, ex quibus illa facta fuit, fictitiæ illi ac fabuloſæ Interpretum theopneuſtiæ inædificat Morinus, nihili eſt, ac penitus inanis. Sed fortaſſe, quod hac via incaſſum obtinere nititur, aliâ obtinebit; & Interpretes illos, uti & Hieronymum, exacte atque ad plenum officio ſuo, in reddendo quam fideliſſime & accuratiſſime codicum ſuorum textu Hebraico, ſatis-feciſſe, quod argumento ab imaginaria illa theopneuſtia ducto nequicquam aſtruitur, evincet per argumenta ipſis communia cum cæteris antiquis Interpretibus, quos omnes vult tantundem per ſolam humanam induſtriam, abſque ullo divino inſtinctu, præſtitiſſe. an autem in eo fœlicius ſe expediverit, iam diſpiciendum eſt. ſed cum hac in re, contra quam in illa de divino τῶν 70. & Hieronymi afflatu, communis ſit cauſa ipſius cum Capello, utroſque copulabimus, & quibus modis eam defendant, coniunctim diſquiremus.

CAPVT XII.

Quum Capello, ad tuendam, quam introducit, Veterum Tranſlationum cum codicibus Hebraicis exæquationem, atque ad defendendum, quod omnes earum ab iſtis diſſonantiæ, pro totidem Variis Hebraici Textus lectionibus cenſendæ ſint; omnino incumbat, ut demonſtret, & factas fuiſſe exactiſſime Tranſlationes illas, & nihil vitij paſſas: adeo neutrum iſtorum probat, ut contraria omnia de iis fateri cogatur vel invitus, cum certiſſima cauſæ ſuæ pernicie. Morinus quoque nihil affert, quo fidem faciat, omnem Veterum Interpretum varietatem, Codicum Hebraicorum varietati imputandam eſſe.

EXacta Veterum Tranſlationum cum codicibus Hebraicis, ex quibus fuerunt adornatæ, conformitas, baſis eſt & fundamentum totius Pſeudo-criticæ, ei-que ſoli ſuperſtructa ſunt bella illa Capelli axiomata, Codices Hebraicos, quotquot hodie in mundo extant, pro unico tantum Textus Hebraici primæviac authentici exemplari habendos eſſe, ut Tranſlationes iſtas pro totidem aliis; ad quas proinde, æque ad illos, attendere debeant S. Scripturæ Interpretes & Expoſitores; & quarum omnes à codicibus Hebraicis hodiernis diſcrepantiæ pro totidem ipſius textus Hebraici primarij variationibus ſeu variis lectionibus cenſendæ ſint. Itaque conformitas iſta Capello plana facienda eſt, atque extra omnem dubitationis anſam collocanda; aut alioquin neceſſe eſt ſponte collabantur, ac penitus corruant, dicta axiomata, & in auras, ac fumos vaneſcant innumeræ illæ Variæ Lectiones, quas ipſius præſidio in S. Textum Hebraicum invehere aggreſſus eſt. Duo autem ſunt omnino modi, quibus id perfici poſſit, unus circa Tranſlationes ipſas, alter autem circa earum authores verſans.

Prior in eo consistit, ut Translationes, de quibus quæstio est, cum codicibus Hebraicis, è quibus fuerunt expressæ, diligenter comparentur, atque à capite ad calcem examinentur. sed ad hanc probationis rationem via Capello in totum præclusa est, uti patet. siquidem diu est, ex quo codices illi Hebraici interierunt: & quando adhuc extabant, nemo de ista re unquam cogitavit, multo minus eam suscepit, de quo quidem id memoriæ proditum sit. namque Origenes satis habuit Versionem τῶν 70. conferre cum codicibus Hebraicis, qui tunc circumferebantur, non cum iis, quibus ipsi Sept. usi fuerant; quanquam illi fortasse tunc temporis in Mundo adhuc extabant. nimirum haudquaquam illi in mentem venerat ingens illud discrimen, à Morino & Capello introductum, inter codices Hebraicos vulgares, atque illos τῶν 70. sed potius pro confesso sumebat, utrisque amice inter se convenire. quippe nisi hoc præstructo, inanis & inutilis, atque adeo temerarius futurus erat ingens ille ac admirabilis labor, quem in examinanda & corrigenda ad Textum Hebraicum vulgarem Interpretatione Græca, ea-que adeo solicite & accurate cum eo comparanda, exantlavit. Restat igitur Capello alter duntaxat modus, probandi exactam Veterum Translationum cum Codicibus suis Hebraicis conformitatem, ab ipsis Interpretibus ductus; qui etiamsi priori multum de certitudine concedat, neque ita legitimus sit, ac αὐτόπτης, uti ipse: poterit tamen eius vices quodammodo explere, si rite is ac debito modo peragatur. Sed hic quoque aqua Capello miserè hæret, quippe ad illas angustias redacto, ut omnis eius spes præcipue consistat in unica ratiuncula, haudquaquam antiquis S. Scripturæ Interpretibus peculiari, sed omnibus in universum quorumcunque librorum Interpretibus, quotquot sunt, fueruntque, ac futuri sunt, ex æquo communi, Quod ii repræsentare soleant id, quod in libris, quos interpretandos susceperunt, reperiunt; & quod potius credendum sit varietates illas, quæ Translationibus cum codicibus originariis intercedunt, indiligentiæ scribarum, qui varia exemplaria textus originarij descripserunt, quàm Interpretum culpæ, originem suam debere. *Rationi omnino consentaneum est*, inquit Apol. pag. 88. *Interpretem transferre & reddere quomodo ipse legit, non verò quomodò non legit.* & pag. 89. *Interpres reddit quomodo legit, non verò aliter legit, & aliter interpretatur.* ——— *Dixi in Critica, convenientius multo esse dicere, librarios inter discribendum lapsos, & hallucinatos esse, quã Interpretes inter vertendũ male legisse id quod erat in*

ipſorum codice bene ſcriptum. ac pag. 98. *Ex tranſlatione iudicari poteſt, quomodo eius author legerit in codice unde transfert. Transfert enim ſecundùm id quod legit, non verò ſecundùm id quod non legit, niſi velimus Interpretem eſſe penitus amentem & excordem. ratio illa valet in quocunque genere Scripti, tum ſacri, tum prophani.* & talia dicta etiam alibi frequenter in eo occurrunt. Hæc autem quam infirma ſint ad id, quod ipſe vult, conficiendum adminicula, vel me tacente cuivis per ſe ſponte patet. Namque ſi hoc perpetuum vult facere, atque de omnibus in univerſum Interpretibus accipi iubet, ut eos credamus omnia eodem modo, ac in codicibus, quos convertendos ſuſceperunt, ab iis inveniuntur, exprimere, exacteque ac fideliter, & veluti verbo tenus, quantum eius fieri poteſt repræſentare: nihil tunc falſius dici poteſt. ſiquidem plurimi ſemper fuerunt Interpretes, qui non modo in reddenda vocum phraſiumque obſcurarum aut ambiguarum genuina ſignificatione ſæpe ac graviter impingerent, ſed qui & in ipſa Authorum ſuorum verba non ſemel nec iterum, ſed frequentiſſime, peccarent; & alia quidem omittendo, alia verò de ſuo, ac præter mentem Authoris, addendo, alia etiam penitus immutando, ſenſumque à ſenſu & verbis authoris diverſiſſimum efficiendo, omnia miſerum in modum deformarent. Rei iſtius aliquam multa ſpecimina ex ipſo Morino & Capello adduxi in Epiſtola Anti-critica, ubi quinque integras paginas, nimirum à medio paginæ 64. ad medium paginæ 69. implevi productione locorum prave & præpoſtere ab iis converſorum: quibus ingens adhuc cumulus ſimilium παρερμηνειῶν, ab ipſis commiſſarum, adiici poſſet, priorem longe excedens; ſi quis omnes in unum comportare, atque cuncta ipſorum ſcripta diligenter in hoc rimari vellet. Et adeo late hoc patet, ut multa ac magna volumina extrui poſſent de hac ſola re, atque ex congeſtione locorum, ubi Interpretes uno iſtorum modorum, paulo ante indicatorum, ab officio ſuo aberraverunt. Ac nominare poſſum Interpretes, qui in transferendo uno ſolo authore toties male ſe dederunt in hac parte (præter illa, ubi non in ipſa verba, ſed in eorum veram acceptionem peccaverunt) ut liber valde craſſus conficiendus eſſet, ad illa omnia exhibenda. Quod ne quis gratis à me dici arbitretur, efficiet vel ſolus Plinij Interpres Gallicus, Antonius Pinetus: cuius tranſlatio (quanquam ſæpius, occaſione novarum impreſſionum, ab ipſomet recognita) ſi accurate examinetur; pleniſſimum eius, quod modo dixi, documentum dabit. & multi alij extant Interpretes, tum Gallici, tum Lati-

ni, tum aliarum linguarum, de quibus tantundem mihi constat, ac cui-vis alij constare potest, qui eos introspicere, atque ad origines suas examinare, potuerit & voluerit. Haud enim cuiusvis est Interpretis, rite partes à se susceptas explere, & sensum ac verba authoris sui accurate exhibere; quum ad id opus sit summa utriusque sermonis peritia (& eius ex quo transfertur, & eius in quem translatio fit) acri iudicio, magna ac perpetua diligentia, & singulari religione ac fide. Quod si ipse Morinus ac Capellus, qui se cunctis istis dotibus, uti omnibus aliis ad consummatam eruditionem facientibus, abunde instructos existimant, tam sæpe & tam turpiter in verba authorum, quos interpretantur, delinquere solent, idque utplurimum in locis nullam magnopere difficultatem habentibus, in quibus vel tyrunculo probrosum esset sic peccare: quid de iis fieri credendum est, qui infra ipsos positi sunt, ac quorum magis curta est supellex? præsertim quoties difficiles sunt & obscuri scriptores illi, vel scriptorum loci, in quibus convertendis versantur. Et quàm non sit perpetuum, ut Interpretes transferant quomodo in codice suo legunt, seu quomodo in codice eorum scriptum est (quæ duo eandem vim habent Capello ac Morino) id quod in idem recidit, acsi dicas eos fideliter verba authorum, quos convertunt, reddere; non alio iudice opus est, quam ipso Capello: qui summa rei evidentia victus, fateri cogitur vel invitus, Apol. pag. 101. *Non omnem variationem Interpretis à textu originario, fundatam esse in diversitate codicum originariorum, multamque posse esse ab Interpretis ipsius hallucinatione, aut verò etiam spontanea, aut deliberatò facta, mutatione, additione, & detractione:* & pag. 91. *Per humanam infirmitatem proclive esse, uti librariis circa describendos, ita Interpretibus circa interpretandos authores, variis modis labi, errare, falli, decipi, cespitare, & hallucinari; & impossibile esse, sine singulari & plane extraordinaria Dei providentia, quin utrique multipliciter errent.* quibus duobus locis addatur tertius iste, ex ipsa Apologiæ calce, ubi ait, Salmasium doctissime observare, *Pleraque omnes ex græcis factas translationes arabicas, esse passim vitiosissimas, ex Interpretum ignorantia, & hallucinatione, adeoque & audacia atque temeritate, qui prout illis consultum videbatur addebant, detrahebant, immutabant.* Imò non modò haud perpetuum est, aut quibusvis Interpretibus commune, ut fideliter reddant textus originarios; sed paucissimis omni ævo contigit, etiam de numero optimorum ac probatissimorum, & qui omnibus necessariis ad bene interpretandum artibus cum-

maxime instructi erant, ut non hic illic oespitarent, & in mentem ac verba authorum, quos convertebant, aliquid committerent, vel perperam iis aliquid addendo aut demendo, vel in alium sensum ea demutando, vel simpliciter hallucinantes, vel attentionem non satis magnam adhibentes, vel aliis etiam de caussis. Iam si nequaquam perpetuum est, ut Interpretes inter transferendum fideliter exprimant id, quod in codicibus originariis reperiunt; sicuti non esse perpetuum, manifesto liquet, & fatetur Capellus: vane omnino ac inutiliter universum Interpretum agmen in scenam producit, ut persuadeat, Veteres S. Scripturæ Interpretes probe ac fideliter officio suo functos esse. Illud enim, omissa generali illa probatione, plurimum falsitatis in se habente, omnino privatim de illis probandum ei est; aut alioqui nullo iure postulare potest, ut ipsi id credatur. Adeo autem nihil tale peculiariter de iis demonstrat, ut ne aggressus quidem sit uspiam id facere de ullo antiquorum Interpretum, præterquàm de solis Sept. De hisce autem ubi id attentat, Pseudo-criticæ lib. 4. cap. 15. haud aliud adfert pro omni probatione, ac pro omnibus argumentis, nisi cassa quædam elogia, cum insulsa & generali inter librarios & Interpretes collatione, & cum aliis quibusdam inanibus conclusiunculis coniuncta: cuius hypenemij conatus futilitatem quum in Epistola anticritica longo sermone, inde à §. 23. usque ad 30. coarguerim; nolo actum agere, ea hic repetendo, quæ ibi pleno fuerunt disputata; præsertim quum Capellus nihil solidi ad ea reposuerit in Apologia. Et omnino supervacaneum est de hac re contra ipsum disputare, atque illis ipsis, quæ ibi de ea disserui, in totum supersederi potuit; quandoquidem contrarium eius, quod isthic pro Sept. probare satagit Capellus, ipsemet diserte atque expressissimis verbis fatetur, non alibi modò, sed eo ipso in loco; sicuti Epistolæ §. 31. planum feci. Ibi enim ostendi, Sept. Interpretes, ex ipsius confessione, neque satis doctos fuisse aut peritos, neque præstitisse quam debebant attentionem, diligentiam, & fidem; ideoque non raro in interpretando lapsos ac deceptos fuisse, & multa immutasse, addidisse, omisisse. Iam de talibus Interpretibus, de quibus nequaquam probes eos officio suo satisfeciisse, imò de quibus omnia contraria ultro fatearis, postulare ut eorum translatio in ἑξαπλοῖς cum ipsis codicibus Hebraicis subvehatur, utque omnes eius à codicibus nostris discrepantiæ, pro totidem ipsius textus Hebraici Variis lectionibus habeantur, hoc verò est contra omnem rationem. Etenim ne ipse

quidem Capellus & Morinus audeat diſſonantias Interpretum à Textu Hebraico, pro ipſius variationibus venditare, niſi ſub obtentu iſtius ſuppoſitionis, quòd in ipſorum codicibus aliter, quàm in noſtris, & convenienter ipſorum Verſioni ſcriptum fuit. aſt illud ne ſupponi quidem poteſt ubique, ſi illi ſæpius, aut vel interdum, in verba codicum ſuorum Hebraicorum peccaverunt inter transferendum, ea-que prave auxerunt, truncarunt, demutarunt; quod eos feciſſe haud rarò, concedit Capellus. Hinc enim ſequitur, multas earum diſſonantiarum inde profectas, non quod ibi aliud ſcriptum haberent Interpretum codices Hebraici, quàm noſtri, ſed quia eos, ſimiliter cum noſtris ſe habentes, corrupte ac depravate reddiderint Interpretes per incuriam, imperitiam, aut malam fidem. Ac proinde, quiſquis omnes omnino talium Interpretationum à codicibus originariis variationes, pro ipſorum varietatibus oſtentaverit; effugere non poteſt, quin in eos intrudat multas variationes, quæ ibi nunquam fuerunt, ac quin pravas & præpoſteras Interpretum à textu primario diſceſſiones, in cenſum variarum ipſius lectionum cooptet; quo nihil dementius dici aut cogitari poteſt.

Imò etiamſi omnino planum feciſſet Capellus, Veteres ſacrorum voluminum Hebraicorum Interpretes munus ſuum quam exactiſſime omni ex parte impleviſſe, ne ſic quidem ei concedi poſſet, omnes Veterum iſtarum Verſionum à libris noſtris Hebraicis diſſonantias, pro totidem horum Variis lectionibus habendas eſſe. Multæ enim ac magnæ corruptelæ à librariis fuerunt invectæ, tum in cæteras, tum præcipue in græcum nō, 70. quarum corruptelarum ſicuti nonnullæ fortaſſis internoſci, atque in integrum reſtitui poſſunt, ita de omnibus id haudquaquam fieri poteſt, fatente Capello Apol. pag. 43. Quamdiu autem loci tales, à librariis depravati, ſupererunt in Tranſlationibus antiquis, nullo modo debent aut poſſunt omnes earum à codicibus originariis diſcrepantiæ pro totidem ipſorum variis lectionibus cenſeri, utut alias accurate ac fideliter illos reddidiſſent Interpretes, ac tranſlationes ſuas iis quammaxime conformes exhibuiſſent. alioquin enim ſequeretur, textus quoſvis originarios poſſe variis lectionibus repleri, non per illos tantum librarios, qui ipſos deſcribunt, ſed & per librarios, qui deſcribunt tranſlationes eorum: id quod tale eſt, ut affirmari nō poſſit, niſi ab eo, qui penitus mente captus fuerit. Egimus autem de iſta quoque re fuſius in Epiſtola, paragraphis vigeſimo, vigeſimoprimo, & vigeſimoſecundo. Quod-

si alterutrum istorum sufficit, quominus obtinere possit id quod vult Capellus, sicuti sufficere monstravimus; multo sane validius ipsi obstabit utrumque coniunctum & quum in Veteribus Translationibus, præsertimque illa nõ 70. permulti sint loci, concedente adversario, partim quidem prave ac præpostere redditi, non modò quoad verborum vim ac significationem, sed & quoad verba ipsa, partim etiam à librariis depravati; quorum neutri possunt cum ullo colore ad variationes textus originarij referri: falsissimum est id, quod tam pervicaciter contendit Capellus, & quod toties ac tam fidenter inculcat velut rem certissimam, & de qua ne dubitare quidem fas sit, Quod Veteres sacri textus Hebraici Translationes sint veluti totidem ipsius exemplaria; & quod omnes illarum à codicibus nostris Hebraicis dissensiones pro totidem ipsorum variationibus habendæ sint; sive, quod idem est, Quod omnes illi loci codicum nostrorum Hebraicorum, à quorum verbis Interpretationes antiquæ, aut earum quævis, quocunque modo discordant, censeri debeant varia lectione laborare. Atque hinc apparet, quàm profligata sit & quàm monstruosa Capelli temeritas, qui veritus non sit cum Morino suo ista nobis commenta obtrudere, ad quæ propugnanda omnes ipsi in totum vires deessent. Quid enim monstrosius cogitari potest, quàm in re tanti momenti nova paradoxa cudere, quæ defendere nullo pacto valeas, ac ne tentes quidem: imò de quibus talia ultro fatearis, per quæ necessariò pernicies eis importetur? Hæc sanè est Capelli causa, qui ista hypotheseon & axiomatum portenta quum ita thrasonice iactitet, acsi Sole ipso essent clariora, & acsi nemo absque certissima cæcitate & amentia consensum suum ab iis cohibere posset, tantum ab iis probandis abest, ut ultro ministret tela, quibus illa penitus confodiantur: quod ipsum facere, superiori sermone clare demonstravimus. Neque minus prodigiosa est istius hominis stoliditas, non agnoscentis, nullo modo ista duo simul stare posse, ut & multi Veterum Translationum loci sint depravati, & tamen codicibus Hebraicis illæ exæquentur; quum altero istorum posito, alterum admitti nullo pacto queat: in qua re, utut manifestissima, & sponte in oculos incurrente, tam misere is cæcutit, ut quum mordicus retineat in Apologia, æquè ac in Pseudo-critica, quod Veteres Translationes sint totidem Textus Hebraici exemplaria, quodque omnes earum à verbis Codicum nostrorum dissonantiæ sint totidem ipsius Variæ Lectiones; alterum tamen istud ad se omnino non pertinere existimet: neque modò

fateatur,

fateatur, multos esse in istis Versionibus locos, qui à verbis codicum Hebraicorum, è quibus illæ fuerunt factæ, multum devient, partimque per ipsos Interpretes, partim per librarios, graviter depravati fuerint; sed ultro mihi in-equitet, pag. 41. 43. 53. & 54. veluti *crasse hallucinãti, & misere cæcutienti, vanescentique & ineptienti*, ac *insulsissime concludenti*, qui contrarij demonstrationem ab eo flagitem, qua nequaquam ipse opus habeat, ideoque *stulte* me illam *exigere*. quam insignem & deploratam ipsius cæcitatem & stoliditatem non est opus pluribus à me exagitari, quum talis sit, ut nullus queat æquus & cordatus iudex reperiri, qui non eam, verbulo tantùm indicatam, per se statim cum suis coloribus agnoscat, severe-que pro merito increpet, & sub condignis elogiis condemnet. Sed & Morinus, cui commune hoc est cum Capello (sicuti capite decimo ostendimus) ut omnes Veterum Sacræ Scripturæ Interpretum discrepantias inter sese, & à codicibus nostris hebraicis, imputet varietati exemplarium hebraicorum, quibus ipsi usi sunt, ac quæ fideliter reddiderint; nihilo felicius hîc se expedit, quàm consors ipsius Capellus, aut quicquam affert, quo isti suæ asseverationi fidem faciat. Sepositâ enim fictitiâ illâ τῶν 70. & Hieronymi θεοπνευστία, Capite præcedente à nobis discussâ, nihil uspiam scriptorum suorum pro illis, cæteris-que antiquis Interpretibus, adducit, quod probationis generalis non dico vim, sed vel umbram habeat, præter illud Interpretibus omnibus commune, *Quod in transferendo repræsentare soleant id, quod in codicibus originariis inveniunt*; qualia quidem sæpius crepare solet, æque ac Capellus: contra quem cum istius probationis futilitatem abũde demonstraverim, non opus est verbum de ea amplius addere. Et quam temerarium dictu sit, *Omnem Veterum Interpretum varietatem à sola codicum hebraicorum varietate manasse*, id quod tam audacter affirmare sustinuit Morinus; non alio iudice opus est, quam ipso. Illud enim si verum esset, tunc liceret colligere ex quacunque istorum Interpretum à codicibus nostris hebraicis variatione, ibi codices ipsorum hebraicos aliud scriptum habuisse, quàm nostros; absque ulla ulteriore indagine, quàm ut constaret Translationes in istis locis nihil vitij à descriptoribus ipsarum passas fuisse. Ast hoc postulare ne ipse quidem ausit Morinus. Quippe Exerc. Anti-biblicæ 6. cap. 11. pag. 290. & Diatribes pag. 92. ipsemet statuit, in comparandis Veterum Interpretum translationibus cum codicibus hebraicis, uti in collatione quarumcunque aliarum interpretationum cum archetypis suis,

necessarium esse, ad colligendam ex variatione translationis, variationem codicis originarij, (in omnibus magni momenti discrepantiis, ubi verba translationum cum verbis archetyporum stare non possunt, vel constituendo alium sensum, vel addendo, aut subducendo) ut non modò nulla corruptelæ à librariis invectæ suspicio in locis comparandis hæreat, sed ut duæ adhuc tresue aliæ cautiones præterea observentur: *ut constet versionem factam esse ad verbum, & non paraphrastice: ut Interpres verba phrasinque authoris intellexerit: utque loca eligantur, quæ in textu originario dictionibus usitatis exprimantur; quia dictiones rariores diversissimis interpretationibus, & sæpe arbitrariis, utplurimum sunt obnoxiæ: ut in utroque aut alter-utro textu varietatis ratio compareat.* Iam si ex variante translatione non licet colligere codicis originarij variationem, aut affirmare, quod discrepantium interpretationum causæ sint variæ primitivi textus lectiones, & quod Interpretes varia in codicibus suis legentes, varia transtulerunt, ideo-que & à se, & à codice nostro differunt, nisi sub istis cautionibus; ita sciscente locis allegatis ipso Morino: sequitur manifestò, illam ipsius asseverationem, qua omnem Interpretum variationem à sola codicum hebraicorum varietate alibi arcessit, audacem nimis esse, & summe temerariam, omni-que probatione valida & generali in totum destitutam; quum in magna parte istarum variationum, quibus Veteres Interpretes à textu Hebraico discrepant, conditiones illæ, ab ipso per dictas cautiones requisitæ, ut ex illis variationibus variæ Hebraicorum codicum lectiones colligantur, partim quidem evidenter absint, partim verò adesse non possint cum ulla certitudine affirmari.

CAPVT XIII.

Capellus in Apologia exiguam tantùm portiunculam Variarum Lectionum, à se in Pseudo-Critica confictarum, tuendam suscipiens, longe ac longe maximam, maxime-que principalem earum partem non modò indefensam penitus relinquit, sed ultro pro

falsis ac spuriis eas condemnat, id-que atrocissimis verbis: non per ingenuam retractationem, aut culpæ agnitionem, sed divinæ Nemeseos stimulis incitus, atque invitus imprudensque præcipitatus in portentosum hunc stuporem, ut quum commentis suis, in Hebraicam Veritatem adeo iniuriis, mordicus adhæreat, in ea tamen ita graviter ipse pronuntiet.

CApellus quum in summas angustias se redactum videret, ac tam valide premi iis, quæ in Epistola Anti-critica contra fictitias eius Varias Lectiones, ex Veterum Interpretum à Sacro Textu Hebraico discrepantiis temere procusas, à me fuerunt prolata; ut illas adversus ea nullo pacto, nullo-ve cum colore, defendere posset, neque ullam pro illis in universum probationem generalem, aut vel umbram talis probationis adducere aut comminisci: eò confugit in Apologia, ut longe maximam earum partem desereret palam, omnique eam tuendi conatu in totum depositò, exiguam tantum de ipsis portionem propugnandam susciperet. Hoc si fecisset cum candore aliquo, & Veritati per me commonstratæ simpliciter manus dedisset, erroremque pristinum, me monitore agnitum, vel aperta ac ingenua professione, vel tacita saltem confessione, deprecatus esset ac retractasset: libenter cum ipso in gratiam rediissem, ac priore culpâ, quatenus eam agnovisset, ipsi condonatâ, depositâ-que omni ulteriore super iis concertatione, quæ ipse iam damnaret; amice de iis, quæ adhuc restabant, atque ab eo retinebantur, cum ipso disceptassem. Sed nunc tota illa in speciem retractatio, ὕπουλος est ac subdola, neque aliud quàm fœda tergiversatio, multis ac crassis mendaciis, & rabiosis ac falsissimis in me calumniis tota sufferta, uti planum feci Capite quarto, quod huic negotio totum peculiariter est dicatum. Ibi enim ostendi, quòd dum dicit in Apologia, „id quod facit quam sæpissime, Illas solas Veterum Translatio„num à codicibus Hebraicis discrepantias, se vocare Varias ipso„rum Lectiones, quæ nitantur diversâ vocũ Hebraicarum lectione „ab hodierna, idque eorum duntaxat verborum, quæ verbis Ve„terum Interpretum significatione respondentia, magnam affini„tatem & similitudinem habent vel soni, vel figuræ, cum voci-

„ bus textus originarij, propter quam affinitatem & similitudinem „ facile ab una lectione in aliam inter legendum scribendum-ve „ transiri, & vox veræ lectionis in aliam sibi affinem mutari potest, „ ut quum דקרו mutatur in רקדו: ostendi, inquam, dicto Capite, totum hoc esse falsissimum, non modo respectu Criticæ, de qua non veretur dicere plus semel, quod eiusmodi duntaxat discrepantias pro Variis Lectionibus illic habeat, sed & ipsius Apologiæ. Istæ enim Veterum Interpretum à Textu nostro Hebraico discrepantiæ, de quibus nunc sermo est, tantum abest ut solæ pro Variis eius Lectionibus censeantur in Pseudo critica, ut exiguam duntaxat portiunculam constituant fictitiarum Variationum Codicum Hebraicorum, quas ibi passim ostentat, & pro certis ac indubitatis iterum iterumque inculcat Capellus. Universas enim omnis generis additiones, omissiones, transpositiones, immutationes, in quibus Veterum Interpretum quivis à Codicibus nostris Hebraicis uspiam discordat, pro Variis istorum Codicum Lectionibus habendas decernit, ac totâ Criticâ enixissime contendit, utut graves sint illæ dissonantiæ ac capitales: cum quibus proinde illæ alteræ, in vocum affinium valde-que inter se similium permutatione constitutæ, nec numero nec pondere ulla ex parte comparandæ veniunt. Quascunque autem in Pseudocritica invexit in Textum Hebraicum Varias Lectiones, eas ille in Apologia mordicus ad unum retinet omnes; tametsi sæpissime ita loquitur, acsi res longe aliter se haberet. quod utrumque quum dicto Capite 4. fecerim planissimum, ac valde prolixum in id sermonem insumpserim, fœdissima ac summe pudenda Capelli pervicacia ac tergiversatione id ita postulante: nolo illis, quæ ibi ad plenum fuerunt discussa, hic de novo immorari, ac superflua repetitione molestus esse lectori: quem sufficit verbulo de ea re monuisse. poterit enim istuc recurrere, si amplius de ipsa cognoscere desiderat. Quanquam autem hæc ita se habent, ac planissime ἐπ' ἀυτοφώρῳ tenetur in hoc negotio Capellus, & dum mihi contradicere laborat, in laqueos evidentissimarum ac summe turpium contradictionum semetipsum induit, ex quibus sese nullis artibus rursum extricare valeat: supponamus tamen impręsens, rem ita sese habere, ac nullas alias Veterum Interpretum à Textu Hebraico dissonantias, pro Variis eiusdem Lectionibus à Capello nunc haberi, aut habitas unquam fuisse, quàm illas circa vocum valde affinium permutationem versantes; quæ admodum quidem multæ, & magni sæpe momenti, reliquarum tamen respectu om-

nino paucæ & leviculæ cenſendæ ſunt: ac videamus, an in hiſce ſaltem tuendis virum ſe præbeat Capellus, ac de ſententia ipſius amplius dubitandi omnem anſam nobis præcidat. Sed antequam eò accedimus, omnino obſervandum, ac diligenter adnotandum eſt, quod dum iſtas ſolas diſcrepantias defendit Cap. nullumque totâ Apologiâ adfert verbum, quo reliquis quoque in Albo Variarum Lectionum aliquem ſaltem locum retineat, ullāve vel tenuiſſimā probabilitatem conciliet: victoriam mihi de illis pleniſſimam, omnibuſque meis contra ipſas exceptionibus vim integram relinquit, atque valide confirmat quidquid uſpiam in Epiſtola in ipſas pronuntiavi. Quod enim ibi dixi, tum alibi, tum præcipue paragraphis 18. 21. 23. 34 50. 54. 59. 60. 61. & 64. Omnes Veterum Tranſlationum à Codicibus Hebraicis diſcrepantias non poſſe tenere locum totidem Variarum Hebraici Textus Lectionum, uti contendit Capellus, niſi Verſiones illæ & ab initio fuerint accuratiſſimæ, & quam exactiſſime ac fideliſſime ex codicibus ſuis hebraicis expreſſæ, ſi non quoad veram vocum phraſiumque ſignificationem, ſaltem quoad verba ipſa, iis preſſe inhærendo, ea-que velut annumerando; & niſi præterea tales perſeverarint ſemper, nihil-que à librariis corruptelæ paſſæ ſint, aut modus appareat invectas per librarios corruptelas interno ſcendi. utrumque iſtud niſi clare demonſtretur, longe reiiciendas eſſe illas Capellianas varias lectiones, utpote nō veras, ſed ſpurias, atque ab ipſo ad libitum confictas: neceſſe eſſe ut in fumum ac pulverem abeant, ſponte-que corruant, ac in ventum dilabantur, & in auras vaneſcant: repudiandas illas & explodēdas pro affaniis ac nugis, ac pro meris Capelli hariolationibus, nullo prorſus fundamento ſubnixis: invitiſſima veritate illum nobis illas obtrudere, quum ſint figmentum abſurdiſſimum, ne tenuiſſimo quidem probabilitatis velamento cōveſtitum: debere illas condemnari pro ſpuriis ac hallucinatoriis, nulla-que probatione in ſacrum Textum Hebraicum introductis, & in perpetuum exilium relegari: varias illas lectiones, ex Tranſlationibus procuſas, eſſe figmentum à veritate alieniſſimum: vehementer omni ſanæ rationi ac veritati repugnare, futilemque & in totum aſpernabilem eſſe omnem illam Variarum ſacri Textus Lectionum fabricam, Veterum Interpretum diſcrepantiis ſuperſtructam: Capellum illas gratis confinxiſſe, & temere atque invita Veritate fabricatum eſſe: tandem-que iſtam Capelli innovationem omni Veritatis fundamento deſtitutam, neque ulla

, probatione ullove indicio subnixam esse: omnia, inquam, ista mea in Capellianas Varias Lectiones dicta, alia que similia, per totam Epistolam Anti-criticam sparsa, locum plenissime habere debent, per ipsum Capellum, in universum earum agmen, quæ intra ambitum earum, quas nunc discutiendas sumpsi, includi nequeunt: quæ sane Variarum Capelli Lectionum pars, à consortio aliarum, circa voces figura aut sono affines ac simillimas versantium, & proinde ab omni Capelli in Apologia patrocinio exclusa, longe numerosissima est, & maximi momenti, uti per se patet, & modò etiam semel iterumque monuimus.

Acsi autem hoc parum esset, quòd nihil pro earum tuitione adfert, atque sic casiustæ meæ severitati & censuræ penitus indefensas obiicit: eò ipsum adegit Divina Nemesis temeratæ atque ita impie violatæ Hebraicæ Veritatis, ut dum œstro mihi contradicendi, me-que calumniandi, abreptus, non perpendit quid ipsi ad sua tuenda, aut saltem non prodenda, consentaneum sit dicere, ipsemet verbis conceptis, & quidem quam severissimis atque atrocissimis, eas ultro condemnet plus semel, atq; in totũ ex Variarum Lectionum albo expungat, & rigide proscribat. Quippe ait diserte, *Nisi ostendatur, Interpretem sic & sic transtulisse, quia sic & sic legit in textu originario, diversè quidem à textu hodierno, sed ita ut facile ab una lectione in aliam transitus fieri potuerit*, FRVSTRA & FALSO PRÆTENDI VARIAM LECTIONEM, *seu codicum diversitatem. & si producantur verba, quæ significatione quidem respondeant vocibus Translationis, verum quæ nullam habeant soni vel figuræ affinitatem cum vocibus Hebraicis veræ Lectionis, & textus Hebraici*, NON ESSE HANC VARIAM LECTIONEM, SED POTIVS CORRVPTIONEM VERÆ LECTIONIS. *non enim sufficere, ut nude proferantur verba Hebraica, quæ significatione verbis græcis vel latinis quomodocunque respondeant, sed præterea se exigere, ut sint affinia & valde similia vocibus hebraicis textus Originalis hodierni, ut planum fiat, facilem fuisse transitum ab una in aliam. alioqui* NON ESSE HANC CERTAM DE VARIA LECTIONE CONIECTVRAM, SED MERAM ET PVRAMPVTAM HARIOLATIONEM, VEL INTOLERANDAM ET EXPVENDAM ἀνοσίαν. Loci, in quibus ista dicit, extant Apologiæ pag. 83. 84. & 101. unde eos ad verbum descripsi, atque integros exhibui, supra capite quarto. En tibi igitur Varias Lectiones Capellianas, quas in Pseudo-critica universas passim iactitare solet pro *verissimis, certissimis, indu-*

bitatis, Sole ipso & luce meridiana clarioribus, sub nullo protextu negandis; ita ut desipere, cæcutire, summe protervi esse, & pudorem omnem amisisse censendi sint, qui eas non agnoscant (vide Epistolæ meæ §. 4. & 19.) ecce, inquam, illas Varias Lectiones, non à me iam, nec ab Armachano aut Buxtorfio, sed ab ipso Capello condemnatas, quantum ad longe longeque potissimam ipsarum partem, pro spuriis & commentitiis, in quibus *frustra & falsò prætenduntur varia lectio, seu codicum diversitas*; quum productio vocabulorum Hebraicorum, istis Translationum locis respondentium, *non* sit *Varia lectio, sed potius corruptio veræ lectionis; neque certa de Varia lectione coniectura, sed mera & puraputa hariolatio, vel intoleranda & expuenda ἀνδαδία.* Hanc sententiam, ipsius Capelli ore prolatam, ferire longe maximam partem Variarum Lectionum, in Pseudo-critica productarum, per se manifestò liquet. namque in additionibus & omissionibus integrarum vocum nequaquam locus esse potest canoni isti Capelliano, ut vocabula hebraica, vocabulis Translationum respondentia, producantur eiusmodi, quæ vocabulis codices nostros Hebræos ibidem occupantibus sint valde affinia, & quàm simillima. multo-que minus canon iste locum habet, ubi plures simul voces, integra que commata & hemistichia, integri versiculi, & maiores adhuc portiones, textui nostro hebraico superadduntur vel detrahuntur à Veteribus Interpretibus; uti neque in magnis transpositionibus, aut omnigenis permutationibus, ubi pro verbis Codicum nostrorum Hebraicorum omnia alia longe-que diversissima substituuntur in Translationibus. ast ubicunque canoni isti locus non est, edicit Capellus, non licere prætendere Variam Lectionem, eosque qui id faciant, reos esse corruptionis veræ lectionis, meræ hariolationis, & intolerandæ ac expuendæ *ἀνδαδίας.* Quid ego durius uspiam in Epistola mea, in ullo ve locorum paulo ante inde adductorum, atque una synopsi exhibitorum, pronunciavi in Capellum, atque in fictitias eius Varias Lectiones, ex Veterum Interpretum à Textu Hebraico discrepantiis procusas, quàm quod in illas atque in seipsum istis locis ipsemet pronunciat? Nullis igitur aliis aut testibus aut iudicibus opus est, quam ipso, ad profliganda penitus futilia ista Variarum Lectionum in cerebro ipsius natarum commenta, quibus in Pseudo-critica maiestatem atque authoritatem Veritatis Hebraicæ convellere prorsus ac labefactare, & sinceritatem eius ac integritatem fœdissime commaculare ac collutulare, tam impie ac nefarie aggressus est: ut verissime ipsi applicari possit illud ex Evan-

gelio (Luc 19. 22.) *De ore tuo iudico te.* Et omnino hic agnoscendus est Dei digitus, versutos in versutiis suis comprehendere sueti; qui Capellum ita dementaverit, ac stuporem adeo prodigiosum ei immiserit, ut quum figmentis suis mordicus inhærere decreviſſet, iis tamen vulnus lethale ac insanabile propria manu infligeret, inque ea non per ambages aut consequentias, sed rectà & expressissimis verbis tam atrocem sententiam ferret. Habemusque hic in Capello vivam imaginem mirandæ istius παραφορας ac cæcutientiæ, qua Deus olim hostes suos Syros ad comprehendendum Prophetam Elisæum missos, in mediam Samariam, inque manus Regis Israëlis perduci fecit, quum interea se Dothanem ingressos, suam-que rem ac negotium sibi mandatum se strenue ac fœliciter per-agere existimarent: & consimilis rursus cæcitatis, qua diu ante facinorosam Sodomæorum molitionem ita punivit, ut non modo ianuam Lothi, quod attentaverant, omnique nisu effectum cupiebant, perfringere non valerent, sed ne propius quidem ei accedere, aut omnino viam ad ipsam reperire possent. Et tamen homo ille, qui in tam insignem ac stupendam hic, ut alibi centies, cæcitatem incurrit, audet passim in Apologia cæcitatis ac stuporis me insimulare: quod quidem facere solet eo vehementius ac confidentius, quo verioribus difficultatibus & firmioribus argumentis à me premitur, ac constrictus tenetur.

CAPVT XIV.

In illis Veterum Interpretum à Textu Hebraico discrepantiis, quæ circa voces affines valdeque inter se similes versantur, & quas solas in Apologia defendendas suscipit Capellus, conceditur, Interpretes ita legisse, quomodo translatio eorum præ se fert. sed inde nequaquam sequitur, propterea sic quoque in eorum codicibus scriptum fuisse; sicuti vitiose, & absque vlla vlteriori probatione, inde concludunt Morinus

rinus & Capellus: acsi ista duo penitus inter se connexa essent, & indivisa, quod ij præposterè sibi imaginantur.

OMnis illa certitudo Variarum Hebraici Textus Lectionum, à Capello confictarum, & ex Veteribus Translationibus proeusarum, in qua tantopere sibi placet, & quam toties & tam jactabunde in Pseudo-critica ostentare soler; reducitur tandem ad illas duntaxat, quæ circa voces valde affines, & figura aut sono simillimas, versantur: reliquis omnibus in tantum inde exclusis, ut non modo nihil inveniat, quod pro iis dicat, penitusque indefensas eas relinquat, sed ultro pro spuriis & fictitiis ipsas diserte & atrocibus verbis in Apologia condemnet plus semel. Veritate sese extorquente ipsi invito, eum-que trahente velut obtorto collo ad pronuntiandam sententiam Pseudo-criticæ tantopere damnosam, ac longe maximæ eius parti prorsus exitialem; sicuti superiori Capite planum feci. Contra hanc iacturam, ingentem sane illam & valde lachrymabilem, aliquatenus se solari poterit Capellus, si pro residua saltem Variarum suarum Lectionum portione, aut potius portiuncula (quippe illæ in vocibus affinibus constitutæ nullo pacto cum reliquis vel numero vel pondere comparandæ veniunt) præstitit illud, quod pro omnibus in universum præstare debuisset, si Pseudo-criticam salvam vellet. Et nihil profecto hic difficultatis restat, omnia-que ipsi summe prona sunt & proclivia, modò ipsi credere libeat; qui usque adeo varias istas lectiones extra omnem dubitationis ansam locatas existimat, ut non possit satis de earum certitudine gloriari, ac mirifice in ea triumphet, veluti extra omnem telorum coniectum posita, & cui nihil nocere possit, ne summa quidem illarum Translationum, è quibus ipsæ depromuntur, vitiositas; non modò illa, quæ ab exscriptoribus manavit, sed & quæ ab ipsis earum authoribus, sive ab ipsis Interpretibus, profecta est. De priori quidem istorum, litem ei nequaquam moverim, & haud gravate ipsi concedo, id quod Apol. p. 40. 42. & 43. contendit, *Diversitates illas*, de quibus nunc sermo est, *non esse à librariorum corruptela, sed ab ipsis Interpretibus, qui aliter legerint, quàm nos legimus.* Et effræni suæ in me petulantiæ nimium indulget Cap. quando pag. 40. ita scribit: *Quæ loca nemo nisi Bootij similis, hoc est excors, suspicari posset esse à librariis corrupta, aut immutata:* & quando pag. 42. addit, Me

ſententiam ipſius de variis lectionibus demutare in *ſtultiſſimum commentum, quod ipſi falſo & imperitiſſime obiiciam.* Ego enim nunquam ſuſpicatus ſum, multo minus dixi aut ſcripſi, locos illos, in quibus Interpretum verba reſpondent verbis hebraicis, quæ valde affinia ſunt verbis veræ lectionis codicum hebraicorum, ab exſcriptoribus ad iſtum modum immutatos aut vitiatos fuiſſe; neque ad iſtos locos omnino reſpexi, quando urſi, ut feci Epiſtolæ §. 21. *Tranſlationis alicuius, multimode à librariis vitiata, omnes à codicibus Hebraicis diſcrepantias non poſſe pro variis hebraici textus lectionibus venditari, niſi ut depravationes à tranſlationum deſcriptoribus invecta pro ipſius textus Hebraici variationibus obtrudantur,* ſed ad illos alios, tanto numeroſiores, tanto-que maioris momenti, quos nunc quidem indefenſos relinquit, præterea-que pro ſpuriis condemnat Cap. (uti Cap. præced. oſtendi) ſed quos tamen omnino pro Variis Lectionibus haberi vult, non in Pſeudo-critica tantùm, ſed & in ipſa Apologia. De iſtis autem veriſſimum eſt, utut oblatret Cap. quod tum alibi plus ſemel in Epiſtola ipſi obieci, tum præcipue dicto paragrapho 21. In Verſione magnopere à librariis vitiata, magnam partem diſcrepantiarum eius à textu hebraico, non eſſe ipſius Interpretis verba, ſed interpretationis mendas ac corruptelas; quas pro variis lectionibus codicum hebraicorum venditare (uti venditantur à Capello, dum omnes omnino Veterum Interpretationum à codicibus hebraicis diſcrepantias, pro totidem ipſorum Variis lectionibus habendas præfracte contendit) cæcitatis ſit extremæ, omnique excuſatione carentis, atque omnem abſurditatem ſuperantis. Et quàm æquum ſit iſtud meum poſtulatum, ut ex Verſione multum ac graviter à librariis vitiata, nulla talium diſcrepantiarum in medium adferatur, ad colligendam inde variam textus originarij lectionem, niſi prius doceatur, locos illos, de quibus agitur, non eſſe de numero eorum, quos librarii vitiaverint; diſcere potuiſſet vel à conſorte ſuo Morino, qui locis illis in fine Capitis 12. memoratis, diſerte ſancit, Ad cauſandas ex variantibus tranſlationibus varias primitivi textus lectiones, omnino neceſſarium eſſe, *ut de tranſlationis corruptione nulla ſit dubitatio, atque in verſionis loco comparando nulla ſit corruptelæ ſuſpicio.* Sed Capello ſolenne eſſe, Veritati vel liquidiſſimæ reclamare, & in videndis argumentorum evidentiis ac conſequentiis quavis talpa cæciorem ſe præbere, toties iam vidimus, ac toties porro videbimus, ut craſſiſſima illa ac plane ſtupenda hebetudo nullam amplius admirationem in ipſo debeat habere.

Vt itaque redeamus ad illas Variationes, de quibus nunc agere occœpimus, & quæ in permutatione vocum valde affinium ac similium versantur; libenter de iis concedo, neque unquam negavi, eas haudquaquam esse à librariis, sed ab Interpretibus ipsis. Concedo etiam de iis, quod tum alibi sæpissime, tum Apol. pag. 40. inculcat, *Posse ex translatione ipsa certo iudicari & demonstrari, quomodo Interpretes in codice suo legerint.* atque hoc concesso, admitto etiam, utpote ex concessione ista sponte fluens, quod ait Apol. pag. 51. *Ex translatione τῶν 70. quantumlibet ea sit inepta & inficeta, & quantumlibet indocti, imperiti, imprudentes, ignari fuerint Sept. posse demonstrari, eos aliter legisse in codice suo Hebraeo, quam nos hodie legimus in nostro.* Sed hæc concessio nihil iuvat Capellum, & nequaquam inde sequitur, quod ipse sequi putat, pag. 52. *Vt ex Interprete etiam indocto & imperito colligi & demonstrari possint variæ lectiones.* Hoc, inquam, intelligendo *Varias lectiones* ita, uti eas hic, alibi-que passim, intelligit & intelligi vult Capellus, nequaquam consequens est præmissis, nisi si idem est *Aliter legisse Interpretem*, &, *Aliter in ipsius codice scriptum fuisse:* quæ duo quum inter se distent quamplurimum, nequaquam invicem confundenda sunt, uti à Capello fieri solet; id quod Epistolæ quoque Anti-criticæ §. 54. monui. Et notanda hic est puerilis Capelli levitas, verba eo loco mea ita ridicule mutilantis, uti dictum illud meum, *Nolim sane diffiteri, quin admodum verisimile sit Sept. aliosque Veteres Interpretes in compluribus illorum locorum, ubi translationes eorum à codicibus hebraicis discordant, ita legisse, quomodo eos legisse contendit Capellus:* detruncans ab istis proxime sequentibus, *Sed nihil inde iuvatur eius causa, nisi unà quoque concedatur,* aliter legisse Interpretes, &, aliter in eorum codice scriptum fuisse, *unam eandemque rem esse, quod sine manifesta falsitate concedi non potest;* seorsim id exhibuerit, quo inveniret in ipso triumphandi, materiam, atque sibi exultabunde gratulandi in hæc verba: Con„cedit tandem Bootius, vi veritatis adactus, idipsum quod totâ „meâ Criticâ contendo ——— sequitur dari fatente vel invito „Bootio, illorum locorum variam Lectionem, quod sane ad rem „quam ago mihi satis est. Sic enim obtineo adversus Bootium, „dari in S. Textu alias varias lectiones, præter eas quas conce„dit Bootius ab ipsis Iudæis notatas ——— nempe quamplurimas, quæ ex Veteribus Translationibus colligi & demonstrari „possunt. siquidem B. iam non diffitetur, in compluribus eorum „locorum V. Int. ita legisse, quomodo contendo eos legisse.

quod totum tale eſt, ut nihil ineptius aut ſtultius dici poſſit. quippe detruncando verba mea, ex iis infert, me concedere Vet. Interpretes aliter legiſſe eo ſenſu, quo ipſe id intelligit, ut nimirum aliter in eorum codice ſcriptum fuerit; quum ea ſimul ſumpta planiſſime contrarium dicant: & quum ita concedam *eos aliter legiſſe*, ut expreſſe doceam, hoc nequaquam idem eſſe, ac *aliter in eorum libris ſcriptum fuiſſe: & prave facere Capellum, manifeſtæque falſitatis teneri, & extremæ vel incogitantiæ vel fraudis damnandum venire, quando iſta ſic confundit, acſi nihil prorſus inter ea intereſſet.* Nonne hæc eſt egregia in rem ipſius conceſſio, & egregie cauſam ipſius iuvans, ac de qua iure uſurpet hoc epiphonema, *quod mihi ad rem quam ago ſatis eſt?* Imò an non eſt hæc apertiſſima & ſumme pudenda falſitas, verbis meis eum attribuere ſenſum, quem non modò repudio ac damno, ſed quem ex profeſſo impugno eo ipſo in loco? Sed ſuetum eſt Capello, turpes eiuſmodi ludos dare, & plus, quam quiſquam credere poſſet, impudentiæ in me vela laxare. quale etiam illud eſt, quod Apol. pag. 44. non erubuit dicere, me locum illum, quem Epiſtolæ §. 23. allego ex Pſeudo-criticæ lib. 4. cap. 15. *ſimpliciter adferre, & quum illum oporteret refellere, ἐπέχειν, ac inſtar piſcis mutum eſſe.* & tamen adeo ad eum mutus non ſum, ut omnes eius angulos excutiam, ac integros novem paragraphos (proxime paragraphum illum, in quo locus is citatur, ſequentes) in eo examinando ac refellendo inſumam.

Omnino perperam igitur Capellus confundit iſta, *aliter legit Interpres*, & *aliter in eius codice ſcriptum fuit*, acſi ea unum idemque eſſent, quum plurimum inter ea interſit. potuerunt enim Interpretes eadem omnia in ſuis codicibus ſcripta habuiſſe, quæ nos habemus in noſtris, & tamen ſic legiſſe, quomodo legiſſe eos vult Capellus, ac ego concedo; nimirum prave legendo id, quod rite ac probe, & codicibus noſtris convenienter, ſcriptum erat in eorum libris. Et hunc eundem errorem errat quoque paſſim Morinus; qui permultis in locis plurimum in id verborum inſumit, ut id probet, quod probatu penitus ſupervacuum eſt, utpote à nemine unquam negatum, Interpretes in eiuſmodi diſcrepantiis, de quibus nunc agimus, legiſſe ita in textu originario, quomodo eorum tranſlatio præ ſe fert. Quando autem putat ſe, dummodo obtineat iſtud, totam cauſam ſuam obtinere, optimo-que iure poſſe ex talibus Interpretum variationibus, ipſius textus primitivi varietates colligere; in eo graviſſime fallitur, ac fœde cum Capello ſuo hallucinatur, ea inter ſe miſcendo, quæ plurimum

invicem distant. Et si animum ad hoc discrimen advertisset ut debebat, facile vidisset, haud multum præsidij sibi esse in magnis illis viris, quos tam libenter nominare solet, velut duces suos in hoc facto, procudendi archetyporum variationes ex variationibus Interpretum, ac quorum longos catalogos texit in Diatriba, ut eorum exemplo sese contra me tueatur, atque os mihi obstruat; acsi heroës illi idem omnino, quod ipse, factitassent. Ast futilissimum esse totum hoc defensionis genus, hinc apparet, quod eruditissimi illi viri vix aliud colligere solent ex Interpretum discrepantiis à codicibus archetypis, qui circumferuntur, quàm quod nemo non collegerit in pari casu, nimirum eos sic vel sic in codicibus suis legisse; nequaquam verò, codices eorum illis in locis aliud scriptum habuisse. & si aliquando iis evenit, id quod evenit quam rarissime, ut causentur Interpretes non modò aliter legisse, sed & aliter in codicibus suis scriptum habuisse, id non faciunt affirmanter, (ut Morino, eos velut sibi consentientes alleganti, mos est,) sed suspenso gradu, & coniectando tantum, atque instar addubitantium: *Videtur Interpres aliud exemplar secutus: nisi exemplar, quo usus est, à nostro discrepaverit:* vel aliquid simile. Et hoc ipsum tamen ut dixi, perraro contingit, ut sic loquantur; atque in longe maxima parte ingentis istius agminis testimoniorum, quæ in sui apologiam contra me congerit Morinus Diatribes cap. 6. & 7. ex Beza, Drusio, Schindlero, Amama, De Dieu, &c. ac quibus aliquammultas paginas implet, passim nihil aliud dicentes illos videas, quam *Interpretem sic vel sic legisse*, aut *videri legisse*, non autem, *sic in eorum libris scriptum fuisse*. Verum uti incommodo isto mederetur Morinus, eos vel invitos id, quod eos dixisse vellet, dicentes facit, ac veluti in equuleum impositis voces exprimit, de quibus illi ne somniaverunt quidem. Ita pag. 58. dicit, *Bezæ valde probabile esse*, 70. *Interpretum codicem aliter legisse, quam nunc in Hebræo legatur*; quum in verbis illis, quæ ibi ex Beza citat, nulla plane mentio fiat lectionis codicis, sed lectionis Interpretum. ait enim: *In Hebræo legitur* בגוים, *pro quo videntur Græca legisse* בוגדים. & acsi parum esset, in re manifestaria ita palam mentiri; eò audaciæ & impudentiæ ibidem processit, ut in istum Bezæ locum, alioque præterea quinque, ei plane germanos, neque quicquam amplius pronunciantes (ecce enim ipsa Bezæ verba, à Morino ibi allata: In Hebræo legitur קום, — Græci verò vel קולם legerunt, vel locutionem studuerunt emollire: Hebræa Veritas habet לא יחיש, sensu — non multum diver-

so; suspicor tamen Gr. Int. legisse יבוש: Hebræa Veritas habet ולשבי —— ubi Græci legerunt ולשוב: Tertiam personam in primam mutaverunt, nisi malimus eos *naphschi* pro *naphscho* legisse: Fateor Græcos unum idemque vocabulum aliis punctis expressisse) ausus fuerit ita præfari, ut eos appellaret *Beza de mendis hebraicis testimonia*: quum adeo non loquatur de mendis textus Hebraici, ut neque de variis lectionibus eius verbulum faciat, ac nude dicat, *Int. aliter legisse*, (uti ex verbis eius hic appositis liquet) & quidem ita, ut haud obscure indicet, non in codice Interpretum, sed in ipsis, hærere variationis illius causam. Neque meliori fide agit cum Drusio. quippe ex consimilibus ipsius testimoniis, concludit pag. 59. *Eum ex textu τῶν* 70. *coniicere textus* [hebraici] *restitutiones*. Et similiter, atque adhuc peius, grassatur etiam in Schindlerum, cui itidem non puduit ipsum affingere, quod ex translationibus τῶν 70. & Hieron. idem cum ipso colligat; quum planissimum sit Schindl. quoties notat Int. aliter in Hebræo legisse, id quod facit millies ac millies, solere id referre non ad codicum varietatem, sed ad culpam Intepr. qui literarum aut vocum similitudine decepti, aliter eas legerint, quàm in eorum exemplari scriptæ erant; atque id apertissime faciat iis ipsis locis, quos ex eo laudat Morinus, unico tantùm excepto; ubi videtur dubitare, num ita scriptum invenerint 70. uti transtulerunt, an ibi quoque similitudine literarum decepti fuerint. Et quum testatissimum sit, Schindlerum fuisse in contraria Morino sententia, audet tamen id in dubium vocare, tum interrogando velut de re summe incerta, *qua coniectura id colligatur*; tum contra id disputando ratiunculis quibusdam: quarum si ulla vis est, efficient Schindlerum non recte feciſſe, ita sentiendo. quominus autem ita senserit, effici iis haudquaquam potest, uti neque ullis aliis argumentis. siquidem contra *rem facti*, uti vocant, inutilis ac stulta est omnis ratiocinatio. Sed quid non ausit Morinus in Beza, Drusio, Schindlero, inque pervertendis ipsorum verbis, atque in sensu alieno iis affingendo; quandoquidem in ipso Hieronymo eandem quoque audaciam, summæ impudentiæ plenissimam, exercere minime veritus est, atque de eo quoque affirmare, quod in illis Commentariorum suorum locis, ubi dicit 70. *aliter in Hebræo legisse*, voluerit, *aliter in eorum codice scriptum fuisse*: quum nemo, qui Hieronymi commentarios in prophetas vel à limine salutavit, ignorare possit, istam phrasim Hieronymo vim diversissimam, ac plane contrariam, habere. neque contentus, eius

mentem ita in contrarium torquere, ubi ſimpliciter dicit Interpretes aliter legiſſe; tantundem facere ſuſtinuit illisipſis in locis, ubi Hier. Interpretes pravæ lectionis accuſat, eoſque in legendo deceptos fuiſſe diſerte monet. Incredibile iſtud iure videri poſſet omnibus, quibus non penitus notus Morinus, & qui neſcirent, adeo ſibi placere eum in flagitioſa illa fœdiſſime ac apertiſſime mentiendi licentia, ut ultro videatur hanc appetiviſſe palmam, nequis mortaliũ magis ſtrenue aut magis impudenter mendax inveniretur. Alioquin enim, ut nunc omittam innumera alia turpiſſima eius mendacia (quorum permulta iam variis occaſionibus attigimus) haud fuiſſet auſus ita proterve ac palam mentiri in negotio eo, de quo nunc agimus, ac fecit Exercit. Antibibl. tertiæ, capite primo: quod caput totum quum ei impenderit, , ac iam ſtatim in Epigraphe eius falſiſſime dixerit, Hieronymum „ NVNQVAM dubitaſſe, ſed hoc ut EVIDENS ſermoni SEM- „ PER ſubſtraviſſe, ERRORES PLVRIMOS in codices He- , braeos ſcribarum iniuria illapſos fuiſſe: trahit ibi in iſtius aſſertionis confirmationem non tantùm alios locos, ubi longe alia Hier. mens, ſed aliquammultos de illis ipſis, ubi expreſsimis verbis prorſus contrarium affirmat, ſicuti modò dicebamus. Ita pag. 124. quum dixiſſet, *Hieronymum ſæpius adnotare, textum Hebraï mendis nonnullos deceptos fuiſſe:* id probat hiſce eius verbis ex , comm. in Eſa. 19. 18. Pro civitate Solis 70. neſcio quid volentes „ interpretati ſunt ἀσσίδα, quam quidam noſtrorum urbem iuſti- „ tiæ interpretatur: & ductus errore, quod iuxta Hebræum חרס , ſcriptum ſit, terram putat, quæ aliis literis ſcribitur: itemque iſtis in Hoſ. 5. 13. *Pro eo quod nos expoſuimus Iarib, alij male legunt* יערים *per* ם *literam:* atque iſtis in Hoſ. 8. 6. *In hebraico ſcriptum eſt* שבבים *per Iod penultimam literam, non ut quidam falſò putant per Vau.* Tum vult ut credamus, Hier. dicere ad Zach. 12. 10. *Variam hebraï textus lectionem, cauſam fuiſſe diverſitatis inter Sept. & Ioh. in celeberrimis illis verbis, Aſpicient ad me quem confixerunt:* quum Hier. ibi pravum τῶν 70. interpretamentum vocis *dakaru* amaris verbis ſugillet, eoſque iſto nomine diſerte inſimulet *erroris, à ſimilitudine literarum nati.* Simjlis farinæ eſt, & æque fœdum ac ſuperiora, quod iſtis Hieronymi ad Amos 6. 5. „ Senſus iſte pulcherrimus, in quo dicitur, *Quaſi ſtantia putave-* „ *runt, & non quaſi fugientia*, in Hebræo non habetur, ſed pro eo „ ſcriptum eſt, *Sicut David putaverunt ſe habere vaſa cantici.* unde „ mihi videtur ab Interpr. additum, qui in deſcriptione luxuriæ

„ contra vitia ac voluptates huiusmodi sententiam protulerunt, ut „ non verterent quod scriptum erat, sed de suo quod sibi videre„ tur adderent, imo mutarent: stultissimam simul atque impudentissimam hanc glossam addit: *Sanctum dicere, hoc sibi videri additum, non affirmare ut necessarium; ideoque ex ipsius sententia licere credere, hoc ab Interpretibus additum non fuisse sed ex Hebræo textu, quem vertebant, expressum.* & in cumulum vecordiæ, quum ignoraret Hieronymo *addere* & *permutare* promiscue solere usurpari in isto negotio, & quando de Interpretum variationibus à textu Hebraico agit (id quod discere potuisset vel ex hoc ipso loco, uti ex aliis quamplurimis) eiusmodi sensum ex verbis illis, *ab Interpretibus additum*, exsculpit, de quo Hieronymo ne per somnium quidem in mentem venit; acsi nimirum is dixisset, Aquilam quoque, & reliquos Veteres Interpretes, æque ac 70. ista addidisse; inde-que occasione sumpta, multa delira deblaterandi, sic tandem concludit: *Illudigitur non expressérunt, nisi codicum suorum autoritate coacti.* Et acsi impudentiæ & dementiæ parum hic litasset, in idem cœnum se rursus immergit Exercitationis 6. capite 11. ubi cum demonstrandum sumpsisset, *Ad mendas in Hebræum textum illapsas sæpe confugiendum esse, idque innumeris in locis præstitisse S. Hieronymum*; &, *Quamplurima esse apud eum loca, in quibus variæ Interpretum translationis variam textus hebræi lectionem causatur*: in probationem turpis istius atque apertissimi mendacij adducit ingens agmen illorum ipsorum locorum, in quibus Hier. diserte Sept. incusat, quod verba Hebraica perperam legerint in codice suo. & fronte strenue perfricta, ad exterendam si qua adhuc ruboris guttula ibi hærebat, ait *verba Hieronymi*, quibus expressissime Sept. erroris atque hallucinationis in legēdo arguit, *non de Interpretibus ipsis intelligenda esse, sed de codicibus Hebraïs quibus utebantur*: ac Hier. quando ita de Sept. loquitur, ut eos dicat errasse, & literarum similitudine falsos deceptosque esse, *causari in textu hebraico scribæ hallucinationem, & scribas codicesque Iudaicos depravationis accusare, ac velle, quod mendæ in codicem Hebraeum των 70. illapsæ fuerint.* Sed & in Præfatione pudendo isto flagitio ad eundem modum se obstringit, idque plus uno loco. Atque ex his abunde apparet, quam vanus & inutilis, imò quam stolidus & gnaviter impudens sit Morini conatus, quando credi vult, tum alios magnos viros, tum Hieronymum quoque, ipsi in hoc consentire, ut duas illas res, plurimum inter se diversas, *Ita legit Interpres in codice suo*, &, *Ita in codice Interpretis scriptum fuit*,

inter

inter se confundant, & quoties prius istorum dicunt, etiam alterum intelligi velint. Quæ autem Morino, alios pro se alleganti, hic respondi; eadem in Capellum quoque valere debent, eodem defensionis genere uti solitum: quod totum quum in Epist. Anticrit §. 60. ad plenum discusserim, atque ibi copiose monstraverim, quàm frivole se tueatur Capellus exemplo Criticorum, qui in externis Authoribus de textu originario divinaverunt ex translationibus; eò recurrat lector, qui plura de hac re noscere desideraverit.

Vt igitur, omissis aliis (quorum patrocinio inutiliter & perperam se tueri solent Mor. & Cap.) hoc agamus, & rem in pauca contrahamus: dico rursus, me ipsis concedere, de illis Interpretum à textu originario discrepantiis, quæ nunc præ manibus sunt, & quæ consistunt in vocibus affinibus, ac valde inter se vicinis, quod Interpretes ita ibi legerint, quomodo translatio ipsorum præ se fert, & quomodo eos legisse volunt M. & C. Neque unquam hoc negavi, quanquam contrarium mihi invita veritate affingit Capellus in Apol. tum alibi plus semel, tum pag. 86. aiens, *Insulsissimi fuerint Interpretes, si legentes quomodo hodie legitur, quod Bootius vult, reddiderunt tamen quomodo hodierna eorum fert translatio.* Non nego, inquam, neque unquam negavi, quin in eiusmodi locis, de quibus nunc quæritur, congruenter translationi suæ legerint. Sed ut propterea ita, quomodo illi legerunt, in codice eorum scriptum fuerit; hoc neque concedo, neque inde sequitur. & prave omnino faciunt Mor. & Cap. qui passim ista sic confundunt, acsi nihil inter ista interesset, & acsi penitus inter se coniuncta essent & indivisa. ac proinde ad ista Capelli, eâdem istâ paginâ, *Si Interpretes non aliter illic legerunt, quam hodie legitur, nec aliter scriptum fuit in eorum codice, quam scriptum est in hodierno, edat Bootius idoneam rationem, cur sic ergo diverse reddiderint ab hodierna, imò verò & à propria lectione, & à proprio codice, si, ut vult B. eorum codex & eorum lectio eadem fuit cum hodierna:* respondeo, præpostere hic, ut alibi passim, ab ipso, uti à Morino, copulari ista, *aliter legit Interpres*, &, *aliter in codice Interpretis scriptum fuit:* & tametsi admittam prius, sicuti omnino admitto, non etiam admittendum habeo & alterum, nisi id seorsim probetur. neque unquam obtinebit Cap. quin vitiose ratiocinetur, quãdo ex priori istorum, *sic legerunt Interpretes*, alterum illud, *sic in Interpretum codice scriptum fuit*, statim & absque ulla ulteriori disquisitione aut confirmatione concludit, uti facit hic, itemque

Apol. pag. 53. *Vbi verſionis eorum ratio duci poteſt à varia lectione, & oſtendi poteſt quomodo illi legerint, iſthic dico eos tranſlatione ſua expreſſiſſe id quod in codice ſcriptum erat:* & pag. 72. *Etſi ipſum codicem Hebraum τῶν 70. & Hieronymi non habeamus iam, ex eorum tamen Verſionibus multis in locis certò deprehendere poſſumus, quo pacto codex ipſorum diverſus fuerit ab hodierno:* & alibi millies. Iſta enim haudquaquam ita indiſcretâ ſunt, aut inter ſe cohærent, ſicuti prave ſibi imaginatur cum Morino Capellus: ſed probato priori (quod ſane probatu facillimum eſt, neque probationis omnino eget, quum ultro iis id concedatur) integer adhuc alterum quoque probandi labor iis reſtat, ſicuti omnibus, paulo ſaltem attentius iſta conſiderantibus, per ſe liquere poteſt, & in ſequentibus planiſſimum à me fiet.

CAPVT XV.

Hieronymo, diſcrepantias Interpretum à textu Hebraico, ad erroneam ipſorum Interpretum lectionem referre ſolito, proterve & inepte reclamant Morinus & Capellus: & tamen ipſi quoque fatentur vel inviti, id alicubi ſaltem accidiſſe, ut Interpretes hallucinati ſint in legendo, & perperam ea legerint, quæ recte & conformiter textui noſtro in eorum codicibus ſcripta erant. ex qua Capelli & Morini conceſſione ſequitur, prave ab ipſis variantem Interpretum lectionem cum variante ipſorum codicum lectione confundi: & ne unam quidem iſtarum diſcrepantiarum cum ulla certitudine pro variis Hebræi textus lectionibus haberi poſſe, niſi monſtretur modus, quo erroneæ Interpretum lectiones ab aliis internoſcantur.

OStendi præcedenti capite, Morinum & Capellum iſta duo, *Quod ſic vel ſic legerint Interpretes*, &, *Quod ſic in eorum co-*

dice ſcriptum fuerit, ſolere inter ſe confundere, acſi una eademque res eſſent; inque eo perperam ipſos ac præpoſtere facere dixi. Ratio eſt, quia Interpretes iis in locis, ubi à codicibus noſtris eorum tranſlatio diſcrepat eo modo, de quo nunc agitur, potuerunt eadem omnia in codicibus ſuis ſcripta habuiſſe, quomodo nos habemus in noſtris, & tamen ita legiſſe, quomodo eorum interpretatio præ ſe fert, & quomodo eos legiſſe contéditur, ac conceditur. Sane Hier. commentariis in Prophetas, innumeras eiuſmodi producit diſcrepantias ex Sept. ubi varietas omnis vocum Hebraicarum, Interpretamentis eorum congruarum, à vocibus textus noſtri in literulæ additione, omiſſione, tranſpoſitione, permutatione, aut dictionis unius ſciſſione in duas, duarumve in unam contractione conſiſtit; & in illis diſcrepantiis notare paſſim ſolet, eos ita legiſſe, ſicuti verſioni ipſorum congruit: neque propterea concludit cum Mor. & Cap. illorum exemplaria aliud ibi quàm noſtra ſcriptum habuiſſe, ſed eos per errorem rite ſcripta prave legiſſe, atque in legendo falſos deceptoſque fuiſſe. Monui hoc etiam in Epiſt. Anticrit. § 55. & ſeqq. plurimiſque productis exemplis commonſtravi: & res adeo clara eſt, ac obvia, ut nemo eam negare auſit, ne ipſe quidem Morinus & Capellus. Et quanquam Mor. non erubuit compluribus in locis Hieronymi hac de re verba adeo immaniter ac impudenter detorquere, ut mentem eorum planiſſime in contrarium demutet, ſicuti modò prolixe docui; alibi tamen ipſe quoque id quod res eſt de Hier. aperte fatetur. „ quippe Exerc. Antibibl. 4. cap. 3. pag. 168. ita ſcribit: Fruſtra „ colligerentur loca, quibus ſanctos Interpretes & oſcitantiæ & „ erroris arguere videtur: ſunt in commentariis prope innumera. „ Sæpiſſime enim, cum Græca ab Hebræis differunt, culpam om„ nem in Græcos Interpretes derivat. Decepti ſunt, inquit, lite„ rarum ſimilitudine, male legerunt, coniuncta ſeparaverunt, ſe„ parata coniunxerunt. Sed fortaſſe iniquum eſt hoc meum & Hieronymi poſtulatum, quo volumus eos illa, quæ bene & codicibus noſtris congruenter ſcripta erant in ipſorum exemplari, perperam legiſſe, & inter legendum deceptos fuiſſe. Ita quidem videtur Morino, qui dicto loco haud leviter Hieronymo ſuccenſet eo nomine: & Exercit. 6. cap. 11. plus uno loco contra eum de hoc diſputat, idque verbis indignitatis pleniſſimis, & acſi id, quod Hier. dixit, eſſet dictu per abſurdum, ridiculum, atque adeo ſtultũ; neque dici poſſet, quin Sept. fingamus omnino cæcos, bardos, aut legendi rudes fuiſſe. Ita pag. 280. ad illum locum Hierony-

mi, ubi dicit 70. pro *chen* legiſſe *cham*, putantes *nun* eſſe *mem*, exclamat hoc modo: *Nulla literarum ſimilitudo,* ——— *nulla pronuntiationis conformitas* ——— 70. *decipere potuit, modò illos non omnino cæcos aut bardos, nec operis, cui operam ſedulo navabant, negligentes nobis fingamus.* & pag. 284. Ipſius verba ſunt eiuſmodi, „ut rem evidenter abſurdiſſimam ſonare videantur; 70. ſcilicet „Interpretes literas ſæpe propter ſimilitudinem non dignoviſſe, „aliquando propter minutum characterem eas non animadverti„ſe ——— Hoc cum ſit non modò perabſurdum, ſed etiam de „viris eiuſmodi, & illo ſæculo viventibus dictu ridiculum ——— iterumque pag. 285. *Sane perabſurdum eſſet aſſerere, in* 70. *Interpretum codicibus* יער *ſcriptum fuiſſe, & ſic de cæteris, ipſos autem adeo cæcutiviſſe, aut mentem ab eo quod agebant abalienaſſe, ut* ער *pro* יער *pronuntiantes, teſtimonium pro ſaltu tranſtulerint.* ——— *Omnes enim, opinor, legere ſciebant, literaſque alias ab aliis diſtinguere.* ac rurſus pag. 288. *Stultum eſt, in* 70. *Interpretes, quaſi legere neſcierint, errorem refundere.* Verum enim verò non eſt per-abſurda, ridicula, aut ſtulta Hieronymi aſſertio, qua 70. in legendo hallucinatos dicit, ſed per-abſurdus, ridiculus, & ſtultus Morinus, præterea-que procax, protervus, petulans in Hieronymum, qui pro tali eum condemnare non veretur; idque eo magis, quum omnibus notum ſit, & ab ipſomet aliquando peculariter diſputatum, quam proclive ſit in legendis hebraicis labi, ob magnam multarum inter ſe literarum ſimilitudinem. & ſi iſta hallucinatio locum habere poteſt (uti poteſt certe, ſi quis feſtinantius aut parum attente legat) in codicibus maiori atque accuratiori charactere ſcriptis; quanto magis locum illa habebit in codicibus exaratis minuta minuſq; exacta literarum forma, quales veriſimile eſt fuiſſe omnes illos Veterum Interpretum. Sane de ſuo codice tale quid profitetur Hier. loco illo, quem ex lib. 7. commentariorum in Ezech. allegavi Epiſtolæ §. 42. & quod talem quoque crediderit codicem ℣ 70. ex multis eius dictis aperte colligi poteſt. debuit autem totum iſtud, de ſcriptura codicum iſtius temporis, de-que proclivit. te errandi in iis legendis, notius ipſi eſſe, quam Morino & Capello, qui tot poſt eum ſęculis in mundum venerunt. & ſi priſcis illis temporibus, ac in priſca illa Scriptura, non fuiſſet æque pronum lectoribus aliud agentibus hallucinari in legendo, quàm hodie, & multo adhuc magis; quomodo igitur ſcribæ Hebræi (in quos libenter omnem iſtam culpam conferrent Mor. & Cap. uti mox videbimus) toties in hallucinationem iſtam

Præfat. § 40. &c.

incurrerunt? Et ſi ipſi ſcribas illos, quos toties ita hallucinatos volunt, non propterea dixerint omnino *cæcos*, *bardos*, aut *legendi rudes* fuiſſe; potuit dicere Hieron. & poſſumus nos dicere cum ipſo, Interpretes ſic inter legendum fuiſſe deceptos, abſque eo ut iſtis elogiis eos afficiamus. Etiam Capello ſummopere hic deſplicet Hieron. infeſtuſque in eum inſurgit, ut Morinus, quia τῶν 70. hallucinationem in legendo tribuit, quam ſcribis Iudaicis omnem, vel fere omnem, tribuere debuiſſet. Ita enim ſcribit, Apol. pag. 93. & 94. Sed quæritur, an convenientius ſit omnem „ illam variationem ad Int. ſive ſint 70 ſive alij, potius quam ad „ librariorum hallucinationem & errorem referre. Refert Hier. „ totam ad Interpretum errorem & hallucinationem, ——— nec „ attendit, aut cogitavit, variationem illam totam, aut maximam „ eius partem, tam poſſe librariorum quam Interpretum errori & „ hallucinationi attribui, imò verò potiori multo iure illis quam „ iſtis tribui poſſe & debere. ——— Quin & aliquot ab ipſo B. ex „ Hieron. productis locis atque exemplis doceri poteſt, ſine ratione Hieronymum varietatem referre ad Interpretum hallucinationem, quæ magis referenda eſt ad librariorum errorem. Quod ſi ex Capello quæras, quare Hieronimus debuerit hallucinationem illam ſcribis Iudaicis potius, quam τῶν ſeptuaginta imputare; nihil aliud illum dicentem audies, quam quod *In genere hallucinatio & error in legendo, cuiuſcunque generis ſit, ſive ex literarum figura ſimilitudine, ſive ex detractione vel omiſſione, ſive ex vocum diviſarum coniunctione, vel coniungendarum diviſione, proclivior multo eſt in indocto & vulgari ſomnolento ſcriba, quam in docto & attento ad tranſferendum Interprete* ſed totum iſtud tale eſt, ut nihil ipſum iuvet, vel me aut Hieronymum lædat. Vt enim contra nos obtineret id, quod vult, non ſufficiebat dicere, quod omnis iſta hallucinatio prochivior eſt in *indocto, vulgari, ſomnolento ſcriba*, quam *in docto & attento ad tranſferendum Interprete*: ſed vel de omnibus in univerſum & ſcribis & Interpretibus dicendum erat, illos quidem iſtis hallucinationibus obnoxios, iſtos verò ab iis immunes eſſe: aut, ſi illud nec audet, nec poteſt, debuerat monſtrare de ſcribis illis & Interpretibus, de quibus nunc quæritur, quod alteri fuerint *indocti*, *vulgares*, *ſomnolenti*; alteri autem *docti*, *& ad tranſferendum attenti*. Niſi enim id fecerit, & niſi peculiariter monſtraverit, & 70. fuiſſe *doctos*, *& ad tranſferendum attentos*, & ſcribam illum, à quo deſcriptus fuit codex eorum hebraicus, fuiſſe *indoctum*, *vulgarem*, *ſomnolentum*; operam & oleum

perdit iis, quæ de *indoctis, vulgaribus, & somnolentis scribis*, & de *doctis attentisque Interpretibus* hic garrit. eademque responsio valere debet in omnes illos locos, ubi eadem ista inter scribas & Interpretes comparatio in medium affertur, uti fit quam sæpissime, tum à Capello (in Apol. æque ac in Pseudocritica) tum à Morino; idque fere semper, ad aliquem ei colorem inducendum, cum eiusmodi elogiis, in laudem atque commendationem Interpretum, inque vituperationem atque criminationem scribarum Iudaicorum. id quod tanto inexcusabilius est, cum de neutris istorum id, quod de iis dicunt, probare possint; & quum mihi in promptu sit, omnia contraria de iis probare, præsertim contra Capellum, qui propriis suis confessionibus arma mihi ministrat ad comparationem illam inter Veteres Sacræ Scripturæ Interpretes, & scribas Iudaicos, ob quam hisce potius quam illis hallucinatio in legendo debeat attribui, penitus confodiendam, & iugulandam. Sed quum illa, quæ pro scribis Iudaicis, ac contra 70. Interpretes fatetur variis in locis Capellus, totamque istius comparationis futilitatem, ampliter executus sim in Epistola Anticritica, præsertimque §. 15. 27. 28. & 31. rursusque de illa re tractandum habeã infra cap. 17. nolo ei impræsens diutius immorari: idque eò minus, quia ipse Morinus & Capellus, quanquam sæpe ita loquuntur, acsi omnis in legendo error ab Interpretibus amovendus, atque in librarios transferendus esset in solidum; ne ipsi quidem id crediderunt, sub inde-que aliquam culpæ partem in Interpretibus hærere, atque eos interdum saltem in legendo falsos fuisse agnoscunt, aut non improbabile putant. Et quanquam Capellus in responsione ad Epistolæ paragraphos 27. & 28. in quibus ineptam illam inter librarios Hebræos & Veteres Interpretes comparationem penitus discussi, ac vanitatis coargui, pro solita sua pervicacia ita eam defendere nititur, Apol. pag. 48. & 49. ut videatur adhuc in eo perstare, *quod hallucinatio in legendo iure merito potius tribuenda sit librariis quàm Interpretibus*: postea tamen pag. 89. respondens ad Epistolæ §. 54. ubi eadem quæstio à me resumitur, atque ubi peculiariter ago de errore illo Capelli, lectionem Interpretum cum eo, quod in codicibus Interpretum scriptum erat, confundentis; non recusat, quin interdum Interpretes sic hallucinati sint, & bene scripta prave legerint, atque in Critica quoque tantundem se agnovisse fatetur. Ita enim inquit, Fieri potest, dicet Bootius, ut illi inter legendum hallucinati sint, & male legerint id quod in suo codice bene scriptum

„ erat, conformiter lectioni hodiernorum codicum. neque verò „ id diffiteor in Critica, & B id probat prolatis è Critica locis, in „ quibus illud agnoſco. Sane non nego fieri poſſe, ut aliquibus „ in locis hallucinati ſint inter legendum, adeo-que aliter lege-, rint, quam in codice ſuo ſcriptum erat. Vbi tamen notanda eſt fœda Capelli inconſtantia & fluctuatio, qui non modo in verbis conceſſionem iſtam proxime antecedentibus, ſed in conſequentibus quoque iterum iterumque eò relabitur, atque ad iſtum errorem ſuum adhæreſcit, ut libenter ſibi ac nobis perſuaderet, hallucinationem in legendo ab Interpretibus omnem amoliendam, & ſcribis non ex parte, ſed in totum tranſcribendam eſſe. Verùm interim mihi ſufficit, quod Veritas ipſi, invito licet & reluctanti, uti antea in Critica, ita nunc rurſus in Apologia, hoc extorſit, ut fateretur, *Interpretes aliquando hallucinatos eſſe inter legendum, & legiſſe aliter quàm in codice ſuo ſcriptum erat.* ſicuti eadem rei evidentia Morinum quoque compulit alicubi, ut nôn amplius contenderet, quam ut hallucinationes iſtæ non ſemper Interpretibus imputentur, ut que ſcribæ in earum partem vocentur. , quippe Diatribes pag. 64. loquitur in hæc verba: Cum varie- „ tates illæ adeo ſæpe contingant, quis niſi furore excæcatus, aut „ mente captus, ea Tranſlatorum negligentiæ ſemper imputabit, „ ſcribarum verò incuriæ & *μεσεχμαν* nunquam ? Ita ſit, ſiquis „ pervicaciter contendat, hallucinati fuerint Sept. & Hier. Nun-, quamne hallucinati ſunt Iudæorum ſcribæ ? cuiuſmodi fere eſt etiam illud Exerc. Antib. pag. 279. *Vt concedam viros perſpicaciſſimos aliquando cacultaſſe* (vox penitus barbara, quales aliæ quamplurimæ in iſto eruditorum coryphæo occurrunt) *viles ſcribas* ——— *longe ſæpius dormitaſſe quis ibit inficias ?* Et tamen hic quoque turpi illi inconſtantiæ, quam modò in Capello notabam, uſque adeo abnoxius eſt, ut Diatr. pag. 171. & 172. vecorditer admodum in me debacchetur, quia Sept. alicubi dixi in legendo hallucinatos, acſi propterea eos arguerim *erroris ſtolidiſſimi, ut qui ne legere quidem hebraice ſciverint.* neque eo contentus, & ad ſolitam ſibi impudentiam provolutus, iſtis ſuperaddit, *Solere Hieronymum, Iudæos, Hæreticos* (ita noſtros ſacrilegus ille divinorum oraculorum temerator indigetat) *in eiuſmodi diſcrimine, lectionis varietatem, non lectionis ignorationem cauſari:* in quibus pauculis verbis duo teſtatiſſima mendacia eminent. namque quod mihi impingit, quòd inſimulando Sept. hallucinatoriæ lectionis, *lectionis ignorationem* iis obiecerim; & quod indicat Hieronymum

&c. non ſolere idem cauſari, quod ego ibi cauſatus ſum de erronea Interpretum lectione: id utrumque ita falſum eſt, ut quod falſiſſimum.

Iam ut daretur Capello, & Morino, contra Hieronymum, quod neque omnes illæ in legendo hallucinationes, neque plurimæ, ad Interpretes attineant, ſed quod maxima earum pars ſcribis Iudaicis aſcribenda ſit (id quod neque probaverunt, neque probare ullo pacto queunt) illud tamen, quod ipſi agnoſcunt, aliquando ſaltem Interpretes prave legiſſe ea, quæ bene in ipſorum codicibus ſcripta erant; ſufficit ad coarguendum iſtum illorum errorem, quo variam Interpretum lectionem, & variam lectionem ipſorum codicum, ita inter ſe permiſcent ac confundunt, acſi illa vel plane idem eſſent, vel indivulſo nexu inter ſe cohærerent; ita ut ex eo, quod aliter Interpretes legerunt, ſtatim concludi debeat, quod & aliter in eorum codicibus ſcriptum fuerit. Et ſicuti per illam ipſorum conceſſionem, quod nonnunquam prave legerint Interpretes, falſum eſt in aliquibus, variantem lectionem Interpretum trahere etiam codicum originariorum variationem; ita per eandem rationem de omnibus omnino id incertum euadit. Quippe conceſſo eo, quod ipſi concedunt, aliquibus in locis Interpretes ea, quæ probe ac conformiter codicibus noſtris ſcripta erant in codicibus ipſorum, aliter atque erronee legiſſe; ne de una quidem iſtarum diſcrepantiarum poterit iam cum ulla certitudine affirmari, quod eorum exemplaria Hebraica ita ſcriptum habuerint, ſicuti ipſorum tranſlationes præ ſe ferunt; niſi prius exhibeatur aliquod κριτήριον, quo loci illi, in quibus legendis Interpretes hallucinati ſunt, dignoſcantur & ſecernantur ab illis, ubi non aliud legerunt, quam quod in codicibus ipſorum ſcriptum erat: id quod in Epiſtolæ quoque §. 54. monui, ac aliquanto fuſius executus ſum.

CAPVT

CAPVT XVI.

Examinatur reſponſio Capelli ad Epiſtolæ meæ paragraphum 54. ubi à Capello poſtulo, ut aliquod exhibeat κριτήριον, quo illæ Veterum Interpretum diſcrepantiæ à textu noſtro Hebraico, quas à codicum diverſitate arceſſit, internoſcantur ab illis, quæ debentur ipſis Interpretibus, in legendo hallucinatis; cuius κριτηρίου defectu de omnibus illis diſcrepantiis incertum futurum ſit, an vel una ipſarum à codicum Hebraicorum variatione ortum habeat: & totam illam defenſionem, dicto paragrapho oppoſitam, ſumme portentoſam eſſe, ac extrema vecordia & ſtoliditate undique perfuſam, ampliter oſtenditur.

ETiamſi univerſim conſtaret illas Veterum Tranſlationum à Textu noſtro diſcrepantias, de quibus nunc agitur, aliqua ex parte, aut etiam permagna, imò maiori quoque, uel longe maxima, eſſe revera à variatione codicum Hebraicorum orta (id quod de nullis omnino vel Mor. & Cap. probant, vel ego iis largior) de nulla tamen una ipſarum ſigillatim id affirmari poſſet, quamdiu ullæ aliæ & erroneæ illis admixtæ erunt (ſicuti tales eſſe admixtas fateri coguntur uel inviti Mor. & Cap.) niſi monſtraretur via & ratio illas ita ſecernendi & ſeiungendi, ut veræ à falſis diſtingui & internoſci poſſent. Hoc meum poſtulatum, etiam extremo Capite præcedenti, nec non Epiſtolæ Anti-criticæ paragrapho 54. propoſitum, adeo iuſtum eſt, & veritatis ac æquitatis adeo liquidæ, ut nemo aſſenſum ſuum ei denegare queat, cui ſanæ mentis vel mica ſuperſit. Capellus tamen, cui non ſunt oculi ad videndam ullam contra ſeipſum veritatem, etiamſi clariſſima eius luce circumfulgeatur, aut qui ſaltem, ſi quando eam videt, deſtitutus eſt omni ingenuitate ad eam agnoſcendam, ad-que ma-

nus candide ipsi dandas; huic meo postulato pervicacissime reclamat in Apologia, idque adeo verbose, ut aliquammultas in eo oppugnando paginas insumat. Et initio quidem, pag. 90. præmittit, *Si ego concedam, Interpretes hallucinatos esse vel in dimidia istarū vocum parte, vel in paucis duntaxat locis: se adversus me obtinere, me vel invito, alias dari in textu sacro hebraico Var. Lect. quā quæ à Iudæis notatæ sunt, eas nimirum, quæ ex Vet. Translationum cum hodiernis codicibus hebraicis collatione colligi possunt:* quo nihil stolidius dici potuit. quippe triumphum sibi canit ex hypothesi imaginaria, atque à seipsa conficta. Addit postea, Sub ista concessione *quæstionem iam nullam futuram inter me & ipsum de re ipsa, seu de variis lectionibus ex Interpretum collatione observatis, sed tantum de numero ipsarum:* non animadvertens, sic quoque, & etiamsi tale quippiam concederem, integram adhuc superfuturam quæstionem, de dignoscendis unis ab alteris, quam ego rem præcipue urgeo Epistolæ paragrapho 54. ad quem ibi respondet. Tum accedens ad κεῖνειον illud, quod ego dari postulo, ad distinguendas lectiones hallucinatorias Scribarum, si quæ tales sunt, ab illis Interpretum, cuius defectu omnes ex æquo incertæ mansuræ sint: rem plane in contrarium vertit, ac me id κεῖνειον poscit, quod nisi repræsentem, causâ mihi cadendum sit, & victoria ipsi relinquenda. Rem videor narrare incredibilem, eò dementiæ quenquam provectum esse, ut probationem, quam præstare ipse debet, & quæ adeo ipsi necessaria est, ut absque ea omnino causâ cadere debeat, illam is ab adversario suo, eam postulante atque urgente, ultro flagitet. , sed ecce ipsamet eius verba, dictâ paginâ 90. Interim quæ-
„ro à Bootio, an nobis possit certo κεῖνείῳ distinguere inter tot
„varias Interpretum discrepantias, quot sint numero, & quænam
„sint illæ, quæ sunt ab Interpretum hallucinatione inter legen-
„dum, quæ verò à diversa eorum scriptione. Si non potest illa
„discernere, & certo distinguere atque designare, uti certe non
„potest —— cur B. tantopere indignatur, quod omnes illas
„discrepantias voco *varias lectiones*, etsi forte earum nonnullæ sint
„ab Interpretum hallucinatione, non à varia codicis eorum scri-
„ptione, sed quæ tamen ab aliis certo dignosci & distingui non
„possunt. & non contentus id hic dixisse, repetit rursus p. 93. *Donec Bootius nobis certis κεῖνείοις, minimeque fallacibus indiciis ostenderit, quænam variationes sint à librariorum, quæ verò ab Interpretum errore (quod si faciat, tum inter veras & genuinas Varias Lectiones numerabimus illas duntaxat, de quibus certo demonstraverit,*

eas esse à librariorum errore; quas verò ostenderit esse ab Interpretum hallucinatione, qui quod bene scriptum erat in suo codice, perperam legerunt, eas ex numero Var. Lectionum eliminabimus) ——— *nobis per ipsum licebit, eas omnes variationes in censu & numero variarum lectionum habere.* Et rationem quoque reddit, quare κεφάλαιον illud, adeo hic necessarium, à me postulet, egregiam sane illam, & valde lepidam, atque adeo ipso dignam; quia nimirum ipse illud exhibere nullo modo potis est: *Si aliæ ab aliis distingui possent*, inquit pag. 90 *& certo internosci, eas certe distinxissem, & singulas causæ suæ propriæ assignassem, alias nimirum varietati codicum, alias Interpretum hallucinationi.* Ac ne ob admixtionem lectionum spuriarum, nullo ingenio à veris & genuinis dignoscendarum, has quoque abiicere, aut in incerto destituere cogatur; promptum ingenti huic difficultati invenit remedium, & nullo negotio ex ea se expedit, omnes inter se coæquando, & nothas illas atque adulterinas in legitimarum atque verarum ius cooptando. Hoc facit non obscure primo istorum locorum paulo ante allegatorum; & adhuc clarius verbis hisce, „ ultima illa ipsius verba proxime insequentibus: Quando id fie„ ri non potest [ut aliæ ab aliis distinguantur] quid potui melius „ aut convenientius facere, quàm omnes sub generali *variarum* „ *lectionum* appellatione comprehendere? ——— Non ergo ista „ confundo (uti hallucinatur Bootius) quando ultro agnosco, & „ professus sum, quasdam posse esse ab Interpretum hallucinatio„ ne, sed quæ cùm nullo modo internosci possint aliæ ab aliis, „ æquum est illas omnes potius venire sub nomine *variarum le„ ctionum*, quàm nullas omnino notare varias lectiones. Bene facit, quod lectores monet se ista non confundere. alioquin enim vehementer verendum ei erat, ne omnes æque graviter, atque ego, in hoc negotio hallucinarentur; & cum viderent eum verissime spurias lectiones cum genuinis permiscere ac confundere, omnique inter eas discrimine sublato, eodem ordine cunctas habere; omnino crederent, illum ista revera confundere. Sed ut seriò cum eo agamus; qualem oportuit esse ipsi frontem, & quàm siliceæ duritiei, quum non puduerit ipsum mihi negare, & quidem cum mei insectatione, se facere illud, quod facit ita palam, & absque ullis ambagibus? quis similis inverecundiæ ullum exẽplum, quod cum hoc comparari possit, vidit unquam, præterquam in ipso, & in consorte ipsius Morino? Et audet adhuc interrogare, *quid melius aut convenientius facere potuerit.* quasi non in prom-

ptu esset responsio: Quando quidem fateris ipse, non omnes illas lectiones, de quibus lis est, veras esse & genuinas, sed aliquas saltem spurias iis esse intermixtas, quas nullo pacto ab alteris distinguere potè sit; agnoscere debebas, quod adversarius tuus tibi obiicit, omnino & inevitabiliter inde sequi, quod omnes istæ Variæ Lectiones, à te productæ (etiamsi probasses, aut tibi concederetur, aliquas ipsarum legitimas esse) evadunt incertæ, sic ut ne de una quidem certo affirmare possis, quòd ad istud album pertineat. Hoc si faceres, etsi retractares illa, quæ de summa tuarum Variarum Lectionum certitudine in Critica toties ac tam confidenter jactasti, multo *melius & convenientius faceres*, quàm commentis tuis, ad quæ defendenda omni ope destitutus es, ita pertinaciter inhærendo, in eas te induere angustias, ut res à sensu etiam communi abhorrentes facere & dicere cogaris; & confundendo apertissime ac coæquando lectiones adulterinas, quas ipse pro talibus agnoscas, cum veris ac legitimis, & negando tamen te confundere. Iam verò quale quæso illud est, & quibus non sibilis excipiendum, quod audet postulare, ut loci illi, in quibus Interpretum exemplaria hebraica nihil diversum à nostris exemplaribus scriptum habuerunt, sed omnis diversitas ab ipsorum errore & hallucinatione in legendo orta est, sub nomine *variarum lectionum* veniant? & quis unquam præter Capellum ausus fuisset dicere, pravè legendo id, quod bene scriptum est in aliquo codice, varias lectiones in eum introduci? & tamen vecordem istam assertionem ingeminare, atque clarioribus adhuc verbis eam explicare non erubuit, dicendo, (pag. 91) Illas ab Interpretum „hallucinatione in legendo, dici verè posse *varias lectiones*, quia „certum est iis in locis aliter legisse interpretes, quam hodie le„gitur. posteaque rursus dicens, eadem pag. *Omnes illas discrepantias, ubi aliter legerunt Interpretes, quam hodie legitur (sive id factum sit ab ipsorum hallucinatione, sive ex codicum diversitate) iure dici posse, & ab ipso dictas esse in Critica Varias Lectiones:* (cui loco similis est etiam ille pag 93. *Quandoquidem variationes illæ nituntur varia lectione, unde unde illa sit, inter veras & genuinas varias lectiones locum habebunt*, &c.) tandem, velut re præclare con„fecta, ita concludit: Non sum eo nomine, contra quàm censet „B. damnandus insignis aut extremæ incogitantiæ, aut fraudis „ullius. Ipse potius, qui ista mihi iniustè tribuit, insignis mali„tiæ, vel stuporis & hebetudinis, iure insimulari potest & debet. Sed in utrum nostrûm ea cadant, quæ hic ultro citro que dicun-

tur, libenter permitto iudicio Lectorum: de quibus neminem futurum credo, duntaxat sanæ mentis compotem, & affectibus non penitus excæcatum, qui non mea postulata liquidæ veritatis & certissimæ æquitatis plena pronuntiet; ipsius autem assertiones non modò iis nominibus, quibus eas in Epistola affeci, dignas iudicet; sed & præterea hanc earum defensionem extremæ vecordiæ ac deploratæ cæcitatis & stoliditatis condemnet. Et acsi parum hactenus insaniviſſet, pergit adhuc ita κορυβαντιᾶν: p. 91. „ Ex his liquet, quàm iniquè, ne dicam stultè, B. à me exigat, ut „ monstrem modum secernendi unas ab alteris, quod ni faciam, „ putat me non debere varias illas lectiones pro variis scriptioni„ bus producere, non modò non omnes, sed ne ullas quidem. Ego „ verò non teneor id demonstrare. rursusque pag. 92. *Sicitaque planum fit —— mihi necesse non esse, ut demonstrem, quænam earum variationum sint librariorum, quænam verò Interpretum errori & hallucinationi tribuendæ; sed satis mihi esse, quod omnes illæ variationes quas noto, & cuiusmodi infinitæ aliæ observari possunt, nituntur varia lectione, sive illa sit à varia codicum scriptione, sive ab Interpretum hallucinatione, qui aliter legerint quam scriptum fuit in codice quo usi sunt.* Sane si Capelli nihil interest, ut in locis illis Veterum Translationum, ubi illæ discrepant à textu nostro Hebraico, & quos pro variis huius lectionibus venditat, aliter in codicibus Interpretum Hebraicis scriptum fuerit, quàm scribitur in nostris, sed ipsi sufficit, ut quomodocunque aliter legerint Interpretes, etiam erronee & hallucinatorie: libenter fatebor, non esse ipsi necesse, ut demostret, quænam istarum variationum librariorum, quænam vero Interpretum erroni sint tribuendæ, & *inique ac stulte* me facere, qui ab eo postulem, ut monstret modum secernendi unas ab alteris. Verùm si nulla mihi est cum ipso controversia super iis variationibus, quæ inter legendum oriuntur, scripturâ eâdem manente (quum ipse ultro concedam, innumeris in locis, atque adeo in illis omnibus, de quibus nunc quæritur, ita aliter legisse interpretes) sed de illis, quæ inter scribendum, unde diversa in diversis exemplaribus scriptura exurgit: non ego *inique & stulte* facio, qui Capellum postem modum secernendi unas istarum variationum ab alteris, sed ipse valde *inique & stulte* postulato meo adeò æquo & iusto reclamat. Etenim cum in illis Veterum Interpretum discrepantiis ab exemplaribus nostris Hebraicis, quas nunc tractamus, & quæ circa leviores vocum affinium permutationes versantur, rem magnam se confecisse arbi-

uaretur cum Morino Capellus, ſi probaret, aliter in illis locis legiſſe hebraica Interpretes, quam nos legimus; oſtendi, probationem illam penitus ſupervacuam eſſe, atque ipſis inutilem. Me enim concedere, quod ibi ſic legerint in codicibus ſuis Interpretes, quomodo tranſlatio eorum præ ſe fert: non tamen propterea ſequi ita quoque, ſicuti ipſi legerunt, ſcriptum illic fuiſſe; quod ſolum inter nos quæritur. Et quanquam Mor. & Cap. iſta ſic copulare ſolent, quaſi individuo nexu inter ſe cohærerent, ita ut ex eo, quod aliter Interpres legit, ſtatim etiam colligant, aliud quoque eum illic in codice ſuo ſcriptum habuiſſe; eò tamen redigantur tandem, ut fateantur (inviti licet & repugnantes) non eſſe hoc perpetuum; ſed alicubi contingere potuiſſe, & revera contigiſſe, ut ita legerint, quomodo eos legiſſe ex tranſlatione apparet, non quia eorum libri Hebraici aliud ſcriptum haberent, quàm noſtri, ſed quia illa, quæ rite & conformiter codicibus noſtris ſcripta erant, illi prave & erronee legerint, atque in legendo hallucinati ſint. Iam eadem ratione, qua alicubi hoc Interpretibus uſu veniſſe agnoſcunt Mor. & Cap. ut bene ſcripta male legerint; etiam pluribus, atque adeo omnibus in locis, uti vult Hieronymus, evenire iſtud iis potuit, ut conſimiliter inter legendum errarent & hallucinarentur. & ſi Mor. & Cap. volunt ut ipſis contrarium affirmantibus credamus; afferenda ſunt illis argumenta, per quæ conſtet, omnibus illis locis, ubi nolunt hallucinatos eſſe in legendo Interpretes, ita revera in codicibus Interpretum Hebraicis ſcriptum fuiſſe, quomodo ipſi ſcriptum fuiſſe contendunt. Illa enim allegatio, quòd Interpretes ſic legiſſe liquet, nullam ad id probandum vim habet; quum conceſſio illa, quod alicubi Interpretes bene ſcripta male legerunt, illam in univerſum debilitet & enervet. Ideoque quamcunque eiuſmodi diſcrepantiam attulerint Mor. & Cap. ac pro Varia Textus Hebraici Lectione venditaverint, mihi licebit ad eam excipere cum Hieron. quod nequaquam ibi variaverint codices Hebraici, ſed quòd illa variatio Trãſlationis à textu noſtro authentico haud aliunde, quàm ab erronea Interpretis lectione ſit profecta. & fruſtra illi repugnabunt, niſi peculiariter ac ſigillatim in unaquaque illarum diſcrepantiarum, quas pro Variis Lectionibus codicum Hebraicorum haberi voluerint, demonſtrent, Interpretes non fuiſſe ibi in legendo hallucinatos: aut niſi monſtraverint modum quendam generalem, per quem loci illi, ubi Interpretes erronee legerunt codicum ſuorum ſcripturam, ab iis internoſcantur, ubi bene legerunt id, quod revera

in iis ſcriptum erat. Alioquin enim, & niſi alterum iſtorum fiat, hoc eſt, niſi vel ſingularem pro unoquoque loco probationem, vel generale illud κριτήριον adferant Mor. & Cap. ne de una quidem iſtarum diſcrepantiarum, ubi Veteres Tranſlationes à codicibus noſtris Hebraicis. diſſident, poſſunt cum ulla certitudine affirmare, quod ibi Interpretum Textus Hebraicus à textu noſtro diverſus fuerit: etiamſi ex abundanti iis largiremur, quod in compluribus iſtarum diſcrepantiarum codices Interpretum à codicibus noſtris variaverint, atque ea ſcripta habuerint, quæ Verſionibus eorum correſpondent. Hæc ſunt, quæ ego à Capello, uti à Collega eius Morino, poſtulo, & quæ Epiſtolæ paragrapho 54. poſtulavi; in quibus an quippiam *inique & ſtulte* poſtulem, & an non omnino ipſi incumbat, & neceſſarium ſit, ut illa demonſtret, quæ ipſum debere demonſtrare contendo, modò ſententiam ſuam, (de habendis Veterum Tranſlationum à textu noſtro Hebraico diſcrepantiis pro totidem ipſius variis lectionibus) ſaluam velit; id ego libentiſſime cuiuſvis æqui & cordati lectoris iudicio ſubmitto, atque decidendum relinquo. Profecto fruſtra quis expectaverit, ut ullis obiectionibus, utut validis & inſolubilibus, à concepta ſemel opinione dimoveatur Capellus; quum tot ac tam clara documenta dederit, uti alibi paſſim, ita in hac præcipue ad Epiſtolæ §. 54. defenſione, quo maioribus & gravioribus magiſque ineluctabilibus difficultatibus premitur, eo ſe acrius ad commenta ſua mordicus retinenda animari: adeo-que omnem ad ſaniorem mentem reditum in totum ipſi præcluſum eſſe, ut nihil tam abſurdum ſit, nihil tam ſtultum, vecors, ab ipſo ſenſu communi abhorrens, quod non dicere, amplecti, & ſubire malit, quam de figmentis ſuis vel hilum remittere, aut ab iis divelli ſe pati. Alioquin enim non tot portenta effutiiſſet, ac chartis illeviſſet, ſicuti fecit in unica hac defenſione; fatendo, Variationibus illis, de quibus nunc quæritur, complures ſpurias & adulterinas immiſtas eſſe, & tamen contendendo, omnes eodem loco haberi debere, atque promiſcue in cenſum Variarum lectionum Textus Hebraici admitti; etiam illas, de quibus exerte fatetur, textum ibi nequaquam variaſſe, omnemque variationem non diverſitati codicum, ſed Interpretum in legendo errori & hallucinationi acceptam ferendam eſſe. Neque, cum à me adeo in arctum atque ad incitas redactus eſſet, ut inevitabiliter vel κριτήριον aliquod ſpurias variationes à legitimis diſtinguendi deberet adferre, vel omnes Varias Hebraici Textus Lectiones, à ſe ex Veteribus

Translationibus procusas, pro falsis, aut saltem pro summe dubiis & penitus incertis, deserere: ausus fuisset, si vel minima bonæ mentis scintillula ipsi superfuisset, mihi negare, quod necesse ipsi sit monstrare modum secernendi variationes illas unas ab alteris, adulterinas & nothas à veris & genuinis; ac dicere, quod *inique ac stulte* id ab eo exigam: præterea-que rem in contrarium vertere, ac κειτήριον istud, quod præstare ipse debebat, à me postulare: quum adeo ad me non pertineat illud exhibere, ut eius non-exhibitio certissimam mihi victoriam pariat, & Capellianis ac Morinianis figmentis, quæ hoc potissimum telo impeto, inevitabilem ruinam cum summo probro ac dedecore importet. Quodsi proba & legitima est hæc defensionis ratio, ut quæ præstare ipse debet ad se sua-que tuenda, eorum præstationem non modo defugiat atque recuset, sed & præterea in meos humeros transferat, atque à me ultro eam flagitet; poterat compendifacere Apologiam suam, & longo illo ac molesto labore supersedere, totumque negotium pauculis quibusdam verbis expedire, hisce nimirum, aut similibus: Ego, O. Booti, in critica mea innumeram omnis generis Variarum Lectionum multitudinem invexi in Sacrum Textum Hebraicum, quæ in nullis codicibus Hebraicis, neque usquam alibi in mundo, quam intra meum & sodalis mei Morini cerebrum, unquam fuerunt. plurima quoque alia ibi dixi, & fidentissime affirmavi, ac pro certissimis & luce meridiana clarioribus ostentavi, quæ partim quidem sunt veritatis summe dubiæ, partim ne probabilia quidem, partim etiam evidentissime falsa; æque ac fictitiæ illæ Variæ Lectiones, ex Veteribus Translationibus à me & Morino procusæ. Horum tu omnium probationem, severâ istâ Epistolâ, in Criticam meam, pauculis mensibus post ipsius publicationem editâ, à me deposcis, & importune admodum efflagitas; aut alioqui postulas, ut ista mea commenta penitus reiiciantur & repudientur, atque in perpetuum exilium relegentur. Hoc quidem posterius ego nullo modo pati possum, neque unquam animum inducam, ut tam insignis liber, qui tanto mihi labore constitit, cuius editionem tot per annos variis in terris frustra ambiveram, & qui tandem Parisiis, adnitente Petavio & Morino, ægre admodum, sed excusus tamen fuit, id que admodum eleganter; afficiatur hoc dedecore, ut-que ea, quæ utramque ibi paginam faciunt, ita probrose condemnentur. Imo pectus obfirmavi, quiscunque tandem futurus sit eventus, & in quascunque angustias ac difficultates me redigi contingat, nullam vel

minimam

minimam eius portiunculam, & quicquam omnino eorum quæ ibi in medium attuli, unquam deſerere, aut retractare. Probationes verò quod attinet, næ tu fruſtra es, qui illas à me poſtules, quum nihil iſtorum à me probari poſſit, ac propterea neque debeat, aut neceſſarium ſit; ideo-que nolito mihi importuna iſta probationum efflagitatione amplius moleſtus eſſe. Quod ſi omnino iſta mea commenta probari vis; edico tibi, atque optionem tibi fero, ut vel ipſemet iſtam provinciam in te recipias, atque illa, quorum probationem adeo urges, pro me tute probes, aut me quietè iis abſque ulla ulteriori interpellatione poſthac perfrui ſinas. qualiaqualia enim ſunt, & utut futilia ac falſa, ſedit animo meo, iis omnibus mordicus inhærere, & ne tantillum quidem ab ullo eorum me dimoveri ſinere. ſi enim ſimiæ permittitur ſuos catulos, utut deformes, non modo adamare & amplexari, ſed & pro pulchris ac formoſis admirari: quidni mihi liceat in fœtus meos literarios eundem affectum exerere, eoſque cum omnibus ſuis vitiis ac deformitatibus in oculis geſtare, atque in ſinu fovere? Ad hunc modum ſi mihi reſpondiſſet Capellus pro univerſa Pſeudo-critica, potuiſſet toto hoc negotio ſeſe contra me defendendi ſimul ac ſemel defungi. Fuiſſet quidem iſta defenſio ſumme inepta, abſurda, fatua, & ridicula: nihilo tamen magis talis, quam iſtud poſtulatum, quo vult κεφάλαιον illud, ad diſtinguendas Interpretum hallucinationes ab hallucinationibus ſcribarum, quod ab ipſo petieram, (& quod ipſi adeo neceſſarium eſt, ut ſine eo ne unam quidem ſuarum Variarum Lectionum cum ulla certitudine tueri poſſit) à me exhiberi; ac mihi interminatur, ſeſe omnino, donec id exhibeam, cunctas illas diſcrepantias, ubi Veteres Tranſlationes à textu Hebraico variant, pro codicum Hebraicorum Variis lectionibus, iiſque veris ac genuinis, habiturum; etiam illas, de quibus ipſe fatetur, codices Hebraicos Interpretum ibi à noſtris nequaquam variaſſe, omnemque variationem non à variante librariorum Iudaicorum ſcriptura ortam eſſe, ſed ab erronea & hallucinatoria Interpretum lectione, qui quod probe & conformiter noſtro textui in ipſorum libris ſcriptum erat, perperam legerunt, & prave legendo in voces alias atque alienas demutaverunt, & corruperunt.

Acſi autem defenſio illa non eſſet aliunde ſatis portentoſa, ita adhuc fœdiorem eam reddere voluit Capellus, ipſi immiſcendo, & iterum iterumque, in medio pulchrarum iſtarum ῥάκων, inde à me hic depromptarum, ad nauſeam uſque inculcandō ineptam

istam ac futilem inter librarios ac Interpretes comparationem, ob quam illis quam istis proclivius sit labi & hallucinari in legendo. Tametsi enim comparatio illa certæ esset minime-que dubiæ Veritatis, vel in universum de omnibus omnino scribis & Translatoribus, vel de illis saltem, de quibus hic peculiariter quæritur, scribis nimirum Iudaicis, & Veteribus Sacræ Scripturæ Interpretibus (quum utroque sensu illa sit longe falsissima) erat illa tamen hic plane ἀνεπιδόκητος, & à proposito in totum aliena; ut idcirco Capellus eã non modò toties illi contra Paragr. 54. Defensioni infercire non debuerit, sed ne semel quidem eius mentionem illic facere. Vtut enim procliuius fuerit scribis Iudaicis perperam legere, quam Interpretibus; non tamen inde sequitur, nunquam Interpretes prave legisse, atque aliter quam in eorum libris scriptum erat: & hoc omnino factum esse, ut Interpretes interdum ita in legendo hallucinarentur, concedit Capellus, tum initio istius disputationis, tum posteà iterum iterumque, non modo aliis in locis, sed illis ipsis, ubi insulsam illam comparationem in medium adducit. & sicuti interdum indefinite ex ea colligit, *errorem & hallucinationem debere potius tribui librariis quam Interpretibus*: ita rursus plus semel nihil amplius ex ea prolicit, quàm *congruum esse, ut maior pars earum Variationum librariis potius tribuatur, quàm Interpretibus*. Ast quòd illos aliquando saltem in legendo hallucinatos fuisse concedit Capellus, hoc mihi abunde sufficit ad infringendam penitus vim istius ratiocinationis, qua Cap. & Mor. ex eo, quod Interpretes sic vel sic legerunt, concludere statim solent, eodem quoque modo in codicibus illis, quos legebant & transferebant, scriptum fuisse; atque ad omnes illas in universum Veterum Interpretum à Textu nostro Hebraico variationes, quas pro Variis huiusce lectionibus venditant Mor. & Cap. in dubium vocandas, & si non pro falsis, saltem pro incertis condemnandas: sicuti hoc cuivis constare potest ex iis, quæ dicto Paragr. 54. & hoc ipso capite, copiosius ea de re fuerunt disputata. Ac propterea verum est, quod dicebam, comparationi illi inter scribas & Interpretes, qualisqualis illa sit, nullum in hac disputatione locum esse; & absurde ac insipienter pro more suo fecisse Capellum, qui illam toties eò advocaverit.

CAPVT XVII.

Comparatio inter Librarios & Interpretes, quo unico præsidio nituntur Cap. & Mor. ad colligendum quod utplurimùm saltem ita in codicibus Interpretum scriptum fuit, quomodo eos legisse apparet; penitius excutitur, eamque non modo ipsos non iuvare, sed validissime iis officere, ostenditur: & Hieronymus, omnem à librariis in Interpretes culpam transferens, à Morino-capellianis cavillatiunculis & ineptiis iterum vindicatur.

MOrinus & Capellus, ut tueantur errorem illum suum, quo confundentes res admodum inter se diversas, colligere solent hoc vel illo modo aliquid in Codicibus Interpretum Hebraicis scriptum fuisse, quia ex translatione eorum apparet, eos tales vel tales voces hebraicas istis in locis legisse: nullum omnino argumentum adferunt, ac nihil quod vel argumenti umbram habeat, præter illam inter librarios & Interpretes comparationem; in qua proram ac puppim causæ suæ collocantes, eaque aliorum argumentorum defectum se posse supplere sperantes, aut saltem colorare & obvelare: innumeris in locis illam crepant, & iterum iterumque ad nauseam usque ingeminant. Sed quàm illa sit inepta & inutilis ad efficiendum id, quod sub eius obtextu lectoribus suis persuadere allaborant, hinc apparet; quod postquam in omnia se verterunt, ut inde eliciant, omnem illam variationem, quæ Veteribus Translationibus cum textu nostro Hebraico intercedit, non Interpretibus ipsis, sed scribis Iudaicis imputandam esse, qui codices Interpretum cum tanta invicem & à codicibus nostris diversitate descripserint: eò tamen adiguntur tandem vel inviti, ut fateantur, interdum saltem contigisse, ut Interpretes ipsi in culpa essent, ac prave & perperam legentes illa, quæ recte ac conformiter textui nostro in ipsorum codicibus scripta erant,

eas inducerent varietates, quæ non in ipsa textus ac scripturæ diversitate, sed in ipsorum duntaxat hallucinatione ac vitioso legendi modo fundatæ essent. Ista autem concessio, etiam sic circumscripta, quomodo eam circumscribunt Mor. & Cap. atque ad paucos duntaxat locos astricta, abunde sufficit ad pessumdandam Morini & Capelli causam, atque ad efficiendum, ut nullæ omnino istarum discrepantiarum, quibus Veteres Interpretes à Textu nostro Hebraico discordant, non modò aliarum, sed illarum quoque, quæ in vocum affinium permutatione consistunt, & in quibus clare dilucet, quomodo Interpretes Hebraica legerint, possint cum ulla certitudine pro Variis Hebraicorum codicum Lectionibus venditari; sicuti per duo præcedentia Capita copiose fuit demonstratum. Verum tametsi mihi sufficit id, quod ipse Cap. & Mor. mihi largiuntur, ad evertendas fictitias illas Varias Lectiones, ab ipsis in sacrum Textum authenticum introductas: causæ tamen nihil est, cur admittamus, rem ita se habere, quomodo ipsi volunt, & raro tantum ac pauculis in locis hoc usu venisse Interpretibus, ut ita hallucinarentur. Ipsi enim nihil adferunt, unde constet, vel saltem verisimile evadat librariis potius quàm Interpretibus maiorem, atque adeo maximam, istarum hallucinationum ac pravarum lectionum partem ascribendam esse; & nobis proclive est omnia contraria monstrare. Sane illa inter librarios & Interpretes comparatio, qua unica ad hanc rem ἀφορμῇ & probatione utuntur Mor. & Cap. ac qua volunt illis quàm istis proclivius esse, labi & hallucinari: nihil tale efficiet unquam, ac ipsi volunt, quomodocunque tandem tractetur, & in quamcunque partem versetur. Namque eam de omnibus omnino scribis & Interpretibus universim veram esse, ne ipsi quidem Mor. & Cap. dixerint; tametsi haud raro ita loquuntur, acsi ista eorum mens esset. hoc enim posito, sequeretur, sæpius contingere librariis etiam optimis & diligentissimis, ut errarent & hallucinarentur, ac bene scripta prave & perperam legerent, quàm Interpretibus pessimis, & negligentissime in munere suo versantibus: quod adeo absurdum est & ridiculum, ut contra id velle disputare, labor foret plane supervacuus. Ideo-que indefinitæ illæ locutiones, quas sæpe in hoc negotio usurpant Mor. & Cap. omnino corrigendæ illis sunt, tanquam falsæ fallaceſque nimium, nisi cum aliqua restrictione intelligantur. Verùm quoque si comparatio instituatur æquabilis inter librarios & Interpretes, ita ut utrique pariter attenti sint ad opus suum, eodemque modo diligentes & fideles,

& codices præ manibus habeant qui saltem legi possint; ne sic quidem verum erit, sæpius librarium hallucinari in legendo, quàm Interpretem. Contrarium quidem affirmare audet Capellus, Apol. pag. 48. in responso ad Epistolæ paragr. 27. (quo paragrapho, uti & sequenti, eandem hanc inter librarios & Interpretes comparationem pertracto) aiens, *Librarios, quum describunt ex codice, facilius multo falli & hallucinari posse in legendo, ob literarum hebraicarum inter se affinitatem, quam ipsos Interpretes, etsi pariter attenti essent utrique.* sed ratio, quam subiungit, *quia librariis doctiores sunt Interpretes*, nihil ad rem facit. utut enim indoctus sit librarius, hoc nihil ipsi officiet ad pensum suum probe peragendum, modò aliàs fidelis sit & diligens: quum nihil amplius ei opus sit, quam ut legere & scribere sciat; quod sane denegari nulli librario potest, nisi qui librarij nomine penitus indignus sit. & quod ibidem addit Cap. ad ampliorem dicti sui confirmationem, *Minus falli librarios quàm Interpretes, quia sæpissime litera Hebraica, figura vel sono affines, & vocum divisio aut coniunctio, non aliunde certius dignoscitur quam ex sensu, qui certe ab Interprete magis tenetur quàm a librario:* nullum plane locum habere potest, nisi in codicibus, qui pessime scripti sint, ita ut plurimæ in iis & literæ & voces nullo modo legi aut certo dignosci queant, ne ab hominibus quidem legendi peritissimis & summe attentis, sed de lectione earum plane divinandum sit: quo casu, sicuti aliqua erit docti Interpretis super indoctum librarium prærogativa, ita gratis supponitur, tales fuisse codices illos, unde descripti fuerunt codices Hebraici, quibus Interpretes fuerunt usi. Quanquam enim plerosque priscorum illorum temporum codices verisimile est minutiori minusque accurato characteris genere scriptos fuisse, quàm quos hodie videmus, sicuti Capite 15. etiam monuimus, unde magna prave & erronee legendi occasio properantibus minusque attentis lectoribus ministraretur: inde tamen non sequitur, tales fuisse illos characteres, qui nequaquam dignosci possent, etiamsi quis eos accurate attente-que inspiceret. Alioquin enim, & extra casum istum pessimæ nullo-que modo ex ipsis characteribus internoscendæ scripturæ, id quod hic dicitur de sensu verborum, qui iuvet Interpretes, quo minus fallantur in legendo, quam scribæ, id plane contrario modo se habet. quippe sensus verborum non semper tenetur ab Interpretibus, etiam bonis doctisq; & ad munus suum attentis; & quando non tenetur, sæpe in causa iis est, uti aliter legant verba quædam, quàm ea reyera in codici-

bus eorum ſcripta ſunt, cuius rei valde multa & clara ſpecimina adducentur capite ſequenti; quanquam ea Morino & Capello, qui ſe tantos viros credunt, atque in hac præſertim ſacræ literaturæ parte critica ſupra omnium aliorum mortalium capita in ſublime evectos, ne per ſomnium quidem in mentem venit. Aſt librarius, cuius nihil intereſt, ut de ſenſu ſit ſollicitus, ſimpliciter deſcribit quæ invenit, etiamſi nihil eorum intelligat; modò fidelis ſit & attentus, qualis impræſens ſupponitur, in æquabili hac comparatione, probi ac diligentis librarij cum probo & diligente Interprete. Vt igitur aliquid efficiant iſta comparatione Morinus & Capellus, omnem ab ea æqualitatem removere debent, & Interpretibus, præter doctrinam & peritiam, circumdare quoque ſummam diligentiam, attentionem, & fidem, eademque omnia librariis detrahere. & ita quidem comparationem illam inſtituit Cap. tum in reſponſo ad §. 28. aiens, *Hoc tantum dixi, & volui, ac volo, facilius eſſe librarium vulgarem, ac proinde indoctum* ——— *decipi in legendis Hebraicis, quàm Interpretem*: tum loco illo, quem Cap. 15. ex Apol. pag. 95. allegavi, ubi *indoctum, vulgarem, ſomnolentum ſcribam* componit cum *docto & attento Interprete*: ſicuti Morinus, verbis dicto Capite adductis, ſcribas cum Interpretibus ita confert, ut hos quidem *doctiſſimos & perſpicaciſſimos*, illos verò *ignaros, viles, lucri cauſa feſtinantes* appellet: qualia uterque iſtorum etiam aliis compluribus in locis dicunt. Sed ſicuti comparatio iſta, hoc modo inſtituta, aliquam veritatem habet, & ſub dictis conditionibus haud gravate ei aſſentiar, concedamque facilius eſſe, & ſæpius fieri, vt ſcribæ triviales, negligentes, ſomnolenti, in legendo hallucinenter, quam optimi & accuratiſſimi ſummeque attenti Interpretes: ita nihil iuvabit Morinum & Capellum, neque niſi inepte & abſurde toties ad eam, uti faciunt, recurrere poterunt, niſi oſtendant, & Interpretes & Librarios illos, de quibus controverſia eſt, tales fuiſſe, quales hic dicuntur: niſi ſi perpetuum id eſt, ut Interpretes ſint attenti ad id quod agunt, librarij verò nequaquam. & ita quidem loquitur plus ſemel Capellus, acſi res iſto pacto ſe haberet; ut Apol. p. 92. *Interpretes doctiores ſunt, & attentiores in interpretando, quàm librarij in deſcribendo*: ſimiliterque pag. 53. ubi non modò Interpretes librariis univerſim facit *doctiores*, uti alibi paſſim in iſta comparatione (quum parum omnino ad rem faciat, quàm doctus aut indoctus ſit librarius, uti liquet ex iis, quæ paulo ante dixi) & *attentiores*, ſed & *legendi peritiores*: quod ſane tale eſt, ut niſi per ſum-

mam plane-que Capellianam fatuitatem dici non potuerit, neque facile à quoquam credi, ne de Capello quidem, nisi ipsamet eius, verba apponantur, quæ ita se habent: Dico, convenientius es-„se, tribuere hallucinationem illam librariis potius quàm Inter-„pretibus, quia Interpretes & doctiores sunt, & legendi peritio-„res, & magis attenti, quam vulgares librarij. Sed quam hoc fatuum dictu sit, ut omnes universim Interpretes omnibus omnino librariis ad munus suum attentiores sint, non opus est multis demonstrare. nemo enim contrarium non fatebitur, qui non plane stultus sit, ipsamque Capelli stultitiam exæquet, aut etiam exuperet. quippe ne ipse quidem semper ita desipit, ut ita generaliter de ista re loquatur: & pag. 49. satis habet affirmare, *Non longe à vero abhorrere, librarios communiter cedere Interpretibus in fidelitate, diligentia, attentione, & accuratione*: quod ipsum nequaquam verum est. Sed ut ne nimis in ipsum semper rigidus sim, utque id impræsens ipsi totum largiar; semper eò redeundum erit, ut ipse cum Morino suo probet, Scribas illos Hebraicos, de quibus nunc proprie quæritur, minus fideliter, attente, accurate, & diligenter provinciam suam impleviſſe, quàm Interpretes, de quibus itidem lis est. donec enim id fiat, quæstio semper integra manebit. Capellus quidem, cui ludus & iocus est, æque ac sodali eius Morino, vel negare, vel affirmare, quidcunque ei collibuerit, non veretur mihi hoc inficiari pag. 49. aiens: *Nec opus habeo demonstrare peculiariter, librarios Hebræos in culpa esse, varietatis nimirum quæ est à varia lectione, & Interpretes Græcos ab ea immunes esse*: quæ sane ἀναιδηια & audacia plane gemina est illi, de qua tot verba fecimus Capite præcedenti, & qua negabat necessarium sibi esse, ut exhiberet κριτικον spurias ac adulterinas Varias Lectiones à genuinis & legitimis internoscendi. Sed omnes, qui nolint cuivis sua somnia narranti simpliciter ac fatue credere, facile vident, nequaquam defugere posse Mor. & Cap. quin probent id, quod ego ab eis hic exigo; aut alioqui futurum, ut istius inter librarios & Interpretes comparationis, in qua omnis eorum spes reposita est, vis & utilitas omnis ipsis in totum pereat. quid enim ad rem attinet, quàm attenti & accurati sint plerique Interpretes, & quam negligentes & incurioſi plerique librarij, nisi utrumque istorum constet aut ostendatur de illis librariis & Interpretibus, de quibus inter nos quæritur. Et ipse mox Capellus, aliquantulum ex veterno illo expergiscens, agnoscit postulati mei æquitatem; ideo-que, cum nihil novi afferre posset,

quo ei satisfaceret, amandat lectorem ad caput 15. libri 4. Pseudo-criticæ, ubi totam hanc rem manifestam reddiderit. Ast toto illo capite nullum ne minimum quidem verbulum extat, uti neque uspiam alibi in Pseudo-critica aut Apologia, quo peculiariter probet, aut vel probare conetur. scribas illos Iudaicos, à quibus descripti fuerunt codices Hebraici, quibus Sept. alii-ve Interpretes usi sunt, infideliter aut indiligenter in officio suo versatos fuisse: & quæ ibi affert, ut ostendat, fideliter & diligenter munere suo perfunctos esse Sept. (de quibus solis id probare laborat, de omnibus aliis Veteribus Interpretibus altissimum hac in parte silentium agens, non ibi tantùm, sed ubique scriptorum suorum) cassa penitus sunt & elumbia, omnique plane robore ad probandum id, de quo hic agitur, destituta, sicuti Epistolæ §. 28. & 30. abunde monstravi Et quàm nihil illa valeant ad id efficiendum, quod ibi vult Capellus, vel hinc manifestissime liquet, quod non modò alibi persæpe, sed illo ipso Capite (ubi ex professo probare satagit, librariis potius hebraicis, quàm τοῖς Sept. ascribendam esse culpam istarum variationum, quæ translationi ipsorum cum codicibus nostris Hebraicis intercedunt) permulta dicit, unde omnia contraria appareant. quippe non modo Sept. Interpretibus apertissime detrahit laudem exactæ illius doctrinæ & peritiæ, ad bene interpretandum necessariæ, dicens, *eos inter interpretandum non rarò esse lapsos, deceptos, & hallucinatos, ex ignorantia & ἀβλεψίᾳ*, sed & diligentiæ & attentionis, tum circa alia, tum circa ipsam lectionem. postquam enim dixerat, *Sept. haud dubie non indiligenter attenderunt, quid & quomodo scriptum fuit in codice, ex qua suam instituerunt translationem*: statim subiungit: *quanquam nolim sane ab omni omnino hallucinatione, præcipitatione, & ἀβλεψίᾳ inter legendum, liberos plane & immunes eos pronuntiare.* & similia alibi quoque frequenter de iis narrare solet, uti productis in id testimoniis planum feci Epistolæ paragrapho trigesimoprimo. Et quanquam Apologiæ pag. 52. respondens ad Epistolæ §. 30. ex consueto contradicendi mihi æstu denuntiat *sese, si liberet excurrere in laudem τῶν 70. eorumque Translationis, multa posse dicere, unde vanitas eorum, quæ ibi adversus eos congero, patefieret*: in eadem ipsa tamen Apologia, pag. 21. intonat *frequentes eorum puriles & pudendos sæpe lapsus atque aberrationes à genuina vocum & phraseon significatione, & S. Scriptorum mente atque scopo*: qualibus fere encomiis etiam Hieronymum eâdem paginâ ornat: quæ an nos manu ducant ad credendum, quòd tales Interpretes, qui tam

sæpe

sæpe, & tam pueriliter ac pudende à vocum significatione & S. Scriptorum mente aberrarunt, admodum accurati fuerint in reliqua muneris sui parte, & rarissime in legendo hallucinati, cuiusvis æqui lectoris iudicium esto. neque sane aliter de Sept. loqui potest, quisquis vel mediocrem in examinanda eorum translatione operam posuit: & plurimos possem afferre locos summorum virorum, qui gravissime in eorum tum imperitiam & ignorantiam, tum negligentiam quoque & socordiam destomachati sunt. Ex altera autem parte sicuti nihil prorsus attulit Capellus, quare fidem ipsi habere debeamus, illam tot tantarumque variationum causam, quæ Veteribus Translationibus cum textu nostro Hebraico intercedunt, librariis imputanti, qui codices descripserunt, quibus earum authores usi sunt: ita res in se est plane incredibilis, si quis consideret exactissimam illam diligentiam, æque ac summam religionem & fidem, quam Iudæi semper in describendis libris sacris adhibuerunt. In contrarium quidem sæpissime latrat Morinus, ac rem toti mundo testatissimam audet pro solita vecordia non solum in dubium vocare, sed & palam negare, & contrarium eius impudentissime asserere, idque haud alio argumento, quam vesanis quibusdam declamationibus, & febriculosis interrogatiunculis, quales nusquam non occurrunt, tum in aliis eius scriptis, tum præcipue in Exercit. Antibibl. (vide pag. 3. 4. 8. 11. 35. 45. 61. 180. &c.) quibus ut colorem aliquem allinat, solet Varias Lectiones ex collatione codicum Hebræorum vel observatas iam à Iudæis, vel ulterius adhuc observandas, immaniter supra verum exaggerare, easque longe numerosissimas facere; quum revera sint quam paucissimæ, siquis exclusis iis, quæ ipsam dictionum substantiam haud quaquam immutantes, leviculas tantum earum affectiones & minutias grammaticales spectant, eas duntaxat in hunc censum recipiat, quæ ipsum locorum sensum ulla ex parte variant, ac circa integra vocabula versantur: cuiusmodi profecto Variæ lectiones oppido paucæ omni ævo in Vet. Testamenti textum hebraicum irrepserunt, longe-que ac longe pauciores, quàm in ullum alium paris molis librum, ex omnibus illis qui unquam in mundo fuerunt, & qui ab antiquis sæculis ad tempora nostra pervenerunt. Et Capellus quoque in hoc, ut in plerisque aliis Veritatis Hebraicæ vexationibus, Morini sui vestigiis strenue insistens, eam frequenter iisdem modis arrodere, & scribarum Iudaicorum exactissimam accurationem consimiliter sollicitare ac lacessere consuevit. Sed non est ut nos in istis calumniis refellen-

dis, earumque vanitate coarguenda fatigemus. Idem enim hic Capello evenit, divina sic ordinante iustitia, quod alibi passim, ut suas molitiones propriis manibus subrueret, ac stirpitus convelleret; ac pro ipsa illa veritate, in qua penitus obruenda ac destruenda omnes nervos contenderet, ipse amplissimum alibi testimonium diceret: plane instar Balaami, qui vellet nollet populo Dei benedicere cogebatur, quando quammaxime id agebat, ut eum diris devoveret. Nemo enim prolixius loqui potest de codicum Hebræorum sinceritate, de-que summa Iudæorum in iis caste ac integre conservandis fide & diligentia, quàm permultis locis facit Capellus, sicuti compluribus ex Pseudo-critica testimoniis ostendi Epistolæ § 15. ubi videmus eum affirmantem, *inde à temporibus Antiochi Epiphanis, ac post persecutionem eius cessatam* (retineamus enim barbaram hanc Pseudo-criticæ phrasin; quandoquidem de ea monitus à me Capellus, defendere eam quàm corrigere potius duxit in Apol. pag. 36.) *maximam fuisse, & maxime commendandam, Iudæorum curam & diligentiam in describendis codicibus suis: Iudæos iam à multis sæculis in describendo sacro codice fuisse diligentissimos: Iudæorum scribas à Christi tempore in hoc genere diligentissimos atque accuratissimos, imò religiosissimos & scrupulosissimos fuisse.: Iudæorum ἀκρίβειαν & zelum erga Legis corticem, ac Masoretharum diligentiam effecisse, ut non ita multum variaverint Hebræorum codices ab Assamonæorum sæculo ad hæc usque tempora:* alia-que permulta in eandem sententiam. Quum autem constet, & adversarius fateatur, Iudæos maximam in describendis libris sacris diligentiam & fidem adhibuisse per tot iam sæcula, & inde à temporibus Antiochi Epiphanis & Assamonæorum: quis locus dubitandi supereſt, quin antea quoque, & illo intervallo, quod inter Assamonæos & Esdram interceſſit, tantundem præstiterint? Nam quod Capellus, ut contrarium pro illo temporis spatio efficiat, utitur argumento longæ & altæ pacis, qua eos sub Persarum & successorum Alexandi Magni imperio frui contigit, quæ-que eos in rebus sacris & divinis procurandis negligentiores, & describendi emendate libros sacros minus studiosos reddiderit (lib 4. Pseudocrit. cap 16.) quis non videt, quàm id sit frigidum & inane? Sed etiamsi ipsi largiemur id, quod gratis sibi sumit, de incuria Iudæorum in describendis libris sacris per illa tempora, quæ inter reditum ex captivitate Babylonica & Antiochi Epiphanis regnum interceſſerunt, nihil inde lucraretur. Namque sicuti fabricatus sibi est hoc commentum, ut eo liberius pos-

ſet confingere codicem hebraicum τῶν 70. adeo enormiter à codicibus aliis diſſentientem (quo figmento nihil monſtruoſius cogitari poteſt in tam comperta ac ſpectata Iudæorum circa deſcriptionem ſacrorum Codicum diligentia & fide) ita vanitatem iſtius molitionis detexit Illuſtriſſimus Armachanus, ſuâ in Capellum Epiſtolicâ cenſurâ. quippe paginâ eius 13. oſtendit, omnes Veteris Teſtamenti libros, excepto tantùm Moſis Pentateucho, qui ſub ſecundo Ptolomæo converſus fuerit, in græcum tranſlatos fuiſſe non ſub eodem Philadelpho, ſed ſub Philometore demum, quem diu poſt, & tempore graviſſimæ illius perſecutionis regnaviſſe in Ægypto, ipſique tyranno Antiocho ſuperſtitem fuiſſe conſtet: ſub quo Antiocho abolitum fuiſſe vult Capellus codicem illum Hebraicum, ex quo interpretatio Græca fuit adornata.

Iam igitur apparet, illam inter librarios & Interpretes comparationem, quam toties in ore habent Mor. & Cap. & in qua ſola omne ſuum præſidium collocarunt, ut evincant, in codicibus Veterum Interpretum Hebraicis ita ſcriptum fuiſſe, quomodo eos legiſſe apparet, & quomodo Tranſlatio eorum præ ſe fert; adeo non iuvare Morinum & Capellum, ut validiſſime iis obſit. Etenim ut inde conſequerentur id quod volunt, debebant planum facere, Veteres Interpretes fuiſſe non ſolum apprime doctos & peritos, ſed & ſumme fideles, attentos, & diligentes; ſcribas verò Iudaicos longe negligentiſſimos, ſupra omnes alios ſcribas qui unquam fuerunt, ac libris ſacris inter deſcribendum innumera ac graviſſima menda importare ſolitos. Tantũ autem abeſt ut iſta ſeſe ita habere demonſtrent, ut omnia contraria & aliunde appareant, & ultro ipſemet fateatur Capellus, tum de ſcribis Iudaicis, tum de Interpretibus, ſaltem de Sept. de quibus præcipue quæritur, & qui ſoli longe ac longe ſæpius à Veritate Hebraica diſcordant, tum aliis omnibus modis, tum illa vocum affinium & conſimilium permutatione, quàm omnes alij Interpretes ſimul ſumpti. Et ſicuti priore iſtorum caſuum, atque ſi Mor. & Cap. de librariis ac de Interpretibus demonſtraſſent id quod iis incumbebat, liceret iis maiorem aut maximam partem earum Variationum, de quibus lis eſt, ab Interpretibus in librarios tranſcribere: ita quum nunc res planiſſime contra ſe habeat, poſſumus nos optimo iure ſcribas à culpa abſolvere, eamque in Interpretes conferre. Ideoque ad quæſtionem illam Capelli, Apol. pag. 89. *Quæro à B. an exiſtimet Interpretes ſemper & ubique (hoc eſt, in omnibus locis à me notatis, & infinitis aliis quæ adhuc notari poſſunt) vel in longe maxima eorum*

parte, hallucinatos esse, hoc est, male legisse quod bene scriptum erat in codice suo, an verò in paucis duntaxat quibusdam illorum locorum: cui subiungit istam *Νέμεσιν, Siprius dicat, rem planè miram & pene incredibilem dicit, illos homines tam sæpe inter legendum cespitasse & hallucinatos esse:* in promptu est responsio, Longe ac longe verisimilius esse, ut istarum hallucinationum culpa in Interpretibus quàm in scribis Iudaicis resideat, vel omnis, vel longe maxima ex parte. neque id dicendo, dico rem miram aut incredibilem, sed quam libenter ac facile credet, quisquis superius dicta eo modo, uti par est, perpenderit, ac verum à falso secernere noverit. Neq; alia fuit mens Hier. quem temere nimis (secutus in hoc, ut in aliis plerisque, Morinum suum) carpit Capellus, dicens Apol. p. 94. *Non attendisse aut cogitasse, quod variatio illa, quam totam ille ad Interpretum errorem & hallucinationem referebat, posset tota, aut maxima eius pars, tam Librariorum quàm Interpretum errori & hallucinationi attribui.* quis enim dixit Capello, *Hieronymum non attendisse, aut cogitasse?* Non enim tam vecors fuit aut fatuus, neque adeo Morini & Capelli similis, ut rem aliquam diceret, & fidentissime affirmaret, idque non semel aut iterum, neque obiter aut in transcursu, sed ex professo, & millies ac millies, ad quam non attendisset, & de qua non cogitasset. Imò cogitavit ille haud dubie de illa inter librarios & Interpretes comparatione, eamque instituit non ita indifinite & fatue, ut Mor. & Cap. sed conferendo inter se librarios illos & Interpretes, de quibus quæritur, nim. Interpretes græcos cum librariis Hebræis: omnibusque serio & mature perpensis, vidit validissimas causas, quare illos potius quam istos in culpa esse crederet. namque quod pro omni ratione, cur ita sentiret Hieronymus, allegat ibidem, uti alibi plus semel, cum Morino suo Capellus, *quia à præceptoribus suis Iudæis ita persuasus erat,* in eo nihil aliud, nisi proterviam suam prodit in Hieron. quem vult rem tantam Iudæis simpliciter & absque ullis argumẽtis credidisse; tum stultitiam quoque minime vulgarem, & plane Capellianam, idque plus uno modo. Quid enim stultius, quam Hieronymo vitio dare, quod ab Hebræis didicit res Hebræorum, ea-que quæ ad Hebraicorum codicum admirabilem accurationem & inter se uniformitatem, atque ad summam scribarum Iudaicorum in iis describendis fidem & diligentiam pertinent? A quibusnam potius, quam à Iudæis, illa didicisset? num à Græcis, Italisve? vel à Sarmatis, aut Scythis? Stultissime etiam ita loquitur, acsi Hieron. omnia, quæ ad decidendam hanc controversiam per-

tinent, à ſolis Iudæis hauſiſſet. ſane ſi æque ac Mor. & Cap. fuiſſet ἐμβριθὴς, potuiſſet iſtius quæſtionis examine ita defungi, ut alteram duntaxat eius partem attingeret. ſed ipſe, qua fuit prudentia, haud dubie utramque penſitavit, neque modo illa, quæ proſcribis & codicibus Hebraicis facerent, ſed & quæ contra Interpretes græcos; quorum plurimos & graviſſimos defectus ipſe multo notiores habere potuit ac debuit, & revera habuit, quam Iudæi. Et quæ eâdem paginâ 94. garrit præterea in Hieron. Capellus, *Quod is non fuit ἀναμάρτητος, & quod non amplectendum ſit quidquid uſpiam dixit aut ſcripſit*; nihil iſta niſi ſuetam Capelli futilitatem redolent. neque enim ego aut cum Hieron. hic ſentio, aut Mor. & Cap. ab eo diſſentire veto, quia in iſta ſententia fuit Hier. ſed ob rationes, quæ Hieronymum in iſtam ſententiam impulerunt. & Hieronymum nominavi, non ut eius autoritate Capellum prægravarem, vel apud ipſum, cui ſciebam eam eſſe viliſſimam, vel apud alios etiam; ſed ut oſtenderem duntaxat, ſi ita planum id eſſet ac ſibi imaginatur cum Morino Capellus, aliter in codicibus Veterum Interpretum Hebraicis ſcriptum fuiſſe, quã in noſtris, quia aliter Interpretes legerunt; fieri non potuiſſe, quin id aliquando ſaltem in mentem veniſſet Hieronymo, tanto viro, & æque ac Mor. & Cap. tum perſpicaci, tum in iſta re verſato, uti fidem faciunt commentaria eius, quorum per magna pars in iſtis Interpretum à Textu Hebraico variationibus producendis & examinandis inſumitur. Iſta mea ratiocinatio, in iſtum finem adhibita, quem hic dico, & quem dixi Epiſtolæ paragr. 55. & 59. admodum clara eſt & certa, niſi ut Hieronymo omne penitus iudicium detrahamus, eumque plane bardum & ſtipitem efficiamus; quod præter Capellum & Morinum nemo mortalium fecerit. Et recte me colligere, utut id non videat, aut videre nolit Capellus (qui iugiter quavis talpa cæcior eſt in videndis iis, quæ ipſi officiunt aut diſplicent) nemo mihi inficiabitur æquus & cordatus lector. ſane aſſenſum ſuum mihi pleniſſime hic præbet D. Armachanus, qui Epiſtolæ ſuæ pag. 6. Capello, inepte ac futiliter me in contrarium urgenti, *quod ipſe non exiſtimem, neceſſariò mihi credendum eſſe, quicquid uſpiam ab Hier. dictum aut ſcriptum eſt*, pro me reſpondet, *Hoc nihil impedire, quo minùs inquiram, quî fieri potuerit, ut homo in aliis minime hebes & in Hebraica literatura ſatis perſpicax, id videre non potuerit, quod Cap. non modò certum eſſe & indubitatum, ſed etiam Sole ipſo clarius liquere aſſerit*: præterea que monſtrat, quàm inanis ſit illa Capelli cavillatiuncula, quando vult

Hieronymo iſtam rem in mentem non veniſſe ob præindicatam opinionem, à præceptoribus Iudæis hauſtam.

CAPVT XVIII.

Aperiuntur tres adhuc aliæ cauſæ, præter hallucinationem in legendo, unde fieri potuit, & revera factum eſt quàm ſæpiſſime, ut Veteres Interpretes à genuinis Textus Hebraici vocibus aberrarent, atque ad alias, iis affines & aſſimiles, tranſitum facerent: unde amplius etiamnum apparet, nos rem minime miram aut incredibilem dicere, ut vult Capellus, quando omnes illas Variationes ipſis Interpretibus, non autem ſcribis Iudaicis, imputamus; & ineptiſſimam ac penitus abſurdam eſſe illam Capelli & Morini collectionem, qua ex eo, quòd Interpretes verba Textus originarij ſic vel ſic legerunt, ſtatim concludunt, illa quoque ſic in eorum codicibus Hebraicis ſcripta fuiſſe.

ID quod paſſim crepare ſolet cum Morino Capellus, & veluti pro confeſſo ac indubitato ſumere, Quod longe maxima iſtarum diſcrepantiarum pars, ubi Veteres Tranſlationes à textu noſtro Hebraico ita diſſonant, ut omnis diverſitas in vocibus affinibus conſiſtat, multo veriſimilius ſcribis Iudaicis, quàm ipſis Interpretibus, attribui poteſt ac debet; hoc planiſſime contrario modo ſe habet. & quiſquis cum Hier. aſſerere voluerit, Interpretes vel ubique, vel in longe maxima iſtarum variationum parte, in culpa eſſe, ac hallucinatos fuiſſe, bene ſcripta perperam & erronee legendo: is non dicet *rem plane miram, & pene incredibilem*, quod putat Capellus, ſed maxime probabilem, & rationi maxi-

mopere conſentaneam, uti ſuperiori Capite planum feci. Ego tamen id nequaquam facio, neque omnino faciendum exiſtimo, ut Interpretes credam in omnibus illis variationibus, vel in maxima earum parte, hallucinatos fuiſſe in legendo, literaſque & voces prave, & aliter quam in eorum codicibus ſcriptæ erant, legiſſe: neque propterea illos à culpa abſolvo, nihilo-que minus omnem iſtarum varietatum ac diſcrepantiarum cauſam iis in ſolidum aſcribo, totam-que in ipſis, non in codicibus eorum Hebraicis, hærere affirmo. Mira hic narrare videbor Capello, qui cum Morino ſuo ita ſentit, & ita loquitur paſſim, acſi in omnibus illis locis, de quibus nunc agitur, nihil inter hæc medium eſſet, quin aut librarij inter deſcribendum, aut Interpretes inter transferendum, omnino oporteret aliter ibi legiſſe quàm ſcriptum erat, ſed omnis illa varietas alterutrorum in legendo hallucinationi & errori neceſſarie accepta eſſet ferenda. *Vnde rectè concludo*, inquit Apol. pag. 48. *hallucinationem in legendo* [*quam neceſſe eſt vel Sept. Interpretibus, vel librariis, qui codicum eorum Hebræum deſcripſerunt, obveniſſe iis in locis, in quibus eſt ex varia lectione diſcrepantia inter eorum tranſlationem & hodiernum codicem Hebræum, merito tribuendam potius eſſe librariis, quàm Interpretibus.*] ſimiliter-que pag. 89. *Cum neceſſe ſit vel librarios vel Interpretes toties hallucinatos eſſe, & diſceſſiſſe à genuina lectione* &c. Neque aliter Morinus, tum verbis illis, quæ ſupra Cap. 15. ex Exerc. Antibibl. 6. cap. 11. attuli, tum iſtis in Diatr. pag. 63. Itaque aut ad mendas in textum „illapſas confugiendum eſt, aut perpetuò aſſerendum S. Hier. & „Sept. cum ſacrum textum verterent, modo verba præpoſterè „vel precipitanter legendo, tranſiliiſſe, modo male pronuntiando „ח pro ה, ע pro א, ק pro ג, &c. accepiſſe: modò cæcutientes „ר pro ד, ב pro כ, ס pro ם &c. legiſſe; modò animum non „advertentes, literas negligenter permutaſſe. & pag. 83. *Schindlerum fortaſſe regerent, errores iſtos 70. Interpretum & Hieronymi cæcutientiæ aut conniventiæ imputare, non autem ſcribarum hallucinationi nihil enim eſt, præter hoc, quod obmurmurari poſſit. O ſiculneum auxilium! S. Hieronymi & 70. Interpretum oculi caligarunt ſemper, aut lippierunt cucurbitas —— ſed mercenarij ſcribæ —— nunquam non oculatiſſimi fuerunt? Credidit Schindlerus, doctiſſimos & diligentiſſimos Interpretes literas Hebraicas paſſim non dignoviſſe, dictiones à ſe invicem non diſcrevi ſſe: Amanuenſes verò ignariſſimos —— connivere non potuiſſe, nec tranſverſim intueri?* Et permulti adhuc alij in utroque loci occurrunt, ubi ad eundem

modum loquuntur. Sed omnino vitiosa est hæc oppositio, prout eam instituunt, atque ad rem præsentem applicant, Morinus ac Capellus; qui prave sibi imaginantur, nihil hic medium esse, & perpetuo fieri debere, in omnibus illis locis, de quibus nunc agitur, ut aut Interpretes erraverint ibi inter legendum, aut librarii. Res enim haud ita se habet, & potuerunt Interpretes in omnibus illis locis, ubi proclivis est & affinis ab una lectione in alteram transitus, ubique eadem in codicibus suis, quæ nos in nostris, scripta habuisse, & tamen ita legisse uti eos legisse apparet, absque eo ut semper, vel plerunque etiam, in legendo hallucinarentur. Sicuti enim eos ab hallucinatione inter legendum haudquaquam eximo, sed cum aliis magnis viris omnino verisimile puto, cæteris quidem Interpretibus interdum, Sept. autem, quorum extrema negligentia & supinitas est testatissima, pene fæque hoc usu venisse, ut quasdam literas & dictiones aliter legerent, quàm illæ revera in ipsorum codicibus scriptæ erant, decepti vel exiliori & minus accurata characterum forma, vel propria indiligentia & præcipitatione, vel utroque: ita compertum mihi est, varios adhuc alios dari modos, quibus ista dictionum inter se similium permutatio, & ab unis ad alteras transitio, committi potuit ab Interpretibus, & haud dubie commissa fuit quàm creberrime, tametsi omnia eadem in textu eorum Hebraico, ac in nostro, & scripta essent, & scripta esse ipsi viderent. Vnus istorum modorum est, quando Interpretes hallucinantur non circa literas & lectionem dictionum, sed circa dictiones ipsas, unam pro altera sumendo, ob magnam quandam inter illas cognationem, qua decepti eas inter se permutant, & alteram alteri substituunt. Exempli gratia, Capellus Pseudocrit. pag. 326. affert locum quendam ex Targum, Prou. 12. 28. ubi dicit scriptum esse דאבהתנא (quomodo sane ibi scribitur in Edit. Complut. & Regia, quum Ven. & Basil. aliter & melius pro eo legant עותנא) idque vertit, *confusionis nostræ*. ast vox illa significat significat *patrum nostrorum*, non autem, *confusionis nostræ*, quod nullo modo significare potest, nisi ut ablato *aleph*, & geminato *thau*, ex אבהתנא fiat בהתתנא: hic nullus plane locus est causationi illi de alia scriptione in codice originario, correspondente pravæ isti translationi, uti neque de hallucinatoria lectione. quis enim credat, Capellum non vidisse, quod illa vox habeat tantum unum *thau* & quod habeat *aleph* in capite, quum ipse eam istis literis scripserit, idque in medio vocum latinarum, ubi multo magis ea eminet, ac scriptura

cius

eius magis conſpicua eſt, quàm ſi in medio textus chaldaici deliteſceret, aliiſque vocibus chaldaicis ex utroque latere ſtipata eſſet. Quid igitur hic dicemus pro Capello, aut quidnam dicet pro ſeipſo? nihil profecto aliud dici poteſt, niſi Capellum deceptum ſimilitudine vocabulorum אבהתנא &, בהתתנא, quum priorem legeret, omneſque eius characteres probe videret ac dignoſceret, alteram tamen ſe legere putaviſſe, ideo-que inter transferendam illi iſtam ſubſtituiſſe. ſimilis farinæ ſunt iſtæ Morini παρεμπτῶσαι, in medio multarum aliarum à me productæ paragr. 52. Epiſtolæ Anti-criticæ: המורעי, *notum eſt* (pro Hammodæus) acſi eſſet נורע. נסגוד, *adora* (pro, *adoremus*,) acſi eſſet, סגוד. הימנו, *à dextera eius* (pro *ab ipſo*) acſi eſſet מימינו, &c. Huc quoque pertinent duo iſta Hieronymi ſphalmata, à me notata Epiſt. §. 56. qui Hoſ. 9. 6. hebræum ידעו, *ſcient* (quomodo ibi Textum eius hebraicum conformiter cum noſtro, ſcriptum habuiſſe, ipſe nos diſerte in comment. monet) vertit *ſcitote*, acſi eſſet דעו, ablato iod initiali: & ad Eſa. 47. 3. aſſeverat, in hebraico ſcriptum eſſe, *ex utero meo*, acſi ipſius codex habuiſſet מן בטני, quum tamen expreſſe fateatur ſe legiſſe ita, quomodo hodie legimus, מני בטן: itemque iſta quatuor Oſiandri: Iob. 2. 8. אפר *(cinis) pulvis, terra pulverulenta.* 3. 4. תופע *(illuſtretur) pulcher fiat.* 20. 18. תמורתו *(permutatio eius) amaritudinum ſuarum.* 27. 20. סופה *(turbo) finis:* acſi legiſſet, תמרורי, תיפה עפר, & סוף. Eiuſdem etiam generis ſunt illa Plinij, qui Dioſcoridis ἰξίας, κηρωτὰ, χάλκανθον, id eſt, *Ixias* (certæ radicis nomen) *Cerotum*, *Atramentum ſutorium*, aliquoties vertit *viſcum*, *cera*, *æris flos*, acſi eſſet ἰξὸν, κηρὸς, χαλκοῦ ἄνθος. & plurima talia adduci poſſent, ex omnis generis tranſlationibus, ſiquis eas ſtudioſe in id rimari vellet. ſed iſta pauca in ſpecimen ac guſtum ſufficiunt; & æque magnã vim habent ad oſtendẽdum id, ob quod hic adducentur, acſi centies plura adducerentur. Hoc dũtaxat monendũ eſt; valde latè patere hoc hallucin. genus, multo-q; plura & crebriora inde ſphalmata emergere, quàm quiſquã facile crederet, qui nunquam in iſta inquiſiviſſet. Multiplex enim eſt iſtarum aberrationum origo, & à compluribus cauſis, multum inter ſe diverſis, illæ oriri poſſunt, ac ſolent: quia nimirum vel feſtinat nimium Interpres, ac tranſlationem ſuam præcipitans, non relinquit ſibi ſatis temporis vel ſpatij ad omnia ut par eſt perpendenda, atque ad falſas ſpecies, quæ pro veris animo obverſantur, examinandas &

diiudicandas; vel ex indiligentia, quia parum ad munus ſuum attentus, velut aliud agit, & ſic ἀνεξετάστως amplectitur, quicquid primò in mentem venerit; vel ex ſimplici incogitantia, quæ Interpreti etiam haud properanti, & alioqui ſatis attente opus ſuum per-agenti, obrepere interdum & imponere ſolet; vel denique ex ignorantia, & imperfectiori atque confuſanea peritia eius linguæ, ex qua fit tranſlatio, quæ frequentiſſima eſt iſtarum hallucinationum cauſa. Quanquam autem in his hallucinationibus vere dici non poſſit, ſiquis ſtricte admodum & circumſpecte loqui velit, Interpretes aliter legiſſe: laxiore tamen loquendi modo, nihil impedit, quominus iſta phraſis hic uſurpetur. quippe revera quidem Interpres verba textus originarij haud aliter legit, quàm illa ibi ſcripta erant: ita tamen ea convertit, acſi omnino ita legiſſet, ſicuti tranſlatio eius præ ſe fert.

Alius modus, quo à textu originario diverſus abit Interpres, & dictiones eius in alias vicinas permutat, quanquam eas rite legit, & plane ita uti ſcriptæ ſunt; non iam ab hallucinatione oritur, qua unum vocabulum alteri inconſiderate ſubſtituitur, ſed ex certo iudicio: quando nimirum Interpres locum aliquem obſcuriorem præ manibus habens (ſive is revera talis ſit, ſive ipſi duntaxat eiuſmodi videatur) & vocabulum aliquod ibi videns, cuius levi in vocabulum aliud affine demutatione difficultas tolli, & ſenſus planior ac concinnior reddi ipſius iudicio poſſit; omnino ſtatuit, vocabulum illud, quod ipſi moleſtiam faceſſit, vitioſum eſſe ac corruptum: quare eo abſque omni hæſitatione ſubmoto, alteroque illo, cuius locum id occupaſſe ſibi perſuadet, in vicem eius ſurrogato, non id transfert, quod invenit, ſed quod pro vocis inventæ correctione ipſemet excogitavit. Sane pleni ſunt Criticorum commentarij talibus exemplis, ubi receptam Authorum lectionem non ex collatione aliorum exemplarium, ſed ex ingenio ita ſollicitant, ac loco movent, & levi aliqua eiuſmodi deflexione immutant, atque, ut loquuntur, corrigunt & reſtituunt. Et quidem ſæpiſſime hoc faciunt, ut varias lectiones ita ſibi fabricentur ubi reverà nullæ erant, abſque ulla iuſta cauſa, & contra rationem, non modo de trivio critici, (quorum quanto quis eſt indoctior & imperitior, ita ſolet eſſe hac in parte audacior, atque in talibus coniecturis ſibi magis placere) ſed & præcipui quique, atque adeo principes illi, Scaligeri, Lipſij, Caſauboni, Dalechampij, atque alia eiuſmodi magna nomina; id quod permultis exemplis, ſi ita opus eſſet, docere poſſem. Dubitare autem vix

licet, quin omnes illi Critici, si authores istos, in quos istam coniectandi ac corrigendi licentiam sibi permittunt, in alias linguas converterent, non lectionem illam, quam pro vitiosa damnant, sed correctiones suas in tranferendo secuturi atque exhibituri essent. Et sicuti vix ullus est in mundo liber, in quo non plurimi occurrant loci, quos isto pacto de menda suspectos habere, atque ad correctionum suarũ incudem revocare cum aliquo colore possint audaciores critici & Interpretes, ita Sacræ Scripturæ textus hebraicus iis scatet: unde etiam occasionem sumpsit Capellus, illotis manibus in eum involandi, atque hanc veniam sibi aliisque similis temeritatis hominibus postulandi, ut ipsis liceat illum sic sollicitare, suisque coniecturis & correctionibus eum attentare; qualium sane coniecturarum & correctionum aliquammulta nobis specimina in Pseudocritica edidit, admodum quidem illarum ineptarum & inficetarum, sed in quibus tamen mira se præstitisse, & insignia admodum ingenij sui atque facultatis stochasticæ documenta dedisse arbitratur. Neque contentus ita ipse grassari, libenter in istius audaciæ societatem vocaret ipsos Iudæorum criticos, sive Masorethas; qui quum nonnullis istorum locorum, quos de vitio suspectos habere quis posset, alteram ac probabiliorem lectionem in margine adscripserint, ob hoc ipsum, ut constaret, probam omninoque retinendam esse lectionem textus, neque in illam marginis mutandam, quas notas illi *Sebirin* vocant (ad quem fere modum observavi etiam librarios Syros nonnullis Sacri Textus locis, qui *νοσηροφανεῖς* videri possint, solere adscribere in margine, הכנא אשכחת, *ita inveni*, sub. scriptum in codice, quem exscripsi) ipse invitissima veritate plane contrarium istis admonitionibus sensum affingit, ac contendit Masorethas iis non voluisse illam coniectandi & corrigendi licentiam prævenire, ut revera voluerunt, sed ipsos exercuisse. & quum Iudæorum in istis scholiis mentem nemo melius nosse possit ipsis Iudæis, Buxtorsium ac me carpit, Apol. pag. 64. & 66. quod constanti eorum hac de re traditioni fidem habeamus: ipse eam reiiciens haud ob aliud, quàm quia ipsius *palato haud sapit* (pag. 65.) neque quicquam contra eam adferens, nisi meras hariolationes, & principij petitiones; quibus confutandis nolo tempus & chartam perdere, quum suam per se futilitatem satis ipsæ prodant, ac proinde confutatione haudquaquam egeant. Porro quin plurimæ illarum discrepantiarum, in vocum affinium permutatione sitarum, quæ Veteribus Translationibus cum Textu nostro Hebraico interce-

dunt, profluxerint ab hoc fonte, de quo nunc agimus, & quòd Interpretes non quidem aliud legerent, quàm nos, ſed aliud legendum opinarentur, nemo dubitare poteſt, qui recta ratione uti voluerit. Et ſiquis in contrarium niti voluerit, facillimum mihi eſt os ei obſtruere, producendo quamplurima ac valde illuſtria iſtius rei exempla exipſis hodiernis Interpretibus, & quidem eorum præcipuis quibuſque; quorum nemo eſt, qui non Veterum optimos tum eruditione, peritia, diligentia, tum religione & fide æquet, atque etiam (abſit verbo invidia) antecedat: ſicuti nonnulli Veterum, præſertimque Sept. cum nemine iſtorum ulla illarum virtutum comparandi ſunt. Quod ſi quis omnes illas Tranſlationes datâ operâ in id examinare, & à capite ad calcem cum Textu Hebraico comparare vellet, ingentem iſtiuſmodi variationum numerum deprehenſum iri certus ſum; quum à me, qui illas duntaxat adnotavi, quæ obiter ac velut aliud agenti hic illic mihi ſe obtulerunt, ſatis multæ collectæ fuerint, uti apparet ex earum catalogo, quem hic ſubiungo. Num 21. 24. Caſt. Nam *Ar eſt* terminus Ammonitarum: pro, *fortis* ſeu *munitus erat*: pro עז legit ער. Deut. 33. 18. lætare Zabulon בצאתך, *in exitu tuo*. Tig. *in exercitu tuo*: בצבאך Iob 5. 5. *Rapiet eum* אל מצנים, *uſque ex ſpinis*: Oſ. *ad armatos* ſeu *peltatos*, מגנים, quomodo ibi de Veteribus legerunt etiam Sym. & Hier. quum Syrus mutauerit vocem iſtam in צמאים, *ſitientes*, quippe quam vertit יהיא. Iob 15. 15. יאמין Oſ. vertit *integer*, תמים. Iob 20. 26. Hieronymi *abſconditæ ſunt in occultis eius*, Oſ. mutat in, *occultare eum non poterunt*, acſi pro טמון לצפונין, ſcriptum eſſet לטמנו לא יוכלו. Iob 21. 15. נפגע, *oraverimus*, Oſi. *appropinquaverimus*, נגש. Iob 30. 17. ערקי, *arteriæ meæ*. Oſi. *qui perſequuntur me*, רדפי. Iob 33. 22. ממיתים (quod *mortiferi* vertit Hier.) Oſi. reddit *mortui*, מתים. Pſal. 57. 3. גמר, *perficiens*. Pagn. *Retribuens*: גמל, quomodo ibi legerunt etiam Sept. qui verterunt ὑπερασπιστὴς. Pſa. 59. 10. עזו, *vires eius*. Caſt. *vires meas*, עזי. Pſa. 60. 6. קשט, *veritas*. Caſt. *arcus*, קשת, quam vocem ibi pro altera ſubſtituerunt etiam Sept. Syr. Hieron.

Pſa. 66. 12. לרויה, Tig. *In refrigerium*: Piſc. *In refocillationem*; acſi eſſet לרוחה, quomodo ibi legerunt etiam Sept. Syr. Chal. & Hier. Pſa. 69. 27. *Ieſafferu*) Tig. *admetiuntur*: Caſt. *adaugentes* (vt Sept. προσέθηκαν: Et Syr. אוספו) acſi eſſet iaſafu.

Pſa. 38. 13. תרחיבני, Pratenſis, *Multiplicabis*, תרבה, quam ſubſtitutionem ibi fecerunt etiam Chal. & Syr. Ibid. בנפשי עז, *in anima mea robur*: Pag. *in anima mea fortitudine*, בעז נפשי.

Verſ. 8. ינמר, *perficiet*. Pag. *retribuet*, ינמל. Pro. 14. 28. רזון, *attenuatio*, mutatur in רוזן, *princeps*, non ab vno aut altero Recentiorum, ſed ab univerſo eorum agmine, ab ipſiſque Rabbinis, (excepto tantum R. Leui) vt à Sept. Syr. Chal. & Hier.

Eccl. 4. 17. רע, *malum*: Pag. *voluntatem eius*, רעו, *rehhb*.

Cant. 5. 13. מגדלות, *turrecula*: Pag. *flores*, מגדנות. Eſa. 1. 25. כבר, *quam puriſſime*: Pag. *quaſi fornax*, ככור. Eſa. 5. 17. גרים, *peregrini*: Tig. & Caſt. *arietes*, כרים. Eſa. 17. 5. קציר, *meſſis*: Pag. Tre. Piſ. *meſſor*: קוצר. Eſa. 17. 11. נד, *acervus*: Caſt. *perierit*: אבד. Eſa. 25. 11. ארכות, Mun. & Calu. *brachia*: זרועות. Eſa. 28. 4. קיץ, *æſtas*, vel, *fructus æſtivi*: Of. *meſſis*, קציר. Eſa. 37. 25. קרתי, *ſcaturire facio*: omnes Recentiores (itidem ac Veteres, præter Sept.) vertunt vnanimiter, *fodi*, acſi eſſet כריתי. Eſa. 62. 5. יבעלוך בניך, *potientur te filij tui*: Piſc. *coniugio devinciet ſibi te & filios tuos*: יבעלך ובניך. Eſa. 63. 14. תניחנו, Tig. & Genev. (ut Syr. & Hier.) duxit eum: תנחנו. Ier. 2. 31. מאפליה, *opaca*: Iun. & Piſ. *deijciens*: מפילה. Ier. 3. 23. הרים, *montium*: Tig. *gentium*, גוים. Ier. 25. 31. נשפט, *diſceptat*: Pag. *iudex*; שופט: Calu. iudicium: משפט. Ier. 30. 21. ערב, Pag. *dilatavit*: הרחיב. Am. 9. 6. אגדתו: Pag. *peculium ſuum*: סגלתו. Mich. 2. 6. יסג, retroagetur, Pag. Mun. Tig. Ste. Caſt. (vt Syr. Chal. Hier.) ita interpretantur, acſi eſſet ישיג, *apprehendet*: quod ipſum videre eſt etiam Mi. 6. 14. Mich. 7. 14. Habitantes לבדד, *ſolitarie*: Piſc. habitatores *ſolitudinis*, מדבר. Ibid. verſ. 12. הר ההר: (a) *monte ad montem*: Caſt. *ad flumen à flumine*: לנהר מן נהר. Nah. 3. 18. ישכנו. Mu. Tig. Ste. Caſt. Tre. Piſc. *iacent*, ישכבו. Zach. 1. 17. תפוצינה *ſpargent ſe* (vt Hier. *affluent*) acſi eſſet, תפרצנה.

Quodſi ab exemplis hiſce patrocinium petat Cap. audaciæ ſuæ, qua liberum eſſe vult in S. Scriptura, ut in quavis alio authore, locos difficiliores ex ingenio ſollicitare, eorumque reſtitutiones & correctiones ex coniecturis moliri; ſciat, haud eandem eſſe ipſius ac iſtorum Interpretum cauſam. Interpres enim, quum omnino

aliquid dicere debeat, & vix ab eo expectari queat ut interpretetur quod non intelligit; excusabilis quodammodo est, quando non intelligens verba Authoris, quæ transferenda habet, ab iis in vicina deflectit. ast non eandem excusationem meretur, qui haud in eadem necessitate constitutus, consimilem licentiam poscit ex mera ἀξιοπιστίᾳ, ut campum liberiorem habeat grassandi hoc pacto in Sacrum Textum, & acumen suum criticum ac σοφιστικὸν in eo absque ullis repagulis exercendi & ostentandi, eumque pro lubitu fingendi & refingendi. tanto que minus iuvare eum debet magnorum istorum virorum exemplum, quia sic quoque, & quanquam apparet eos velut invitos fuisse adactos ad faciendum quod fecerunt, venia opus habet eorum factum, neque reprehensionem omnem effugere potest, siquis summo iure cum iis agere velit.

Præter duos istos modos, hactenus explicatos, quibus fit persæpe, ut Interpres verba textus originarij aliter legat, quàm revera scripta sunt, ea-que in alia affinia demutet, tametsi in ipsa eorum lectione haud quaquam erret, optime-que videat quomodo illa scripta sint; tertius adhuc restat, quo idem quoque interdum contingit. Is est, quando Interpres, minus quàm par foret gravis & religiosus, permittit sibi ludos facere in verbis authoris, ea-que ex prava animi libidine, & absque omni necessitate (quum ea nihil perplexi aut obscuri habeant, nulla-que in iis hallucinatio ipsi obrepserit) luxate, ea-que ex statu suo in alium vicinum transformare. Ad istum modum intendit digitum Reverendiss. Armachanus, Epistolæ suæ pag. 4. ubi quum de primo egisset prius, ac dixisset, *Solere non rarò ex incuria & ἀβλεψίᾳ Interpretis non modò præteriri aliquid, quod in eo quem transferendum sibi proposuit codice legebatur, sed etiam aliud pro eo, quod ibi habebatur, substitui*: transit ad hunc, de quo nunc dicere occœpi, in voluntariis paronomasiis, seu paronomasticis vocum immutationibus, situm, eumque illustrat exemplo sane appositissimo dicti illius Talmudici, ac Medraschici, *ne sic legas, sed sic*, de quo permulta Magnus Buxtorsius pater Commentarij Masorethici pag. 21. b. Sicuti enim inde constat, solere Talmudistas ac Medraschitas in exponendis verbis sacris persæpe ludere istis paronomasiis, ea-que in alia, literis quidem & sono vicina, sed significatu diversissima, deflectere; ita credibile est Interpretes quoque nonnullos, de quibus aliunde constat eos haud nimium religiosos fuisse, parilem in transferendo etiam lasciviam interdum usurpasse, præser-

tim si illi fuerint de numero iudaizantium; in quos omnino cadere hanc suspicionem, monet ibidem D. Armachanus: qui in literis suis, 30. Iunij 1652. ad me datis, explicans quid per *Iudaizantes Interpretes* sibi velit, ait se in isto numero, præter Sept. & Paraphrastas Chaldæos, censere etiam Aquilam, Symmachum, & Theodotionem.

Iam ex iis, quæ hactenus dicta fuerunt hoc Capite, manifestè apparet, quam absurde & falsò Morinus & Capellus omnem Veterum Translationum à Codicibus nostris Hebraicis variationem, in vocum affinium permutatione sitam, soli inter legendum hallucinationi vel scribarum vel Interpretum soleant imputare; ita ut oporteat illos, qui in Interpretes ipsos, non in eorum codices, omnem istius diversitatis culpam conferunt, perpetuò isthuc confugere in omnibus istis discrepantiis, ut causentur Interpretes in ipsa lectione, inque dignoscenda vocum scriptura & discernendis earum characteribus erravisse, ac falsos delusosque fuisse: quum tot alij modi dentur, quibus hoc idem evenire potuit, ut Interpretes omnia eadem scripta habuerint in codicibus suis Hebraicis, quæ nos habemus in nostris, & tamen aliter ea legerint, atque à genuinis Textus vocibus ad alias affines & assimiles transitum fecerint. Et sicuti nullus est Veterum Interpretum, de quo non suspicari possumus, absque eo ut ullam ipsi iniuriam faciamus, quod alicubi quidem erraverit in legendis ipsis vocibus ac literis, alibi verò à Textu devius abierit, atque à veris & legitimis eius dictionibus ad alias affines deflexerit alterutro istorum modorum, quos in hoc Capite explicavimus primo ac secundo loco; quum vix quisquam sit Interpres adeo doctus, peritus, religiosus, fidelis, diligens, circumspectus, atque ad munus suum attentus, cui non aliquando contingat dormitare aut falli, & quandoq; hoc, quandoq; illo istorum modorũ decipi: ita in Inter. Græcum, qui sub nomine τῶν Sept. circumfertur, omnia ista cadunt quam cumulatissime, uti & modus ille ultimo loco explicatus. siquidem Interpres ille infinitis indiciis ostendit, ac veluti clamat palam alta voce, se ab omnibus illis virtutibus, quæ ad evitandos omnes id genus errores Interpreti necessariæ sunt, & quæ vel in optimis Interpretibus non solent adeo exactæ esse, ut ab omnibus eiusmodi lapsibus eos semper custodiant, admodum mediocriter, atque adeo miserè, instructum fuisse, & nonnullis quoque earum in totum penitus caruisse. Linguæ enim Hebraicæ non nisi exiguam ac trivialem habuit peritiam, neque magnam ad-

hibuit perficiendo operi ſuo diligentiam, aut attentionem: & à ſumma illa religione ac fide, qua præditus eſſe debet omnis probus Interpres, atque unice operam dare, ut non ſenſum tantùm authoris ſui, ſed & ipſa eius verba (inquantum eius fieri poteſt, & quantum patitur genius linguæ in quam transfert) fideliter exprimat ac repræſentet, tam longe abfuit, ut iuſtam viris magnis de ſe ſuſpicionem præbuerit, permagnam iſtarum variationum partem, quæ ipſi cum Veritate Hebraica intercedunt, deditâ operâ ab eo invectam fuiſſe, tum aliarum ac graviorum, tum illarum quoque paronomaſticarum, de quibus ſolis iam per aliquot Capita agimus. Ita quidem de eo ſentit incomparabilis Armachanus, qui ſuæ in Capellum Epiſtolæ pag. 7. affirmat, *Eum accuratiorem omnem transferendi rationem conſulto neglexiſſe*: & pag. 8. *Inventa in ſuo codice pro libitu in Verſione ſua præteriiſſe*: ac pag. 9. & 10. Multiplicem plurimorũ aſſumentorum ad ſacram Hebraicæ Veritatis purpuram audaciſſime factam eſſe ab eo additionẽ, quæ aliquando non verſiculorum tantùm eſt aliquot, ſed integrorum Capitum; neque modò eum multa aliena in Textum intrudere, ſed multa ab eo demere. itemque pag. 17. *Eum quantâ potuit negligentiâ opus perfeciſſe, ac libros ſacros detractionibus, mutationibus, & additionibus ſuis ita invertiſſe, ut cum Ariſtotele dicere potuerit, fuiſſe eos ἐνδεδομένους καὶ μὴ ἐνδεδομένους. & quocunque ille id animo fecerit, conſtare, eum ab Hebraicis codicibus, qui omnium manibus tum ferebantur, certo conſilio & deſtinatâ operâ receſſiſſe.* quibus locis addendus ille pag. 12. ubi non de aliis modo mutationibus, ſed & de paronomaſticis illis peculiariter loquitur. „ In Sept. id præſtari poſſe [ut ex eorum tranſlatione demonſtre„ tur, aliter eos in codice ſuo Hebræo legiſſe, quàm nos in noſtro] „ non eſt expectandum, quibus tam multa Scripturæ, quam tranſ„ ferendam ſuſceperant, *ad libitum* & addere & demere ludus eſt. „ Et eos, quibus vocum genus, numerum, ſtatum, tempus, mo„ dum, coniugationem, & perſonam immutare, pæne pro arbi„ trio, mos eſt; à literularum vel permutatione, vel tranſpoſitio„ ne, vel additione etiam & detractione (quæ tibi variantium le„ ctionum ex tranſlatione ſumptarum Demõſtrationes ſunt) adeo religioſè ſe continuiſſe, non facilè quis crediderit. itemque iſte ex literis ipſius 7. Dec. 1652. ad me datis: *Sentio, nullas omnino varias lectiones, ne coniecturales quidem, poſſe colligi ex illo Interprete, qui nomen τῶν 70. gerit, cum iure exiſtimari poſſit, eum datâ operâ immutaſſe & tranſpoſuiſſe literas ad libitum; itidemque feciſſe, abſq;*

nulla

ulla cauſa vel cauſæ ſpecie, tot millia immutationum, additionum, & mutilationum in reliquo opere, ex mero arbitrio, & propria libidine. Neque aliter de iſto Interprete ſenſit Raymundus, celeberrimus ille, & nuperrime in hac urbe redivivus, Pugionis Fidei author; „cuius operis Parte 3. Diſt. 3. cap. 16. §. 43. ita infit: Neſcio quis „ſpiritus moverit 70. Interpretes, removere de principio præ„dicti verſus [Pſal. 22. 1.] hoc pronomen *meum*, & addere in „medio, *reſpice in me*, & mutare finem eius, id eſt, *verba rugitus „mei*, in, *verba delictorum meorum* quæ quidem tria, id eſt, ſub„trahere, addere, & mutare, in multis valde S. Scripturæ locis „eos perpetraſſe noveris. Ita etiam Maſius, præfat. in Græ„cam editionem Ioſuæ, atque annotationes ſuas, ait, Præter „Moſis legem in reliquis libris uſque adeo perverſam eſſe pluri„mis in locis illam interpretationem, quæ 72. illis ſenioribus aſcri„bitur, ut veriſimile videri nequeat, 72. viros primarios ——— „tam ineptos fuiſſe, tamque imperitos, & ab interpretandi mu„nere imparatos, atque omnino abſurdos, ut ſic hallucinaren„tur. Non enim in verbis ſolum maximos errores, tanquam ex „paragrammate natos, apparere, dum alia ſæpe pro aliis inter„pretantur, verùm etiam non rarò in bene longis verborum cir„cumſcriptionibus. Neque ſe, quos dicit errores, de illa ſcri„ptura, quæ nunc in Hebraicis eſt codicibus, iudicare ——— „Ipſas illas, quæ tractantur, res, ſæpe verborum atque oratio„num, quibus illi Int. uſi dicuntur, abſurdam diſcrepantiam ſatis „planam facere. ——— Interpretationem illam ſibi multis in lo„cis ineptiſſimam, & tantis viris plane indigniſſimam videri —— „idque non ſolum in cæteris libris, ſed & in Moſis Pentateucho. Etlicet tandem eò redeat Maſius, atque ita loquatur, acſi crederet, *multiplices illos maximoſque, & ſæpe abſurdiſſimos errores, qui paſſim in iſta interpretatione apparent, ac de quibus dubitare non patitur clariſſima veritatis lux, & qui pugnant contra omnem opinionem, non modò de 72. primariis viris, ſed de quovis uno bono Interprete; pro maxima parte deberi imperitorum hominum temerariæ audaciæ, qui tranſlationi iſti pro arbitrio vel addiderint, vel ſubtraxerint, quod eis viſum fuit; partim verò etiam librariorum culpæ atque inertiæ:* hoc tamen locum habere non poteſt, tum in plurimis aliis iſtius tranſlationis à textu Hebraico diſcrepantiis, atque παραμυθίαις, tum in illis paranomaſticis, de quibus mihi nunc cum Cap. & Mor. lis eſt, & quas ipſe Maſius appellat *errores tanquam ex paragrammate natos*, quibus Interpretes illi *ſæpe aliud pro alio interpretati ſunt;*

de quibus etiam dicit, *apparere dilucide vestigia, quæ secuti illi, in errores sunt delati.* Neque hisce reclamare cum ullo colore potest Capellus, quum ea non tantùm Armachani, Masij, Raymondi, aliorumque multorum doctissimorum virorum authoritate nitantur, & per se sint testatissima; sed ipse quoque omnis istis vitiis, cunctisque istis defectibus, de quibus hic locuti sumus, laborare istos Interpretes, aut istum Interpretem, expresse fateatur, idque compluribus locis, uti superiori quoque Capite monui, & permultis ipsius testimoniis in Epistola anticritica ostendi: & insignis illa D. Armachani *sum*, ex Epist. pag. 18. paulo ante allegata, ex ipsis Capelli verbis potiore sui parte contexta est.

Quodsi autem verum est, uti certe est verissimum, ne unam quidem istarum discrepantiarum paronomasticarum, quas videmus inter Veteres Interpretes & codices Hebraicos, posse cum ulla certitudine pro Varia Lectione ipsius Textus Hebraici venditari, etiamsi omnes illæ ab hallucinatione in legendis dictionibus ac literis Hebraicis provenirent, ac constaret Scribas Iudaicos quàm frequentissime, Veteres autem Interpretes non nisi perraro, sic fuisse hallucinatos: quanto magis id obtinere nunc debet, quum multæ ac graves rationes nobis suadeant, ut ipsam illam male legendi Hebraica aberrationem in Interpretes potius quàm scribas conferamus; & præterea tam multæ aliæ viæ se nobis conspiciendas præbeant, per quas in devia acti fuerint Interpretes, & per quas verba codicum suorum Hebraicorum, cum codicibus nostris consentientium, aliter & legere potuerint, & revera legerint quàm sæpissime, quàm ea scripta essent? Ac proinde magis ac magis dilucet ineptia & absurditas istius ratiocinationis, qua Mor. & Cap. ex eo, quòd Interpretes sic vel sic aliquid legerunt, statim concludunt, veluti rem certissimam, & de qua dubitare nefas sit, eodem modo etiam in codicibus originariis, quos illi transtulerunt, scriptum fuisse. Et quum omnes illæ Variæ Lectiones paronomasticæ, de quarum certitudine tam confidenter se iactare consueverunt Mor. & Cap. & quas solas in Apol. probandas suscepit Capellus (reliquis omnibus derelictis, atque ultro etiam condemnatis) hoc unico fundamento nitantur: negari iam non potest, quin illæ, æque ac omnes aliæ, quas tam immenso numero ex Veteribus Translationibus suo marte procudere, atque in Textum Hebraicum invehere aggressi sunt duo illi homines audacissimi, repudiandæ penitus sint, atque procul extra eum eliminandæ; quum nihil attulerint, quare eæ recipiendæ sint,

præter nudas aſſeverationes ſuas, præſidentes quidem illas, & ſumme thraſonicas ac gloriabundas, ac iterum iterumque, inſtar cantilenæ euculinæ, ad ravim uſque ingeminatas, ſed omni robore caſſas, & nulla penitus probatione communitas.

CAPVT XIX.

Duo argumenta, Morino peculiaria, ad exſculpendas ex Veteribus Tranſlationibus Varias Hebraici Textus Lectiones, excutiuntur; unum, petitum à conſenſu earum inter ſe, vel cum codice ſamaritico, contra codices noſtros: alterum, à citationibus in N. Teſtamento factis ex Sept. ubi illi à Textu noſtro Hebraico diſcordant: & neutrum iſtorum habere eam vim, quam ſibi ſomniat Morinus, clarè oſtenditur.

DE fictitiis Textus Hebraici Variis Lectionibus, quas ex Veterum Tranſlationum ab eo diſcrepantiis temere ac gratis procudit cum Morino Capellus, nihil amplius cum Capello diſputandum reſtat. quippe longe maximam earum partem non modò aperte deſerit, ſed ultro ipſemet pro ſpuriis & fictitiis condemnat in Apologia, ſicuti pluries iam monuimus. pro illis autem, quæ in levi vocum affinium atque valde invicem ſimilium permutatione conſiſtunt, ac quas ſolas (totius agminis, in Pſeudo-critica in ſcenam producti, non niſi exiguam portiunculam conſtituentes) ibi propugnandas ſumſit, unicâ duntaxat pugnatiunculâ (nim. Interpretes ſic legerunt; ergo, ſic in eorum codicibus ſcriptum fuit) probi ac validi argumenti non modò vim nullam, ſed vix ſpeciem habente, adeo ut caſſę divinationis & meræ hariolationis, quàm legitimæ probationis, nomen potius mereatur; ſicuti hactenus abunde eſt monſtratum. Sed Morinus, qui itidem iſti collectiunculæ plurimum tribuit, neque ullum aliud pro paronomaſticis illis Veterum Interpretum à Veritate Hebraica

diſcrepantiis argumentum generale uſpiam affert; habet adhuc aliud, quod ſicuti illas non univerſim, ſed nonnullas tantum ipſarum ſpectat, ita ad alias quaſvis cuiuſcunque generis variationes ex æquo pertinet, petitum nimirum à Veterum Interpretum inter ſe, vel cum Codice ſamaritano, conſenſione; quod quale ſit, nunc diſpiciendum teſtat. Vult igitur is, ubicunque contingit (quod certe contingit quam ſæpiſſime) aliquos Veterum Interpretum plures paucioreſ-ve unanimiter atque eodem modo à Codicibus noſtris Hebraicis diſcrepare, vel in iſto diſſenſu textum ſamariticum ſibi ſuffragantem habere, id *indicium eſſe evidentiſimum*, non modò libros Hebraicos iſtis in locis Varia Lectione laborare, *ac plurium Verſionum, variis ſæculis factarum, conſenſum, variis archetypis æquiparari poſſe*; ſed & lectionem noſtram, ſive hodiernam, ibi indubitanter mendoſam eſſe, atque à priſtinæ & genuinæ lectionis ſinceritate deſciviſſe. Agit de iſta re, atque iſtum conſenſum contra codices noſtros Hebraicos oſtentat, pluribus in locis, putà Exercit. ſamar. 4. cap. 3. & 5. ac 10. Exercit. Antiblibl. pag. 137. & 190. ac 291. & Diatr. pag. 46. 161. 361. 362. Quod ſi quæras, in quo iſtius argumenti vis conſiſtat, audi ipſum id ediſſerentem Exerc. ſamar. 4. cap. 5. ubi locutus de conſenſu Samaritici codicis, & Verſionis Græcæ, Syriacæ, ac Vulgatæ Latinæ; ita exclamat, *Qui fieri poteſt, ut tot nationes, locis, linguis, moribus, à ſe invicem tam diſſitæ, nullo conducto in eaſdem mendas conſpirent, eandemque pugnam omnes adverſus Iudæos inſciæ depugnent?* Ad eundem modum Exercitationis eiuſdem capite decimo, quum dixiſſet, *Innumeris in locis ſamaritanum codicem adverſus Iudæos conſentire 70. Interpretibus, quos certum ſit ex Iudæorum Hebræis codicibus textum ſuum tranſtuliſſe:* infert, *Cui credibile fiet, gentes, quæ nullo unquam vel leviſſimo commercio coniunctæ fuerunt, ſed propter perpetuum diſſidium de nomine tantum ſibi cognitæ, in corruptelam quæ neutris vel obeſt vel prodeſt conſpiraſſe?* quæ declamationes, ut hoc obiter moneam, nihil niſi fatalem & perpetuam ac penitus inſitam Morini ſtultitiam produnt. quis enim, niſi Morinus, aut aliquis Morini per omnia ſimilis, quum de pauculis hominibus loquendum eſſet, integras huc nationes advocaſſet, earumque non modo in *locis* & *linguis*, ſed & in *moribus* diſcrimen memoraſſet? præterea quam inſigniter falſum eſt, *gentes* illas, de quibus ſolis ſecundo iſtorum locorum loquitur, nim. Iudaicam & Samaritanam, *nullo unquam vel leviſſimo commercio coniunctas, ſed propter diſſidium de nomine tantum ſibi cognitas fuiſſe?* ad cuius dicti exi-

miam falsitatem revincendam, sicuti multa alia adferre possem, si operæpretium esset, ita sufficit testimonium Iosephi, positum in ipso fine libri 9. Antiqu. ac repetitum rursus in fine libri undecimi, quo docemur, solere Samaritanos, ὅταν δὲ πράττοντας ἴδωσι τοὺς Ἰουδαίους, ἐξαίφνης ἐπιπηδᾶν αὐτῶν τῇ κοινωνίᾳ, καὶ συγγενεῖς αὐτοὺς ἀποκαλεῖν, ὡς ἐξ Ἰωσήφου φύντες, καὶ τὴν ἀρχὴν ἐκεῖθεν τὸ πρὸς αὐτοὺς ἔχοντες οἰκείοτητος. Sed ut rem ipsam agamus; hoc, opinor, sibi vult per pueriles illas ac fatuas rhetoricationes: non potuisse illum inter samaritanum codicem & translationem Sept. Interpretum consensum à communi consilio & quadam velut conspiratione oriri, quũ τοῖς 70. ignotus fuerit codex samaritanus, & samaritis ignota trãslatio τῶν 70. Prius quidem concedo, quum codex samaritanus, is qui nunc est, & qui iam à multis sæculis fuit, nondum in mundo esset tempore τῶν Sept. alterum verò est falsissimum. Etenim Pseudo-messias Dositheus, qui Simoni Mago æqualis fuit, ac codicis samaritici, qualem nunc videmus, author extitit, μυρίαις νοθείαις τὴν μωσαικὴν πεντάτευχον κατακιβδηλεύσας, (uti ex Photio docet D. Armachanus, epistolæ in Capellum pag. 18.) adeo non ignotam habuit translationem illam Græcam, quæ τῶν 70. appellatur, ut magnam suarum adulterationum partem inde sublegerit; quæ non modò D. Armachani, dictæ epistolæ pag. 19. sed & aliorum magnorum virorum, interque eos Grotij (Hebraicæ Veritati haud nimium æqui, & de cuius super Pseudocritica iudicio favorabili tantopere exultat Capellus) sententia est. inde-que iam apparet, quanti ille inter Sept. & Samaritas consensus faciendus sit, & quam nihil valeat ad illud efficiendum, quod inde efficere vult Morinus. Illo igitur valere iusso, videamus de Veteribus duntaxat Interpretibus quid dicat Morinus, quare eorum consensus codicibus nostris Hebraicis adeo noxius esse debeat: & missis illis, quæ de hisce etiam æque stulte, ac de Samaritis, rhetoricatur, primo locorum modò ex Exerc. Samar. allegatorum; examinemus duntaxat ea, quæ de hoc negotio profatus est, ubi magis sobrie loqui ei contigit, nim. Diatr. pag. 361. & 362. ubi quum dixisset, *Originarium textum esse corruptum, necessariò colligitur ex variis versionibus, cum omnes à variis authoribus ex variis codicibus originariis, & diverso admodum tempore* [quasi verò id quidquam ad rem pertineat, quantum temporis inter eas intercesserit] *conditæ sunt:* vim istius collectionis ita explicat. *Fieri enim non potest, ut Sept. S. Hieron. & Syrus Interpres in eãdem additionem aut omissionem consentiant; aut si hoc contingit, oportet esse admodum rarum.* Quam

debilis sit ista ratiocinatio, vel hinc liquet, quòd id, quod prius dixit, *fieri non posse*, idem statim, & tribus tantùm verbis interjectis, fateri cogitur, aliquando saltem contingere. Sane non potest ille consensus ullius ponderis existimari, nisi ut constaret, posterioribus Interpretibus minime visas fuisse priorum translationes; aut, si eas viderunt, noluisse tamen eas sequi uspiam, ubi ab Hebraica Veritate discordabant. Istorum prius nemo dixerit, ne ipse quidem Morinus. Quanquam enim Exerc. sam. 4. cap. 5. ita loquitur, pro solita vecordia, acsi id sentiret (quis enim aliter intelligeret illa verba, ubi de Sept. Syro, & Hieron. loquens, ait, *omnes eandem contra Iudæos pugnam depugnare INSCIOS*) non potest tamen ignorare, aut diffiteri, Sept. uti & reliquos tres Interpretes Græcos, Aquilam, Symm. & Theod. omnibus post ipsos Interpretibus familiariter notos fuisse. Et Chaldæa quoque ac Syra translatio nequeunt dici Hieronymo ignotæ fuisse, quanquam omnino probabile sit, illum neutram earum unquam per sese conspexisse: nisi siquis credere potest, eum nunquam vidisse Syriacæ Translationis Interpretationem græcam, quæ tunc doctorum manibus vulgo terebatur; aut nullum ex tot Rabbinis, quibus præceptoribus ille usus est, ipsi ullam unquam de chaldaica paraphrasi mentionem fecisse. & quin græcis quoque Interpretibus Iudaizantibus oprime nota fuerit eadem paraphrasis, nullus omnino supereſt dubitandi locus: sicuti Syrum quoque Interpretem eam cognovisse, ex proclivi planum facere possum. permultos enim observavi locos in hebraico textu obscuriores, in quorum conversione duo isti, Syrus inquam Interpres & Chaldæus, à reliquis Interpretibus dissentientes, mirifice inter se consentiunt, & haud raro omnia eadem verba usurpant, idque (ne quis Morini effugio ullus hic locus sit) ubi apparet eos omnia eadem in codicibus suis hebraicis legisse, quæ nos legimus in nostris, & quæ cæteri quoque Interpretes Veteres ibi legerunt: quæ consensio sicuti interdum casu evenire potuit, ita vix quisquam credet eam toties contigisse fortuito, & absque eo ut alter istorum Interpretum alterius interpretationem inspexerit, & usurpaverit. Non possum autem quin obiter moneam, priusquam à Syriaca Translatione discedo, Capellum, quum non alia modo & abstusiora, ac viris quoque longe ipso doctoribus ignota, sed hoc quoq; ipsum, quod de conversione ipsius in Græcum dixi, ignoraret (quod sane tantus in omnibus ad Hebraicam Veritatem spectantibus criticus & antiquarius, quantus ipse videri vellet, & qui tantopere præ se

contemnit omnes ab ipso in iis dissentientes, non nisi turpiter ignorare potuit, quum tot celebres scriptores, Diodorus Tarsensis, Theodorus Mopsuestæ Episcopus, Polychronius, Procopius Gazæus, alij, toties istius Versionis meminerint) ausum fuisse laudatissimæ istius Syriacæ ex Hebraico Interpretationis antiquitatem in dubium vocare, ac dicere, *fortassit eam non nisi quarto aut quinto post Christum seculo exortam fuisse, & Syros eò usque contentos fuisse N. Testamenti translatione; vel si aliquam etiam habuerunt V. Testamenti translationem, eam fuisse ex graco τῶν 70. factam:* [Apol. pag. 56.] idque haud alio argumento, quàm duarum miserrimarum ratiuncularum, *Quòd Latinæ omnes, exceptâ Hieronymianâ, per id tempus fuerunt ex Græco, non ex Hebræo factæ:* &, *Quòd per totam Syriam eo tempore Græca lingua notior fuerit, quàm Hebraica, ita ut ex illa quàm ex ista promptius fuerit Biblia in Syriacum convertere.* Profectò etiamsi nulla prorsus argumenta nobis suppeterent, quibus, confirmaremus illam Syriacæ Interpretationis antiquitatem, quam ipsi Syri ei tribuunt; intolerabilis tamen esset audaciæ, ita futiliter contra eam argutari, ac fidem eis in suo ipsorum negotio denegare: haud minùs quàm siquis Syrus aut Persa, qui nunquam in his partibus fuisset, & rerum literarumque Latinarum in totum rudis, ut Capellus Syriacarum, vix ullum unquam librum Latinum vidisset, multo minus legisset, vellet in dubium vocare, an N. Testamenti Translatio Vulgata Latina, (quam ipse solâ famâ, eâ-que valde obscurâ, notam haberet) eius esset Vetustatis, quam homines Latini constanti traditione ei tribuunt, ac disputare, eam aliquot sæculis recentiorem esse, quàm illi existimant. Quanto autem detestabilior est ista Capelli temeritas, quum etiam validissima argumenta nobis ad manum sint, quibus antiquitas laudatissimæ istius Versionis Syriacæ inrefragabiliter demonstretur, ac longe supra illud ævum, in quod Cap. eam libens contruderet, evehatur. namque ex eo, quod modo de Græca eius versione diximus, possumus saltem in tertij sæculi cum quarto confinium eam conferre; quum unus ex iis, qui Græcam istam Syriacæ ex Hebræo factæ Interpretationis Translationem laudare solent, putà Diodorus Tarsensis, circa medium quarti sæculi floruerit. & quis non crediderit, Græcam illam Versionem tum Diodoro aliquantulum saltem vetustiorem, tum Syriaca Translatione, ex qua facta fuit, nonnihil recentiorem esse? Et ne quis dubitandi locus supersit, habent Syri complures de suaipsorum natione Patres, alios quidem citerioris ævi, alios

autem multo quam Diodorus ille antiquiores, qui & vernacule ſcripſerunt, & in ſcriptis ſuis plurima de Veteri Teſtamento teſtimonia citant; quæ teſtimonia ex Vulgatæ Syriacæ de Hebræo Tranſlationis textu deſumpta eſſe, certiſſimò conſtat, quippe quæ ἀνυπολήπτως cum eo concordant: cuius rei permulta ac per-illuſtria ſpecimina deprehendi in magno libro in folio Catenæ Syriacæ in quatuor Evangelia; cuius libri, ut multorum aliorum ſyriacorum, copiam mihi in Hibernia fecit inſtructiſſima Reverendiſſimi Armachani Bibliotheca. Sed ita protervè ſe dare, ſolemne eſt Capello, itidem ac Morino; quorum audaciæ nihil inacceſſum eſt, aut intentatum: quum nulla ſit res, utut incerta, imò improbabilis, adeo-que liquidò falſa, quam non fidentiſſime affirment; & nulla adeo conſtans & certa, quam non in dubium vocare, aut rectà etiam negare, ſuſtineant, quoties id ipſis collibuerit, & quoties perverſus ac cæcus pravæ mentis impetus eos ad id faciendum ſtimulaverit; id quod iis uſu venit quàm creberrimè. Sed ut ad rem redeamus; hoc quod de Syri & Chaldæi Interpretis in multis conſenſu dixi, viam mihi iam munit ad alterum quoque illud, quod contra Morini argumentationem in codices noſtros Hebraicos, à Veterum Interpretum contra eos conſenſu petitam, dicendum habebam. Nam ſi ille excipiat, poſteriores Interpretes vidiſſe quidem priorum Tranſlationes, nuſpiam tamen earum opera uſos fuiſſe, aut iis ſe conformaſſe: contrarium iam apparet de duobus ſaltem illis, Chaldæo & Syro. & Chaldæum quoque haud rarò, in locis difficilioribus, ubi verborum Hebraicorum mentem non ſatis caperet, ad Sept. recurrere, eorumque interpretamenta in rem ſuam vertere ſolitum, conſimilibus exemplis extra omnem dubitationem collocare potis ſum. De Theodotione quoque tantundem conſtare poteſt, tum aliunde, tum ex teſtimonio Hieronymi, qui plus ſemel nos monuit, eum ita ex Hebraico vertiſſe, ut verſionem ſuam τοῖς Sept. accommodare ſtudioſe affectaret. Et quis de Chald. Syro, Theodotione dubitaverit, quin interdum, præſertim in locis aliquid difficultatis habentibus, græcum potius τῶν Sept. quam Hebraicum textum ſecuti ſint, quũ ipſemet Hieronymus, Hebraicæ Veritatis adeo tenax, & tantus omnium in Tranſlatione τῶν Sept. inde diſſidentium contemptor, ſatis frequenter in Verſione ſua τοῖς Sept. contra Textum Hebraicum adhæſerit? hoc eum feciſſe, diſcere licet ex Commentariis eius, atque ex Quæſtionibus in Geneſin, ubi quum multa Editionis vulgatæ damnet tanquam ſuperflua, aliterve ibi quàm in Hebraico

braico habentia; compluria istorum cernere est ad eundem modum se habentia in ipsius Translatione, ac se habent, non in Hebraico, sed in Versione Græca, ab ipso reprehensa. Existimant quidem plerique, Hieronymum Versionem suam accurate ad textum Hebraicum exegisse omnibus illis in locis, ubi Sept. ab eo discordant: quæ autem nunc ibi videmus loca, Translationi Græcæ ab Hebraico deviæ conformia, ea fuisse postmodum à temerariis interpolatoribus corrupta; qui illa de Vulgata Editione Latina, ex Græco facta, desumpserint, atque in Hieronymianorum locum intruserint. & quin hoc comuluribus locis factum fuerit, nolim sane diffiteri. sed quominus credam istud perpetuum esse, impe-, dit me ipsius Hieronymi de se testimonium. Etenim præfatione „in Ecclesiastem scribit, Se librum illum de Hebraico transfe-„rentem maxime Septuaginta consuetudini se coaptasse, in his „duntaxat, quæ non multum ab Hebraico discrepabant, ut nec „novitate nimia lectoris studium deterreret', nec rursus contra „, conscientiam suam fonte Veritatis omisso, opinionum rivulos , consectaretur quod enim hic palàm testatur se fecisse in transferendo Ecclesiaste, id eum in aliis quoque libris factitasse, ut τοῖς Sept. se subinde aliquantum coaptaret, admodum verisimile videtur. Et sicut manifestum est, eum solitum interdum Editioni τῶν Sept. se accommodare; ita vix dubitare licet, quin de aliorum quoque Veterum Interpretum Translationibus hic illic tantundem factitaverit; idque non mihi tantum, sed & ipsi Capello videtur, qui libri 5 cap 11. paragr 6. affirmat. *Eum non infrequenter ab hodierno textu Hebræo discessisse, & in discessione illa secutum esse modò 70. Interpretes, modò verò Aquilam, aut Symmachum, aut Theodotionem, aut Quintam vel Sextam Editionem:* , & eiusdem libri Cap. 7 § 12 hæc de eodem scribit: Ab Hebræo „non rarò tum ultro, tum invitus discessit. & invitus quidem, „quum ex Hebræo satis commodum & convenientem sensum „exsculpi non posse existimavit. tum enim id quod optimum & „loco maxime congruum videbatur ex 70. vel aliorum Interpre-„tum translationibus, interdum substituebat. ultrò autem ali-„quando ab Hebræo discessit, autoritate vel Sept. vel aliorum „Interpretum commotus, quum ea, quæ apud illos legebat, vi-„debantur illi convenientiorem sensum fundere, quàm quæ in „Hebræo habebantur. potuit enim tunc suspicari vel vitiosum „& corruptum esse illic Hebræum codicem, aut se non satis tex-, tus Hebraici mentem & sensum capere. quæ Capelli dicta,

quantum ad ſummam rei attinet, ſunt rationi & veritati omnino conſentanea: ad quam normam ſi reliqua quoque dediſſet, non opus habuiſſem calamum in ipſum ſtringere, nec Veritatis Hebraicæ patrocinium contra ipſum ſuſcipere. Atque ex hiſce iam dilucet, quanti Veterum Interpretum conſenſus in hoc negotio faciendus ſit, & quàm inaniter eum urgeat Morinus contra codices Hebraicos, atque ad varias lectiones & depravationes inde in ipſos introducendas.

Habet & aliud argumentum ſibi peculiare Morinus, ad coarguendum textum Hebraicum variationum & corruptelarum, petitum à citationibus in N. Teſtamento factis ex Veteri; quod non omnes Veteres Tranſlationes ſpectat, ſed unicam duntaxat, putà illam τῶν Sept. atque eius pauculos duntaxat locos, ut nunc quidem rem ille tractat. Fuit enim tempus quum iſtarum citationum adminiculo uteretur Morinus ad authoritatem plane canonicam & irrefragabilem ſupra contraque codices noſtros Hebraicos Tralationi Græcæ in univerſum circumdandam: idque ut effectum daret, uolebat credi, quicquid ex Veteri Teſtamento citatur in Novo, utrobique per omnia eodem modo habere ſe debere, aut alioqui corruptionis in Vet. Teſtam. argumentum eſſe. In Diatriba quidem utrumque id præfracte negat; neque contentus negare, me ultro in crimen vocat atrociſſimis verbis, ac mendacij & calumniæ condemnat, qui in Examine ipſi id obiecerim. ſed nihil me ſuper hac re dixiſſe, quod non Veritati apprime conſonum ſit, facile videbit, quiſquis flagitioſam eius in Biblia Græca præfationem & Exercitationes Antibiblicas legerit, in quo utroque ſcripto complures occurrunt loci, æquitatem & veritatem obiectionum iſtarum abunde comprobantes. Sed eſto, nihil tale unquam dixerit Morinus, ac verum ſit id quod Diatr. pag 164. & 166. non minus audacter quàm falsò aſſerit, *Se nunquam dixiſſe, Græcam Interpretationem Hebræo textui præferendam eſſe, ex eo quod eam ab Hebræo deflectentem Apoſtoli ſecuti ſunt, ſed illis locis eſſe præferendam, & Hebræum Textum ibi depravatum:* & videamus, an hoc ſaltem conficere poſſit, quod teſtimonia in N. Teſtamento adhibita ex Tranſlatione Græca ubi ea à codicibus noſtris Hebraicis diſcordat, eos non modò Variæ lectionis, ſed & depravationis reos peragant. Ait igitur, pag. 122. & 125. *Illas differentias, quæ argumentationis apoſtolicæ vim vel penitus evertunt, vel luxant, ita ut ea iuxta textum Hebræum vel plane nulla ſit, vel debiliſſima, neceſſario demonſtrare, mendas irrepſiſſe in textum Hebræum:*

pag. 13. 154. 155 157. 164. &c.

& hoc libenter ipſi concedo. Sed quod deinde infert pag. 15. „Multis in locis manifeſtum eſſe, argumenta Chriſti & Apoſtolo„rum, ſi iuxta textum Hebræum, ut nunc legitur, examinentur, „nulla plane vi pollere, aut admodum debili; ſi vero iuxta Græ„cum textum, & 70 & N. Teſtamenti, maximam & inte„gram conſerva e: (qualia etiam garrit pag. 96. & aliis adhuc locis) hoc ve ò ei pernego. Et pernegant id mecum, quibus multo magis credendum eſt, quàm Morino, univerſa Eccleſia Latina, & Syriaca: in quarum Editionibus plerique illi loci, quos hoc argumento corruptos cauſatur Morinus, ita habentur, non ut in N. Teſtam. allegantur ex Sept. ſed uti ſe habent in textu Hebraico; cum quo concordant vel exactiſſime, & ad verbum, vel ita ſaltem, ut ab iis, æque ac ab illo, abſint illæ voces, in quibus unice ſitam Dominicæ aut Apoſtolicæ argumentationis vim Morinus aſſerit. Quanquam enim Hieronymus, in illam de Hebraici textus ſinceritate opinionem infatuatus à Rabbinis (uti Mor. æque ac Cap. de eo cenſet) potuit ita cæcutire, ut periculoſas iſtas in eo corruptelas non videret, ideo que in adornanda ex Hebræo Tranſlatione ſua eas retineret, neque in iis faceret, quod aliàs fecit plus ſemel, ubi nequaquam parilis neceſſitas eum ad id cogebat, ut tantiſper ſaltem deſerto textu Hebraico, coaptaret ſe interpretationi τῶν 70. allegatione apoſtolica tam valide comprobatæ: Eccleſia ſaltem Latina non amplexa fuiſſet Tranſlationem illam, eamque Veteri illi ex Græco factæ (qua per aliquot iam ſæcula fuerat uſa & in fide Chriſtiana inde ab exordio enutrita) prætuliſſet, in qua tot loci, bene ac ſanè in priore Tranſlatione ſe habentes, tam graviter ac periculoſe corrupti eſſent. aut ſi omnino Verſionem Hieronymianam quacunque de cauſa in uſum ſuum admittere, atque in alterius locum ſubſtituere, certum ei erat; curaſſet ſaltem, ut omnes illi loci, ita fœde corrupti, atque Chriſtianæ Religioni adeo iniurij, ut *argumentationem Dominicam & Apoſtolicam vel debiliſſimam, vel plane nullam efficiant*, in ea corrigerentur, atque ad normam interpretationis τῶν Sept. prout ea in N. Teſtamento citatur, reſtituerentur. Idemque iudicium faciendum quoque eſt de Eccleſia Syriaca, quæ ſi credidiſſet citationibus iſtis, de quibus nunc quæritur, illam vim ineſſe, quam iis circumdare nititur Morinus, vel ex Græco potius quam ex Hebraico Vetus Teſtamentum in uſum ſuum converti feciſſet; vel illos ſaltem locos, quos ibi tam miſere vitiatos eſſe allegatio Apoſtolica planum faciebat, ex Tranſlatione Græca reſtaurari atque

Exer. anti bib. 3. cap. 2. p. 129.

ſanitati reddi feciſſet. Et quæ hic dico de utraque iſta Eccleſia, Syriaca & Latina, de-que earum ſuper hac re iudicio, adeo æqua ſunt, & rectæ rationi conſona, ut nemo aſſenſum ſuum iis denegaturus ſit, niſi cui placere potuerit illa Morini aſſertio, Exerc. Anti-bibl. 6. *Eccleſiam Textum mutilum ea mutilatione, quæ validum Fidei propugnandæ argumentum eripit, approbare, & authenticum declarare:* quæ adeo veſana eſt, adeoque in Eccleſiam irreverens, atque honori eius iniuria; ut ſumma eius fœditas, dementia-que ac impudentia, à nemine ſatis poſſet pro merito exagitari: quod & D. Muiſius, ſuis in Morinum ſcriptis, conqueſtus eſt plus ſemel. Sicuti autem nemo, cuius modò mens & ratio non laboret, reperiri poterit, qui duarum tam illuſtrium Eccleſiarum iudicium temerariæ & procaci aſſertioni unius homuncionis, & quidem Morini (hoc eſt, omni vera & ſolida eruditione in totum vacui, ſed inani duntaxat propriæ doctrinæ opinione immaniter, atque ad diruptionem, inſtar ranæ æſopicæ, ſeſe inflantis) non prætulerit abſque ulla hæſitatione: ita promptum eſt, ſepoſita omni authoritate, oſtendere argumentis ex ipſa re petitis, falſum eſſe id, quod ſibi tam audacter ſumit Mor. In nullo iſtorum locorum, qui in N. Teſt. citantur ex Vetere ſecundum tranſlationem τῶν Sept. ullam talem differentiam intercedere, quæ vim argumentationis Dominicæ aut Apoſtolicæ penitus enervet, aut graviter ſaltem debilitet. In Examine Præfationis Morini oſtendi hoc illuſtri exemplo, atque in eiuſmodi loco, in quo, ſi in ullo alio, verum eſſe debebat id quod vult Morinus; nimirum in commate illo ex Pſalmi 40. Verſu 7. allegato Epiſtolæ ad Hebræos capite 10. verſ. 5. ubi quum textus Hebraicus ſonet, *aures cavaſti mihi*, Sept. id reddiderunt: *Corpus aptaſti mihi:* in qua adeo magna in verbis ipſis diſcrepantia, ſenſus tamen utrobique idem manet, quantum quidem ad principalem ibi Apoſtoli ſcopum attinet, uti dicto loco planum feci. Reclamat quidem M. in Diatr. pag. 202. & ſeqq. iis quæ in Examine ſuper iſto loco, & ſuper interpretamenti Græci ab Apoſtolo citati cum textu Hebraico conciliatione ediſſerui, idque facit admodum pervicaciter & petulanter. ſed quis noſtrum meliora, & veritati ac rei ipſi magis conſentanea dixerit, id ego cuiuſvis æqui ac cordati lectoris iudicio libenter permittam; qui me manuductore opus non habet, ad abſurditatem & futilitatem iſtius reſponſionis coarguendam. Quod autem in iſto ſpecimine præſtiti, tantundem de omnibus quoque locis, quos urget Morinus, præſtare ex facili poſſem. ſed ſigilla-

tim velle excutere, quæ in unumquemque eorum garrit Morinus, præterquam quòd prolixum nimis hic esset, & tædij plenũ (quum & numerus eorum sit permagnus, & immanis ineptiarum ac tergiversationum istius blateronis garrulitas æque ac stoliditas) ita penitus superfluum foret iis, qui expendere voluerint ea, quæ universim de isto argumento in Examine scripsi: ideoque istam discussionem omittemus impræsens, atque differemus in Vindicias locorum Singularium Sacri Textus Authentici, quas suo tempore, cum bono Deo, daturi sumus. Atque ita hoc quoque Morini in Hebraicam Veritatem telum, ex citationibus N. Testamenti desumptum, debile ac nihili, omni-que penitus acie & lædendi vi destitutum deprehenditur; æque ac alterum illud, quod ex Veterum Interpretum consensu procusum, in eam intorsit.

CAPVT XX.

Secundaria Morini & Capelli molitio in Veritatem Hebraicam, qua eius integritatem & sinceritatem universim oppugnant, excutitur; & tria illa argumenta, quibus præcipue in id utuntur (putà Negatam scribis Iudaicis ἀναμαρτησίαν: Exemplum à variis lectionibus N. Testamenti petitum: &, Variationes codicum Hebraicorum ab ipsis Judæis adnotatas) minime illam vim habere, quam ipsi volunt, clare ostenditur.

NIhil clarius est, aut probatu facilius, quàm codices Veteris Testamenti Hebraicos summa fide & diligentia per omnia retrò sæcula, inde ab Esdra ad nostra usque tempora, fuisse à Iudæis descriptos, ita ut non quidem nullæ, sed paucissimæ & minimi momenti mendæ in ullos eorum de meliore nota unquam irrepserint. Hoc tamen non modò in dubium vocare ausus est Morinus, sed & palàm negare, ac contrarium fidentissime affirmare, id-que cum acri eorum insectatione, qui id quod res est de codicibus Hebraicis, de-que eorum sinceritate & integritate, asse-

runt aut credunt. & varia commentus eſt, unde receptam de codicibus illis opinionem elevaret, ac ſuæ illi novæ fidem aliquam faceret. Atque in hoc, ut in aliis pleriſque, ſtrenuè eum imitatus eſt Capellus, nihilque eorum eſt, quæ ad cavillandam Hebraici Textus ſinceritatem excogitavit Morinus, quod non ipſe quoque uſurpet, ac ſimili modo inque eundem finem urgeat: in quo ſanè inexcuſabilior multò eſt quàm Morinus, quippe qui eodem tenore id ſemper facit, neque unquam à ſe variat in iis, quæ hac in parte contra Hebraicam Veritatem ſolet deblaterare. aſt Capelli hic, ut in aliis rebus quamplurimis, ſumme notabilis ac fœda eſt inconſtantia; quum nemo magis magnifica ſcribarum Iudaicorum fidei & diligentiæ, codicumque ab iis deſcriptorum ſinceritati, teſtimonia perhibere poſſit, quàm ab ipſo aliud agente perſæpe perhibentur: ſicuti plus ſemel tum in Epiſtola Anticritica, tum in hoc ipſo Opere, à me monſtratum fuit. Inevitabilis autem neceſſitas adegit Morinum & Capellum ad tuendum hoc paradoxon, de ſcribarum Iudaicorum indiligentia, deque innumeris & graviſſimis erroribus eorum incuriâ in libros ſacros invectis: quũ contraria ac vera ſententia abunde per ſe ſola, abſque ullo alio argumento, ſufficiat ad illam ipſorum aſſertionem, de habendis Veteribus Tranſlationibus pro totidem Hebraici textus exemplaribus, unà cum omnibus ipſius conſectariis & appendicibus, deſtruendam in totum, ac funditus convellendam. Sicuti autem id, quod de Veteribus S. Scripturæ tranſlationibus ſic dicunt M. & C. dici ne minimo quidem cum colore poteſt, ſi maneat recepta de ſcribis ac Codicibus Hebraicis opinio: ita etiamſi id, quod in contrarium ipſi moliuntur, feciſſent planiſſimum; nihil amplius inde lucrarentur, quàm utiſti ſuæ aſſertioni, de habendis Veteribus Tranſlationibus pro totidem velut exemplaribus Textus Hebraici, aliquam probabilitatem conciliarent; ſic tamen ut aſſertionem illam nihilominus demonſtrandi, ac peculiariter probandi, labor illis integer maneret. Non enim ex eo, quod probaſſent univerſim, ſcribas Iudaicos in deſcribendis libris ſacris plurimum ſemper peccare conſueviſſe, ſequeretur ſtatim, codices Hebraicos Veterum Interpretum cum tot Variationibus, ac ipſi volunt, deſcriptos fuiſſe, eoſque ita immaniter invicem, atque à codicibus noſtris, diſcrepaſſe, ut tranſlationes inde factæ præ ſe ferunt. Iſta enim nequaquam inter ſe cohærent, uti ſupra quoque, initio Capitis undecimi monui: id quod per ſe ſatis manifeſtum, plurimis inſuper exemplis confirmare poſſem. ſed unum pro omnibus

ſufficiet. In Plinij textum Latinum innumerabiles temporum ſucceſſu à librariis Variæ Lectiones fuerunt invectæ eæque perſæpe maximi momenti, & ſenſum inſigniter immutantes. Inde tamen non ſequitur, quòd Gallicus eius Interpres Pinetus, de quo Cap. 12. locuti ſumus, peculiare ſibi habuerit Plinij exemplar ab omnibus aliis immaniter diſcrepans; quale omnino eum habuiſſe oporteret, ut tranſlatio eius codici Latino, ex quo facta eſt, conformis eſſet: quum contra certiſſimò conſtet, eum infinitis in locis quàm longiſſime à Plinij verbis abire, ubi exemplaria omnia (tàm illa, quibus ille uſus eſt, quàm alia quæcunque) mirifice inter ſe concordant, aut ſaltem ita diſcordant, ut nullum eorum verſioni Pinetianæ aſtipuletur. Hoc autem ipſum, quod Pineto contigit, ut toties ac tam graviter peccaret in textum Plinij, etiam ubi nullæ vel non tales in eo variæ lectiones occurrunt, quū alioqui longe maximo earum numero undique obſitus ſit: hoc ipſum, inquam, Veteribus quoque S. Scripturæ Interpretibus contingere potuiſſet, etiamſi ita negligentes fuiſſent in deſcribenda Hebraica Veritate Iudaici ſcribæ, ac eos credi volunt Mor. & Cap innumeræque omnis generis Variæ lectiones in eam introductæ. Præterquam autem quòd iſtud paradoxum, etiamſi id planiſſimum facerent, parum iis conduceret ad ſummam rei, atque ad evincendum, quòd Interpretum antiquorum codices Hebraici eo modo invicem & à codicibus noſtris diſcrepaverint, quomodo Mor. & Cap. volunt, & quod ij nobis dederint Tranſlationes codicibus ſuis conformes; argumentis etiam ad id probandum ſumme infirmis & futilibus utuntur. neque aliis ſanè ad probandam rem ita liquidè fallam, uti potuerunt. Et ut nihil dicam de Declamationibus illis ſtultitia pleniſſimis, & ne tenuiſſimam quidem argumenti ſpeciem habentibus, quibus in hac re ita libenter paſſim M. indulget, & quæ penitus indignæ ſunt, quarum ulla vel minima ratio habeatur: reliqua quoque, quæ ipſe & Capellus pro iſto paradoxo afferre ſolent, nullo negotio & pauciſſimis verbis redargui poſſunt. Paſſim crepant, & millies ingeminant, ſcribas Iudaicos non fuiſſe ἀναμαρτήτους, nec θεοπνεύστους: quaſi verò quiſpiam ſanæ mentis de eo unquam dubitaſſet, & quaſi non eſſet longe falſiſſimum, quod haud rarò de nobis, Hebraicæ Veritatis propugnatoribus, iactant Mor. & Cap. quaſi ita ſentiremus: ſicuti longe futiliſſimum eſt, quòd urgere nos ſolent, Omnino nobis ita ſentiendum aut ſententiam noſtram deſerendam eſſe. Agnoſcimus enim, & errare potuiſſe ſcribas Iudaicos, &

erraſſe interdum. ut autem propterea agnoſcamus, quòd toties & tam graviter erraverint, uti erraſſe eos volunt Cap. & Mor. id nequaquam conſequens eſt. & quod ſæpiſſime inclamat C. tum in Pſeudo-critica, tum in Apol. quoque (pag. 92. 96. 97. 110. &c.) *Fieri non potuiſſe ſine grandi & ſtupendo miraculo, quin infiniti lapſus & mendæ in ſacros libros Hebraicos, ut in alios quoſcunque, irreperent*; qualia etiam permultis locis, tum alibi, tum præcipue in Exerc. Antibibl. garrit. M. hoc certiſſime falſum eſt. nullo enim in id miraculo opus eſt, nedum grandi & ſtupendo, ut ſcriba fidelis, religioſus, diligens, & attentus, quales conſtat fuiſſe pleroſque Hebræos ſacrorum codicum deſcriptores, librum aliquem cum nullis aut cum pauciſſimis mendis deſcribit: niſi ſi omnes illi libri *ſpectatæ fidei ſummæ fidei, fideliſſimi ſine mendis*, quorum toties Grammatici meminerunt (Gell. lib. 1. c. 7. lib. 5. cap. 2. lib. 9. cap. 14. lib. 12. cap. 5. &c.) per ſtupendum miraculum. & à librariis impeccabilibus exarati fuerunt. Quod ſi ſæpe factum eſt, ut exteros quoque ſcriptores cum nullis aut pauciſſimis mendis deſcriberent librarij; quidni tantundem credi poſſit de ſcribis Iudaicis, illis omnium ſcribarum diligentiſſimis & religioſiſſimis, abſque eo ut eos impeccabiles faciamus, aut *miraculo*, & quidem *ſtupendo*, in id opus habeamus? Et ſi unus aut alter de melioribus Iudæorum librarius potuit libros ſacros accuratiſſime deſcribere proprio marte, abſque ullo miraculo, & abſque eo ut peculiaris quidam Spiritus Sancti inſtinctus mentem atque manum eius gubernaret; potuerunt id facere plures, adeoque omnes de iſta gente librarij probi ac fideles, ut vel nunquam, vel non niſi rariſſime ac leviſſime in tranſcribendo textu Hebraico aberrarent. & omnino ſcribis, qui inſignioribus codicibus Hebraicis deſcribendis adhibiti fuerunt, hoc uſu veniſſe, ut neque ſæpe, neque graviter laberentur, teſtatur mirificus ille, atque in omnibus aliis Scriptoribus omnino inauditus, tot exemplarium per tot ſæcula conſenſus; & quod in tot millibus locorum ab Origene & Hieronymo notatorum, omnia hodieque adamuſſim ita ſe habent in codicibus noſtris, quomodo iſte in commentariis, ille verò per obelos & aſteriſcos nobis notum fecit, ea in Hebraica Veritate ſuo tempore lecta fuiſſe.

Deinde creberrime in ore habent N. Teſtamentum, eiuſque Varias Lectiones, è quibus ut aliquid in rem ſuam, atque contra codicum Hebraicorum ſinceritatem, exſculpant, magno cum ſtrepitu eas in medium adducunt, & iterum iterumque intonant

[Diatr.

[Diatr. pag. 53. 56. 57. 72. Exerc. Anti-blibl. pag. 61. 66. 127. Pſeudocrit pag 407. 574. &c.] Non minorem eſſe N. Teſta-„menti authoritatem quàm Veteris, neque minus illud neceſſa-„rium ad ſalutem, quàm iſtud: Deo non minus curæ eſſe origina-„les Novi T. libros, quàm Veteres: Si Eccleſiæ Chriſtianæ inte-„reſt, ut alterius libri ab omni menda immunes ſerventur, longe „præſtare ut libris Novi quàm Veteris Fœderis hoc privilegium „aſſeratur. ſed iſta omnia, & quæ alia in eandem ſententiam ad-modum ſanè graviter & ſeverè edicere ſolent, parum eos iuvant, neque quicquam amplius inde educi poteſt, quàm *Dictu abſurdum eſſe Chriſtiano, in N. Teſtamentum mendas irrepere poſſe, in Vetus non poſſe* id quod libenter iis concedimus, æquè ac præmiſſa illa. ſed ut inde etiam ſequatur, quod inde porro proliciunt, *Si mendæ irrepſerunt in Græcum Novi T. textum, ergo etiam in Hebræum Veteris, & quidem multo magis*, id haudquaquam iis largimur. & adeo non eſt *valida* hæc *conſequentia*, quod ipſi affirmant, ut prorſus nulla ſit. & ad interrogationem illam, *Si in N. Teſt. plurimæ mendæ irrepſerunt, quid prohibet quominus in Vetus æque multæ irrepſerint*, qua iſtam concluſionem ſuffulciunt; expedita eſt reſponſio: Quia maiorem curam & diligentiam adhibuerunt Scribæ Iudaici in deſcribendo textu Hebraico Veteris T. quàm Scribæ Chriſtiani in deſcribendo textu Græco Novi. & quàm longe ſcribas Chriſtianos à tergo relinquant ſcribæ Iudæi in ſumma iſta circa ſacrorum librorum deſcriptionem accuratione & diligentia, teſtantur innumerabiles illæ ac fœdiſſimæ corruptelæ, in Veteris Teſtamenti Tranſlationem Græcam ab iis invectæ; & infinitus mendarum numerus, quibus latinas quoque utriuſque Teſtamenti Verſiones iam inde ab antiquiſſimis temporibus commaculaverunt. Ideo-que inane prorſus ac ridiculum eſt hoc μωμολυκῆον, quod nobis intentant, *Eos qui præteritis N. Teſtamenti codicibus, illibatam integritatem ſolis Iudaicis tam animoſe vindicant, Iudaiſmum promovere, non Chriſtianiſmum.* eandem enim integritatem, quam vindicamus Veteris T. codicibus Hebraicis (quos illi contumelioſe & parum Chriſtiane *Iudaicos* appellare amant) vindicaremus etiam Græcis Novi, ſi id æquè verè facere poſſemus. neque minus Chriſtiani ſumus, quando dicimus id quod res eſt, In illos quidem pauciſſimas & minimi momenti varias lectiones omni ævo introductas fuiſſe; in hoſce autem multo tum plures tum graviores.

Præcipue autem ſibi placent in Variis Lectionibus, quæ ab

ipſis Iudæis annotatæ & collectæ fuerunt, in *Keri* & *Chetib*, diſſidiis Orientalium & Occidentalium, & ſiquæ alia ſunt eiuſdem generis; additis iis, quæ ex ipſorum Codicum Hebraicorum inter ſe comparatione ulterius adhuc colligi, vel ex variis Rabbinorum ſcriptis ſublegi queant. Has illi Varias lectiones pompatice admodum oſtentant, & de ingenti earum numero magnopere & perſæpe gloriantur. ſed quiſcunque illas introſpicere ac examinare voluerit, quod ſane factu facillimum eſt in longe maxima earum parte, nim. *Keri* & *Chetib*, (quum vix ullæ ſint paulo accuratiores Bibliorum editiones, non tantum *in folio*, ſed & *in quarto*, & *in octavo*, quæ non ea margini aſcripta habeant) veriſſimum eſſe deprehendet, quod ſupra Capite 17. monui, Varias haſce lectiones revera eſſe quàm pauciſſimas, ſiquis iis excluſis, quæ ipſam dictionum ſubſtantiam haudquaquam immutantes, leviculas tantùm earum affectiones & minutias grammaticales ſpectant, eas duntaxat in hunc cenſum recipiat, quæ circa integra vocabula verſantur. atque iſtarum paucitas intra longe minorem adhuc ambitum reſtringetur, ſiquis eas ſolummodò conſideret, quæ ipſum locorum ſenſum afficiunt, ullamque notabilem in eo variationem pariunt. Iam ex pauculis illis Variis lectionibus, verè hoc nomine dignis, iiſque ipſis perexigui utplurimùm momenti, quæ ſolæ per tot ſæcula in codices Hebraicos fuerunt illapſæ; velle argumentari pro innumeris illis, & maximis ac graviſſimis, quas in eos importare adnituntur Mor. & Cap. quis non videt, quàm hoc ſit inſubidum, & ab omni recta ratione alienum? Quum autem idipſum longe adhuc infirmius colligatur ex duobus illis aliis capitibus, de exemplo Variationum N. Teſtamenti, & de negata ſcribis Iudaicis ἀναμαρτησίᾳ; neque præterea quidquam aliud, quod quidem memoratu dignum ſit, uſpiam à Mor. & Cap. hic afferatur: manifeſtum fit, eos temere admodum & futiliter ſollicitare receptam de integritate ac ſinceritate textus Hebraici opinionem, adeo per ſe teſtatam, & tot clariſſimis indiciis ac argumentis communitam, quæ ipſis quoque adverſariis apertam & cumulatiſſimam de ipſa confeſſionem perſæpe extorquent vel invitis. & ſicuti infœliciſſime iis ceſſit primarius eorum conatus, de ſubvehendis Veteribus Tranſlationibus in dignitatem totidem exemplarium Veritatis Hebraicæ: ita æque improſpere iis cadit altera hæc molitio, quam in prioris ſubſidium advocant, & qua univerſim codicum Hebraicorum ſinceritatem oppugnant. & tamen, etiamſi omnia iis pro voto hic ſuccederent, ac totum illud,

quod intendunt, facerent planiſſimum; parum omnino inde lucrarentur, ſicuti initio huius Capitis evidenter fuit demonſtratum.

CAPVT XXI.

Si codex Hebræus ℣ 70. fuiſſet talis, qualem eum ſibi imaginatur Capellus, & Tranſlationi inde factæ per omnia reſpondens; indignus eſſet, cuius ulla ratio haberetur; quia ſic eſſet vitioſiſſimus: è qualibus codicibus non ſunt colligendæ Variæ lectiones, ſed ex probatis tantùm & melioris notæ, præſertim ubi horum magna copia ſuppetit. Mirum non eſſe, quod non videat Capellus æquitatem iſtius poſtulati, de non colligendis Variis Lectionibus, niſi ex lectioribus codicibus, oſtenditur multis & magnis exemplis, in quibus conſimilis eius ſtupor ac cæcitas eminent.

QVam irrito conatu id egerint Morinus & Capellus, *ut Veterum Sacræ Scripturæ Tranſlationum à Textu noſtro Hebraico diſcrepantiæ, vel aliæ omnes, vel illæ ſaltem in vocum affinium, & valde ſimilium levi permutatione ſitæ, pro totidem ipſius variationibus habendæ ſint*, acſi planiſſime in codicibus illis Hebraicis, unde eæ factæ ſunt, omnia ſic fuiſſent ſcripta, quomodo ipſæ præ ſe ferunt, & quæ ipſis exacte reſponderent: id ignorare aut inficiari haud poterit, quiſquis ea, quæ hactenus in contrarium à me fuerunt diſputata, ſepoſitis affectibus legere & perpendere voluerit. Sed etiamſi totum illud feciſſent planiſſimum, ut propterea concedendum illis eſſet id quod tam vehementer contendunt, & quod toties inculcat Cap. non in Pſeudocritica tantum, ſed & in Apologia (vide pag. 62. 99. &c.) *Veteres Tranſlationes pro toti-*

dem veluti codicibus Hebraicis debere cenſeri; id quod iſto caſu apertiſſime ſequeretur, & nemo iis negaret: non dum tamen inde colligere liceret id quod inde colligit Capellus, & quod paſſim in ore habet, in Apologia haud minus, quam in ipſa Pſeudocritica, quæ in hoc potiſſimum ab ipſo fabricata fuit, *Interpretibus S. Scripturæ in omnibus illis diſcrepantiis nihilo magis ad Codices noſtros Hebraicos, quàm ad Tranſlationes illas ſic ab iis diſcordantes attendendum eſſe, & ex ſolo ſenſu diiudicandum, utris potius adhærendum ſit:* in quam rem plurima Capelli dicta ſupra Cap. 3. & Epiſt. §. 5. fuerunt allata. Iſta, inquam, collectio non ita tamen expedite procederet, ſicuti Cap. ſibi imaginatur, ſaltem non pro Interpretatione Græca vulgata, quam τῶν Sept. dicunt. Nimque id, quod collectioni iſti ſubſtetnit, & pro confeſſo ſumit, ac iterum iterumque inclamat, *Codices Hebræos, quibus uſi ſunt tum alij Veteres Interpretes, tum Sept. eſſe æque fontes Hebræos, ſeu ſacra Hebræi fontis capita, & æque audiendos, ac æque magnæ authoritatis quàm codicem maſorethicum, ſive hodiernum noſtrum* (vide Epiſt. paragr. 13.) id ego ei pernego de codice τῶν Sept. qui codex ſi ſupponatur talis, qualem eum ſupponit Capellus, hoc eſt, immaniter à codicibus noſtris differens, & Tranſlationi inde factæ per omnia conformis, (cuiuſmodi codex revera eſt plane chimæricus, neque in mundo unquam fuit extra cerebrum Capelli & Morini, qui ſibimet ipſum confinxerunt, atque in ſomniis duntaxat, iiſque per portam eburneam immiſſis, eum conſpexerunt) *nulla prorſus eius ratio eſt habenda, neque diſcrepantiæ eius à codicibus noſtris, pro variis Hebraici textus lectionibus, ſed pro meris mendis ac apertiſſimis corruptelis ducendæ*, uti Epiſtolæ quoque paragr. 16 monui: idque ob rationem paragrapho eiuſdem Epiſtolæ 14 allatam, *Quia nimirum in ſcriptoribus, quorum permulta exemplaria extant non ſolent aut debent variæ lectiones annotari ex quibuſvis codicibus, ſed ex probatis, ac melioris notæ*: & *Quia in immenſa illa ac enormi diſcrepantia codicis Hebræi τῶν 70. qualem eum Cap. ſibi fingit, ac noſtri, quum evidens ſit ac neceſſarium ut alteruter habeatur pro vitioſiſſimo, de illo potius quam iſto id credendum eſſe*, multis & firmiſſimis argumentis probari poteſt, ipſe-que id exerte fatetur Cap. quam ſæpiſſime, uti plurimis ex Pſeudocrit. teſtimoniis oſtendi §. 5. Dementia enim mera foret, in quocunque Scriptore, cuius innumera extarent exemplaria emendatiſſima, optimæ-que notæ (quomodo res ſeſe habet in Hebraica Veritate) Varias lectiones in eum velle invehere, contra unanimem plurimorum illorum atque

probatiſſimorum codicum conſenſum, ex aliquo exemplari corruptiſſimo, ſive id de induſtria fuiſſet adulteratum, ut Pentateuchus S. mariticus, ſive aliter etiam, & quocunque caſu id fœdiſſime eſſet depravatum, & immenſo innumerabilium ac graviſſimarum corruptelarum agmine undequaque obſitum & oppletum; qualem fuiſſe imaginarium illum τῶν Sept. codicem Hebraicum, largitur ultro Capellus. Reclamat quidem ille, Apol. pag. 36. & 37. iis quæ in Epiſt. dixi, *de non colligendis Variis Lectionibus ex quibuſvis codicibus, ſed probatis tantum ac melioris notæ.* ſed æquitatem iſtius mei poſtulati, quam ipſe videre non potuit, aut noluit (uti neque ullorum argumentorum figmentis Pſeudocriticæ adverſantium) facile videbunt omnes cordati lectores, quorum id iudicio permitto. Et quàm nihil ſani à Capello expectandum fuerit in hac diſputatione, uti in aliis omnibus, cuivis expeditum eſt inde colligere, quod in ipſo ſtatim eius veſtibulo turpiſſime impingit, dum iſtis meis verbis, *Si codex Hebræus τῶν* 70. *fuit talis, qualem ſibi fingit Capellus, nauci faciendus eſt, itidemque codex Samariticus*; ſic reſpondet: *Alia hic eſt craſſa Booty hallucinatio. de codice nempe Hebræo affirmat, quod dicendum fuit de tranſlatione ipſa:* quæ verba profecto extremâ dementiâ laborant. neque quiſquam mortalium, niſi ipſe Capellus, aut collega eius Morinus, ita fœde delirare potuiſſet, ut diceret me in eo ſermone, quem ex profeſſo inſtitui de ipſis codicibus Hebræis, ex quibus Veteres Tranſlationes fuerunt factæ, debuiſſe de iſtis, ac non de illis loqui, & craſſe me hallucinatum, qui non id fecerim. Et poſt præclaram iſtam in dictum illud meum animadverſionem, multis in id exſpatiatur, (eadem pag. 34.) ut nos doceat, *Iis in locis, vbi Sept. alij ve Interpretes idem nobiſcum legerunt, ſed à vocum ſignificatu aberraverunt, reiicie dam eſſe tranſlationem. aſt ubi varietas fundata eſt in varia ab hodierno codice lectione, non eſſe ideo nauci faciendam, quod eorum lectio ab hodierna differt:* quorum omnium mentio hic abſurdiſſima eſt, & penitus ſtulta, ſiquis conſideret mentem & ſcopum iſtius mei ſermonis, ad quem ibi Cap. reſpondet. Ac portentoſa iſta vertigine, ut me de codicibus Interpretum Hebraicis loquentem, de Tranſlationibus intelligat, indeque occaſione arrepta, multa eiuſmodi ἀπροσδιόνυσα de hiſce garriat, circumagitur etiam totâ paginâ 35. uti & pag. 37. Sed nimirum exempla iſtius inſignis ſtuporis, ac deploratæ cæcitatis, utres diverſiſſimas inter ſe confundat, & omnia ſurſum deorſum miſ-

teat, & nihil omnino in conſequentiis ſuorum aut alienorum dictorum videat, nuſquam non occurrunt in veſana iſta Apologia, æque ac in Pſeudo-critica; Nemeſi illa violatæ tam impiè Hebraicæ Veritatis adeo Capellum exagitante, (uti etiam ſupra alicubi ſignificavimus) ut non mens ei, non ratio conſtet, & neque ea, quæ ab aliis dicuntur, capiat aut intelligat; neque quid ipſe dicat, aut dicendum habeat, omnino noverit. Hinc eſt, quod collectionem Variarum Lectionum, earumque diiudicationem, permiſcere ſolet, & canonem illum ſuum, de commodiore ſenſu, cuius nullus in hoc negotio uſus eſſe poteſt, niſi ad ſtatuendum quænam variarum lectionum, quæ revera tales ſunt ac de quibus conſtat, alteri præferenda ſit, æque adhibeat ad ipſas varias lectiones fabricandas; id quod facit tum alibi paſſim, tum in Reſponſione illa, paulo ante memorata, ad Epiſtolæ meæ §. 14. de qua pudenda eius hallucinatione ſupra cap. 3. multa fuerunt dicta. Huius etiam farinæ ſunt omnia ſequentia. Paragr. 17. ad oſtendendum, quantopere Samaritani ab exactiſſima illa Iudæorum in deſcribendis libris ſacris ſedulitate ac vigilantia abſint, aio Pentateuchum Samaritanum, Bibliothecæ Cottonianæ à D. Armachano donatum, plurimis ſcriptionis erratis ſcatere. & tamen codicem illum non eſſe plebeium, ſed unum de melioribus, chartâ pergameni æmulâ, optimo atramento, literis accuratiſſimis ——— exaratum, idque non à triviali aliquo ſcriba, ſed à primario gentis ſacerdote, qui eum Damaſci anno 764. regni Iſraelitici deſcripſerit. ad iſta pro omni reſponſo reponit Cap. pag. 39. *Si codex ille deſcriptus fuit anno Hegiræ 764. id eſt Chriſti 1370. non eſſe enim admodum magnæ antiquitatis. Ita enim ſcriptum fuiſſe ante annos duntaxat circiter 180 quæ non eſt uſque adeo magna in codice Ms. vetuſtas.*

Pſeudocrit. lib. 4. c. 15. omni ope id agens Capellus, ut omnis Græcæ Verſionis à textu noſtro variatio ſcribis Iudæis potius, quã ipſis 70. Interpretibus, feratur accepta; multis ac magnis elogiis eos ornat, aiens, *Fuiſſe homines non vulgares, ſed eximios & ſelectos, utpote ad tantum tamque inſigne opus delectos, & ad longe maximum Regem ſolemni legatione miſſos à ſummo Iudæorum Pontifice:* ad quem locum ego noto, §. 26. *fraudulenter ibi, ut alias paſſim, ita de Sept. loqui Capellum, acſi totam Scripturam tranſtuliſſent.* reſpondet, pag. 47. *Mirum ſtuporem meum hic ſe rurſus prodere, qui non videam, ipſum nomine Sept. Interpretum non tam ipſos viros, quàm Tranſlationem intelligere, quæ iſto titulo iam à multis ſæculis circumfertur* [quaſi non ipſis viris, ſed tranſlationi eorum congruant om-

nia illa elogia, dicto loco in eos collata] *Et non debere me ipſi imponere hanc legem, ut quoties locum aliquem ex Tranſlatione illa adducit, toties dicat, non, Sept. Interpretes (quod fecit compendij cauſa) ſed, Tranſlatio quæ vulgo ſub nomine* 70. *Int. venit*; multa adhuc alia in eandem ſententiam addens [quaſi ego illis verbis, quæ ibi impugnat, agerem de locis, ubi ſimpliciter allegatur Verſio τῶν Sept. quam ego ipſe ſub iſto nomine paſſim allegare ſoleo, ac non de eo loco, ubi ex profeſſo iſtorum Interpretum dignitatem amplificat quantum poteſt, & ex eorum laude ipſi Tranſlationi dignitatem quærit] Atque eadem cæcitate non potuit videre æquitatem iſtius reprehenſionis, qua eum culpo, *quod omnem Græcæ tranſlationis à codicibus Hebraicis diſcrepantiam ad duas tantum cauſas revocare ſatagat, hallucinationem vel ipſorum Interpretum, vel librariorum, qui codicem eorum Hebraum exaraverunt, quum permagna pars deſcriptoribus ipſius Verſionis imputanda ſit:* cui reprehenſioni æquiſſimæ ita reclamat, pag. 48, acſi diſcrepantias à librariis Græcis invectas nõniſi *importune & imperite* commemorare potuiſſet; quum nullus toto libro locus mentionem illarum magis efflagitet, quàm ille, ubi eam à Cap. omiſſam queror. Paragr. 44. dixi, *Si ob eam rem, quod notarum Maſorethicarum τῦ Keri & Chetib. nuſpiam meminit Hieron. concludendum eſt, eas tum nondum fuiſſe in mundo; idem quoque concludendum eſſe de Syriaca & de Chaldaica S. Scripturæ Tranſlatione, quarum & ipſarum nullam ullo, loco mentionem facit.* Reſpondet, pag. 70. Frivolum hoc eſt, „ nec eſt par ratio. Vbi B. probaverit, & tam certo demonſtrave„ rit, Hieronimi & Origenis tempore extitiſſe τὸ Keri, quàm cer„ to conſtat Tranſlationem Chaldaicam extitiſſe ante eorum tem„ pora, tum, non verò prius, agnoſcam, Hieronymi ſilentium „ non eſſe certum argumentum, τὸ Keri nondum extitiſſe ſuo tem„ pore. & quum id, quod Origenis quoque ſilentium eodem trahit, ſic diluam ibidem, ut dicam, *In omnibus Origenis operibus, quæ ad manus noſtras pervenerunt, nullum extare locum, in quo textus Hebraici examen inſtituatur*, ut proinde fatuum ſit, mentionem τῦ Keri in iis quærere: reſpondet, *Origenem quod attinet, quia τῶν* 70. *Verſionem pro authentica habebat, ſatis illi fuit S. Biblia ex ea cõmuniter explicare. non putavit ſibi magnopere neceſſariũ, ex textu Hebraico ſui temporis, locorum examen inſtituere:* quod reſponſum adeo non retundit vim obiectionis meæ, ut eam validiſſime confirmet, & quidem eo magis, ob adiunctam illam rationem, *quia τῶν* 70. *Verſionem pro authentica habebat*, quæ non modò omitti

potuit, ſed & debuit, quum ſit longe falſiſſima. & ut ineptiæ ac abſurditati iſtius reſponſi cumulum adiiciat, ſubiungit iſtud Hieronymi teſtimonium: *Origenes in homiliis ſuis, quas ad vulgus loquitur, communem ſequitur editionem. in tomis verò, id eſt, in diſputatione maiore, Hebraica Veritate ſtipatus, & ſuorum circumdatus agminibus, interdum etiam peregrinæ linguæ quærit præſidia:* quæ verba, præterquam quòd aperte revincunt illud Capelli dictum, *quòd Or. Verſionem τῶν 70. habuerit pro authentica*, ad rem omnino nihil pertinent. ſiquidem non eſt quæſtio de illis Origenis tomis, qui diu eſt quòd perierunt, ſed de ſcriptis hodieque extantibus. ſicuti omnem ſuperat ſtultitiam, quod deinde ad iſta mea verba, *Reliqui Patres* [præter Hier. & Orig. de quibus proxime actum fuerat] *græci latinique omnes, quorum quidem opera ſuperſunt, Hebraicæ linguæ penitus fuerunt rudes, ut ſtultum ſit tale quid in eorum libris quærere;* non contentus mihi obiicere Epiphanium, (cuius omnis Hebraicæ linguæ peritia in eo ſita fuit, quod Hebraicum textum græcis literis in Hexaplis aut Octaplis exaratum legere ſcivit, id quod quivis puer græcus ſex aut octo annorum æque facere ſciviſſet) ipſum quoque Hieronymum contra me adducit, aiens: *Patres Græcos & Latinos quod ſpectat, non omnes fuerunt plane rudes & imperiti linguæ Hebraicæ; Hieronymus certe & Epiphanius eam calluerunt:* quaſi verò de Hieron. quiſquam unquam dubitaſſet.

Conſimili ſtultitia & cæcitate laborant pleraq; eorum quæ diſputat contra paragr. 45. ubi oſtendi, Keri & Chetib non poſſe haberi pro coniecturis, id quod contendit Cap. quin authores earum fuerint *fungi bardi, blenni, omni doctrina, peritia, ſolertia penitus deſtituti, omnique rationis uſu, & ſenſu quoque communi carentes:* nec pro Variis Lectionibus, ut revera ſunt, quin funditus corruat Capello-morinianum figmentum, de codicibus Hebraicis tum aliorum Veterum Interpretum, tum præcipue τῶν 70. tantopere diverſis à codicibus noſtris; quandoquidem Maſorethæ illi, qui tam ſcrupuloſi atque adeo moroſi fuerunt in omnibus minutiſſimis variarum lectionum minutiis colligendis, non fuiſſent prætermiſſuri illas tot tantaſque, ex illis Interpretum codicibus colligendas omnia illa colligere, atque huc tranſcribere, piget tædetque, quum permulta ſint, & diſputatio illa (admodum prolixa, & aliquot paginas implens) ineptiis & abſurditatibus undique differta ſit. itaque ſufficit digitum ad ea intendiſſe; & reliqua iudicio Lectoris, utriuſque dicta inter ſe comparaturi, permittere: qui per ſe facile pervidebit, Capellum maxime

ineptire

ineptire tota iſta reſponſione, ei-que condignam coronidem im-
„ poſuiſſe, quando ait pag. 76. Videt iam B. ſi cæcus non eſt, va-
„ rias illas lectiones, etſi admittantur, nihil ſententiæ meæ office-
„ re ——— Sint coniecturæ illæ τῦ Keri pleræque non bonæ, ſed
„ ineptæ & reiectaneæ: quid hoc ad me? An ego eas probo? imò
„ improbo & reiicio ut ſuperfluas, ineptas, & non rarò ridiculas.

Parilis quoq; vecordia & ſtupor eminet in iis, quæ garrit contra §. 47 & 48. ubi oſtendi duo illa, *Totus receptæ punctationis apparatus eſt à Maſorethis poſt-talmudicis*, &, *Nulla prorſus ante Maſorethas iſtos fuerunt puncta, quibus vocum ambiguarum in ſacro textu vocales deſignarentur & definirentur*) quæ indiſſolubili nexu cohærere putat Capellus) facillime dirimi poſſe; idque planiſſimum feci exemplo petito à Syris, qui omni punctationis apparatu cum diu caruerint, habuerunt tamen ſemper modum legitimas vocum ambiguarum vocales deſignandi, eaſque in textu Biblico cuſto-
„ diendi. quippe quæſtiones illas, quas mihi opponit, Si ulla pun-
„ cta, vel vocalium notæ quæcunque, ante Maſorethas fuerunt,
„ cur novas vocalium figuras excogitarunt? Cur non contenti fue-
„ runt veteribus illis ——— Vbi earum veſtigium vel umbram
„ invenit Bootius præterquam in ſuo & Iudæorum ſui ſimilium
„ ſomniante & febricitante cerebro? Cur veterem legendi ratio-
„ nem immutarunt, ſi ſufficiens & idonea fuit? omnes, inquam illas quæſtiones, quibus me valide admodum premi putat, eſſe ſumme futiles & fatuas, oſtendit illud Syrorum exemplum, à me prolatum, in quo pleniſſimam earum ſolutionem invenire eſt; quum res utrobique ſit ſimillima, & plane gemina: quanquam ita vecors eſt Capellus, ut id negare audeat, atque dicere, (pag. 78.) exemplum illud parum ad rem meam facere. ſicuti æque fatuum eſt illud, quod veluti telum Herculeum ter quaterve repetit (pag. 77. 78. 79.) *Neceſſe eſſe, ex mea hypotheſi, Maſorethas infinitis in locis puncta de ſuo, & ex proprio iudicio, addidiſſe, nempe ubi antiqua vocales deſignandi ratio deficiebat; in quibus proinde nobis ab eorum iudicio & authoritate in Scripturæ intelligentia pendendum erit*: quaſi verò cuiquam, linguæ Hebraicæ vel mediocriter gnaro, ab ullius iudicio vel authoritate pendendum eſſet circa puncta vocum minime ambiguarum, & ex ſola grammatica ac linguæ conſuetudine nemini ignota; qualia duntaxat puncta, & haud alia, Maſorethas ex ſuo iudicio addidiſſe textui affirmo. neque minus abſurdus eſt, quando ſe purgat, (pag. 78. & 79.) quod non negaverit, fuiſſe aliquam ante Maſorethas rationem legendi

& intelligendi Hebraica non punctata, & ad Arcanum ſuum me amandat, ut magnum id ſecretum inde addiſcam: quaſi quiſquam ignoraret, Hebræam linguam, uti Syriacam quoque & Arabicam, expeditiſſime ab earum peritis & legi ſine punctis, & intelligi, abſque ulla hæſitatione, præterquam in vocibus punctationis ſeu pronunciationis ambiguæ; de quibus ſolis mihi cum ipſo lis eſt, omnino negante, certam fuiſſe ea legendi rationem ante Maſorethica puncta. & quum inde evidentiſſime ſequatur, arbitrariam igitur fuiſſe eorum legendi rationem, & eſſe hodieque, ſiquidem Maſorethicis pũctis non tenemur audet mihi in hoc contradicere, , dicendo (pag. 79. f.) Sic concidit, quod ille garrit, mihi-que „imputat de *arbitraria punctatione*, quaſi liberum & ſolutum cui„vis amenti & inſano per me eſſet, pro libitu, & ex mero arbitrio, „quam volet punctationem ubique infercire, ſine ſenſu & ratione. cuius contradictionis non petulantia tantum, ſed & extrema impudentia, eo eſt conſpectior, quod arbitrariam illam punctationem, quam ſibi à me impingi queritur, ita explico (pag. 57. & 59.) quòd ipſi *punctatio codicum noſtrorum authoritatis* ſit *mere humanæ, quæ proinde neminem ulterius obſtringat, quàm quatenus ſenſus commoditate ſeipſam tueri poteſt, & quam relinquere liceat, ubicunque ſenſus commoditas id ſuaſerit*: quam eſſe planiſſime eius mentem, manifeſtum eſt non modo ex mille aliis locis, ſed ex eo ipſo loco, ubi mihi adeo petulanter ac impudenter ſuper iſtare contradicit. quippe ait, pag. 80. *Se hoc duntaxat velle & dicere, Vbi dari poteſt alia punctatio, quæ ſenſum gignit commodiorem, nos iſtic non teneri neceſſario hodiernâ*. & quaſi parum ſtrenue hactenus inſaniviſſet, pergit adhuc in eadem lite mihi movenda, dicens, *Minime arbitrariam dicendam eſſe illam punctationem, quæ ſenſum gignit commodiſſimum*. neque contentus eatam iſtam rationem ſemel poſuiſſe, mox eam repetit: *non eſt ergo*, inquiens, *arbitraria ea lectio, quæ ex ſenſu diiudicatur, eo que regulatur* (quod venuſtum & plane ciceronianum verbum apprime congruit cum elegantia ſententiæ, cui declarandæ adhibetur; ſicuti cum reliqua apologia, quam plurimi per eam ſparſi barbariſmi & ſoloeciſmi valde fœdi) *imò certa eſt, & eſſe debet, atque immota*: quorum verborum fatuitas tanta eſt, ut nihil ad eam adiici poſſit. quomodo enim non eſt arbitraria illa punctatio, & quomodo certa eſt ac immota, quam ſola metitur ſenſus commoditas; de qua certe non ſolent omnes eadem ſentire, ſed alius aliter iudicare: unde fit, ut unuſquiſque prout ipſi videtur, ſive, quod idem eſt, pro arbitrio ſuo,

Hunc illumve ſenſum aut amplectatur, aut repudiet, tanquam magis minuſve commodum. Ad paragr. 49. ubi taxo intolerandam Capelli audaciam in fingendis vocibus phraſibuſque Hebraicis ac Græcis, penitus barbaris ac monſtroſis; egregie ſe reſpondere putat, quando ait pag. 81. *Ita agit B. quaſi nulla vox agnoſcenda ſit pro Hebraica, niſi quæ occurrit in hodierno textu Hebræo S. librorum:* addens, *Hoc idem eſſe, acſiquis nollet ullam vocem aut phraſin pro latina agnoſcere, niſi quæ apud Ciceronem inveniatur.* Sane nullius linguarum eruditarum omnes voces phraſeſve ſunt in libris. hoc tamen non impedit, quominus illarum linguarum periti queant meras vocabulorum locutionumve monſtra, ab hominibus maleferiatis vel quomodocunque, vel etiam analogice confícta, deprehendere, & iure damnare. Et nemo, Hebraicæ linguæ utcunque ſaltem gnarus, inficiabitur, quin revera monſtroſæ ſint ac barbaræ voces illæ ac phraſes ab ipſo confictæ, quas ego pro talibus reprehendo; uti aliæ quamplurimæ, quas pari licentia ſodalis eius Morinus commentus eſt. Neque eodem illo effugio vel hic vel ille efficiet unquam apud æquos iudices, quin prave ac barbare, ac prorſus contra naturam & puritatem latinæ linguæ locutus ſit uterque ipſorum quamplurimis in locis; quos hic appoſuiſſem, ſi id operæ pretium exiſtimaſſem. Neque enim ideo omitto, quod me terreat illa Capelli inſectatio, p 82. *Quid aliud prodit B. in his omnibus, niſi meram & miram atque inſanam carpendi, arrodendi & vellicandi pruriginem, quam omnibus cordatis expuendam & damnandam in homine iſto relinquo?* quis enim non carperet talia monſtra in tam protervo Hebraicæ Veritatis hoſte? nec verendum eſt, ne ulli cordato diſpliceat tam iuſta reprehenſio.

Productis hactenus ſtuporis Capelliani exemplis unum adhuc addam, idque per-inſigne, & omnino tale, ut clariſſime inde appareat, fatalem ei eſſe ac penitus inſitam hanc mentis hebetudinem, ut caliget atque in totum cæcutiat ad quorumcunque argumentorum ipſi adverſantium lucem, utut evidentem, & clariſſimam. Vt oſtenderem, quàm inſulſe ex Interpretum diſcrepantiis varias Hebraici textus lectiones procudat cum Morino Capellus, produxi §. 52. magnam farraginem locorum prave ab utroque converſorum, de quibus nulla eſſe poteſt dubitatio, quin omnis illa verſionis eorum à textu originario diſcrepantia, non ab eius varietatibus, ſed ab ipſorum hallucinationibus proficiſcatur. Quid ad hæc Capellus? Primò ſeiungit à ſe Morinum, ac ſic de

eo inſit pag. 84. *Si Morinus in coniecturis & explicationibus lapſus & hallucinatus eſt, quid id ad me? An teneor illius hominis σφάλματα præſtare, & an illius causâ oportet me vapulare? Præſtet ille ſuos errores, ſiqui ſunt* ——— *quid id ad me?* Vbi ſcire velim, quò pertineat affectata illa balbuties, loquendi de *coniecturis & explicationibus*, quum de locis Authorum ex una lingua in aliam convertendis & transferendis duntaxat agatur. Deinde, quod ait, *ſe non teneri præſtare Morini errores*: eſto, quando ſic vult, & deſerat ita inhumaniter hominem ſibi coniunctiſſimum in iſta cauſa, procudendi varias lectiones Sacri Textus Hebraici ex Interpretum ab eo diſcrepantiis. ſed quod putat illos errores nihil ad ſe pertinere, in eo vehementiſſime fallitur. Quandiu enim adhærebit iſti ſuo commento, iudicandi de textu originario ex tranſlationibus, pertinebunt ad ipſum omnes in transferendo errores, à quocunque Interprete commiſſi. Cunctæ enim quorumcunque Tranſlatorum παρερμηνεῖαι parilem in id vim habent, ac totidem tela ſunt ad id confodiendum & iugulandum. Cur autem, cum innumera eiuſmodi παρερμηνειῶν ſeu prauorum interpretamentorum copiam aliunde producere poſſem, ipſum potiſſimùm Capellum & Morinum delegerim, quorũ in hoc genere errores in medium afferrem; ea mihi cauſa fuit, quod non poteram iuſtius ullis aliis ad debellandum figmentum illud Morino-capellianum exemplis uti, quàm quæ ipſimet mihi ſuppeditabant. Ablegato ſic Morino, per-
„git Capellus: Me quod ſpectat, in me carpendo B. inutiliter
„& infœliciter laboravit. & inutiliter quidem, quia etſi eſſent
„male à me converſi loci illi pauci, quos B. notat, an propterea
„ſequitur, in aliis infinitis locis, in quibus varias lectiones ex In-
„terpretum diſcrepantiis colligo ——— me à vero aberraſſe? Omnino ſequitur, ex locis perperam à te converſis, pravam eſſe illam tuam rationem, colligendi varias lectiones ex Interpretum diſcrepantiis. Deinde oſtendere nititur, me infœliciter verſatum in carpendis eius παρερμηνείαις: in qua re ipſe adeo infœliciter & turpiter verſatur, ut ſimilis pervicaciæ & inverecundiæ exẽpla extra ipſum & Mor. haud facile quis invenerit. Vti enim ſupra, circa monſtroſas illas & barbaras voces & phraſes, in Hebraiſmum ab ipſo invectas, ita hic quoq; defendit illa, quę defendi nullo cum colore poſſunt, & in quibus planiſſimè ἐπ' αὐτοφώρῳ tenetur, ſicuti facile per ſe agnoſcent quivis iſtarum rerum periti: qui quum me ad id monſtratore opus non habeant, nolo iis ſigillatim diſcutiendis immorari. & ſiquis omnino iſtarum rerum unum alterumque

ſpecimen deſiderat: quum dixiſſem Chaldaicum מתמכרא, quod reddidit *venditur*, debuiſſe reddi *deſponſata*, ſiquidem *vendendi*, ſignificatio, quam iſta vox habet in Hebraico, ab ea eſt alieniſſima in lingua Chaldæa: reſpondet, *Id me non latuit: ſed ideo reddidi*, venditur, *quia hæc eſt prima & propria ſignificatio vocis Hebraicæ* מכר, *à qua illa deſponſandi deducta eſt apud Chaldæos.* & quum כלא, apud Syros nunquam ſignificet *conſumere*, ut apud Hebræos, nec quicquam ſimile, ſed *prohibere* duntaxat; pravum ſuum interpretamentum vocis נתכלון, *conſumentur*, Pſal. 18. 46. non modò excuſat, ſed & defendit velut omnino rectum, atque adeo melius, quàm ſi vertiſſet *prohibebuntur*; idque ob egregiam hanc „rationem, Quia non quadrat iſta ſignificatio cum voce Hebraica „*iibbolu*, cui illa Syriaca reſpondet: *addens*, Vnde liquet נתכלון „ducendum eſſe à כלה, conſumi, non verò à כלא *claudere*, *pro-* „*hibere*: quæ verba nonniſi à deplorata vel ſtultitia vel perverſitate proficiſci potuerunt; uti & illa, quæ gætit de תבועין, quod non modò contra genuinam verbi ſignificationem, ſed invitis omnibus Grammaticæ regulis reddidit *ſequamini*, quum reddere debuerit, *lateris*. Et poſtquam ita turpiter ſe dedit in ſingulis, æque turpem univerſo ſermoni imponit colophonem, hiſce verbis: Sic magno conatu magnas nugas egerit Bootius, ut probet „farraginem locorum Scripturæ male à me converſorum; quod „etiamſi probaſſet, nihil tamen id faceret ad rem, & quæſtionem „noſtram de variis lectionibus. Non ego nugas egero, Capelle, ſed tu nugator ſtupidiſſimus, qui non videas id quàm maxime ad rem facere, non quidem tuam, ſed meam; qui inde valide concludam, nugaciſſime te varias originarij textus lectiones ex interpretationibus procudere. & ſuetus dementiæ ſpiritus tibi dictavit ea quæ ſubiungis, *Mala mea verſio non impedit, quominus planum ſit, Interpretes locis à B. notatis aliter legiſſe, quàm hodie legitur.* quippe mala verſio tua arguit, nullo modo planum eſſe poſſe ex verſione, quomodo Interpres legerit; id eſt, quo ſenſu tu illam phraſin uſurpare ſoles, quomodo in Interpretis codice ſcriptum fuerit. *neque magis inſulſiſſimi fuerint Interpretes, ſi legentes quomodo hodie legitur, reddiderunt quomodo eorum fert tranſlatio*; quàm inſulſiſſimus tu, & ſodalis tuus Morinus, qui in locis iſtarum παραμιτιῶν, hoc paragrapho notatarum, ita tranſtuliſtis, ut factum à vobis; quum tamen longe aliter in iis ſcriptum eſſet, quam veſtra præ ſe fert tranſlatio. Pag. 107.

aſſertioni meæ æquiſſimæ, ex §. 61. *Licentiam illam, ſolicitandi ex coniecturis receptam lectionem, ne in externis quidem authoribus (multo minus in Sacris) admitti debere, niſi in re evidentiſſima*, reſpondet, *Omnino, ſi certò nobis conſtet authorem ſic ſcripſiſſe*: ac mox rurſus iſtis meis verbis, *Admiſſâ illâ immutandi receptam lectionem licentiâ, infinitis in optimo quoque authore manus admovenda erit, ſanis quidem quàm maximè, ſed quæ ſenſum duriorem gignere videantur*, ſimilia iterum reponit, aiens, *Si non certò conſtet de genuina authoris lectione, quid periculi metuitur ex coniectura* &c. ubi per fatalem ſibi ſtuporem in controverſiam vocat ipſum τὸ κατμανον. namque eo ipſo, quod dicimus *receptam lectionem* dicimus *conſtare de genuina authoris lectione, & authorem ſic ſcripſiſſe*. aut enim lectio, in qua codices, & quidem melioris notæ, conſentiunt (ea eſt *lectio recepta*) & quam nullo evidenti argumento vitij coarguere eſt (quam ego hic conditionem adhibui) facit ut nobis conſtet authorem ſic ſcripſiſſe, iſtamque eſſe genuinam authoris lectionẽ; aut nullo unquam ingenio humano id conſtare poterit in ullo authore, aut in ullo cuiuſcunque authoris loco; licebitque, quicquid tandem ex quocunque authore allegabitur, ad id excipere, Non conſtare, quòd ſic in autographo ſcriptum fuerit: quod ſane tale eſt, ut neminem mortalium, recte de rebus ſentientium, inveniri poſſe credam, qui non id ex animo deſpuat & deteſtetur. Hoc enim ſemel admiſſo, præter alia multa ac maxima mala inde in res humanas redeundatura, univerſæ Sacræ Scripturæ exitium importabitur inevitabile: neque iam authentia textus originarij in tranſlationes, ſed tam illius quàm iſtarum omnis omnino in omnibus rebus authoritas corruet, ac funditus collabetur: neque de ullo totius Sacræ Scripturæ loco poterimus affirmare, quod ſic primitus in ipſis Prophetarum autographis is ſcriptus fuerit. Et quamvis de iſto Capelli loco, de-que perniciosiſſima atque execrabili eius conſequentia, iam ſupra nonnihil dixiſſem, in fine Capitis noni; rei gravitas tamen omnino merebatur, ut eum alia occaſione hic rurſus in medium afferrem, ac condigna cenſura notans, reliquis fatalis illius & deplorati ſtuporis Capelliani exemplis ipſum accenſerem. quanquam dubitare iure licet, tum in hoc, tum in aliis hoc capite allegatis, perverſum id Capelli ratiocinationis genus non tam à cæcitate & ſtupore, quam à pravo propoſito manáſſe; neque toties & tam graviter in Veritatem & rectam rationem eum peccaſſe hac in parte, quia non videret id quod verum & rectum erat, ſed quia videre nollet.

CAPVT XXII.

Racematio in Apologiam Capelli, aliquammultos ex ea locos exhibens male ſanos, de quibus nondum loquendi data fuerat occaſio; cum brevibus in ſingulos animadverſionibus & caſtigationibus. Deinde ratio redditur, quare conſimilis in Morini Diatribam racematio omiſſa fuerit, & Capello quoque multa de iſto genere condonata.

PRæter illa, quæ hactenus de Capelli Apologia examinavi, tum ad ſummam rei ſpectantia, tum alia quædam minus principalia, quæ variis occaſionibus ſub virgulam noſtram cenſoriam venerunt: plurima adhuc alia, caſtigationis indiga, ibi reſtant; quæ ſi omnia vellem colligere, & non dico pro merito in ea animadvertere, ac fuſius ea excutere, ſed obiter tantum & velut in tranſcurſu attingere, ſicuti in pleriſque iſtorum minus principalium iam feci, multo plus chartæ & temporis iis impendendum eſſet, quàm iis impendere mihi libet. Itaque ex magno illo acervo pauculà tantum quædam, ac magis præcipua, decerpam; ea-que ipſa quàm compendioſiſſime percurram, & quoties fieri poterit, pauculis tantum verbis eorum vel abſurditatem, vel falſitatem, vel alia vitia perſtringã: nihil prorſus de iſto genere ex Pſeudo-critica, ubi ea in omnem partem ſeſe offerunt ὃσον κόνις, attingens; quia non dubito, quin magnus Buxtorfius in ſua adverſus eam reſponſione, quam indies expectamus, omnia illa quantum ſatis ſit, pro ſolita ſibi accuratione, excuſſerit. Nullum autem alium in his ordinem ſervabo, niſi ipſius libri, & pro-ut in eo percurrendo vnumquodque ſe mihi primum offeret.

Pag. 12. veluti rem magnam à me quærit, utram lectionem ſequendam putem in variis illis lectionibus *τῦ Keri* ac *Cetib*, inque iis, ubi Iudæi Orient. ab Occid. diſſident; iſtamque quæſtionem ridiculâ σκιαμαχίᾳ valde verboſam reddit: quaſi ego unquam dubitaſſem, quin in Variis lectionibus, quæ revera tales ſunt, id

ſequendum eſſet, quod commodiſſimum videretur, & *ea lectio amplectenda, quæ convenientiorem ſenſum gignit.* Quod autem inde infert pag. 13. *Quid autem totâ Criticâ aliud ſatago, quàm ut cum lis eſt de variâ lectione, utra ſit melior, recurratur ad illum canonem:* reſpondeo, Non tam hoc agis, ut diiudices inter varias lectiones, quam ut eas à te confictas in textum ſacrum invehas innumeris in locis, ubi revera nullæ ſunt. Deinde quærit, verbis proxime ſequentibus, *Si pontificius, vel quilibet alius adverſarius, litem moveat non de illis tantum V. Lect. quas ego non diſſiteor, ſed etiam de aliis, quas ipſe in Critica notavit, eaſque lectioni hodierni codicis præferant, quid illis reſponſurus ſim.* Eadem omnia reſpondebo illis, quæ reſpondi ipſi Capello, ac ſodali eius Morino.

Pag. 21. quum dixiſſet, *Etiam iis in locis, ubi Sept. non ſecus legerunt, quam nos hodie, videre eſſe frequentes eorum PVERILES & ſæpe PVDENDOS lapſus atque aberrationes à genuina vocum & phraſeon ſignificatione, & S. Scriptorum mente atque ſcopo:* id ita emollit poſtea, pag. 23. ut dicat, *Quod nolim dictum in contumeliam & contemtum tantorum virorum:* quod apponendum hic duxi, non reprehenſionis animo, ſed quia valde feſtivum mihi videtur: tum ut hinc commoneretur Capellus, potuiſſe me, ipſius exemplo, detegere ac confutare *pudendos eius lapſus*, abſque eo ut id facerem *in eius contumeliam & contemtum*, aut ex odio & livore, ſicuti mihi toties imputat, ſed falſiſſimo. Ego enim non ipſum odi (ne nunc quidem, poſtquam ita male de me eſt meritus protervâ iſtâ Apologia) ſed eius ſcripta, ea-que duntaxat in quantum maieſtatem & puritatem Divinorum Oraculorum & Sacræ Hebraicæ Veritatis violant, ac polluunt.

Pag. 29. Vt ſe purget de eo, quod dixeram de molitione eius in Hebraicam Veritatem: multis hoc agit, ut lectori perſuadeat, ſe non hauſiſſe à Mor. ea, quæ ſcripſit de *keri* &c. & de locis parallelis. Sed hic, ut alibi paſſim, extra chorum ſaltat Capellus. ego enim illam cum Morino communionem, quum ipſi obieci, diſerte ad id aſtrinxi (§. 12.) Quod is, æque ac Cap. *Veterum Interpretum à codicibus noſtris Hebraicis diſcrepantias pro ipſius textus hebraici Variis lectionibus haberi velit.*

Pag. 41. dementiſſimum illud ſuum in Pſeudocrit. dictum, *Tam nobis conſtare, imò CERTIVS MVLTO, Veteres Int. in codice ſuo ſic vel ſic legiſſe, quam ſi præſentem haberemus codicem ipſum quo uſi ſunt*, à me allegatum, & obiter taxatum, Epiſtolæ §. 19. defendere audet, idque ſub hoc prætextu, quem ipſe appellat

rationem

„ *rationem manifeſtam*, Quod varia lectio oritur ſæpiſſime ex li-
„ teratum Hebraicarum figuræ affinitate, in quibus certius multo
„ dignoſcimus ex tranſlatione, quomodo Interpretes legerint,
„ quàm ſi codicem ipſum inſpiceremus, quia inſpiciendo codicem
„ poſſemus decipi inter legendum, literam unam pro altera acci-
piendo: cuius defenſionis ſumma futilitas facillime monſtrari
poteſt. Quomodocunque enim falſiſſimum eſt, nos CERTIVS
MVLTO ex tranſlatione, quàm ex ipſius codicis inſpectione,
poſſe dignoſcere, quomodo Interpres legerit. Namque etiamſi
illa, *Interpres ſic legit*, ita accipias ut ſonant; æque tamen certo
ex inſpectione codicis, quàm ex tranſlatione, conſtabit, quomodo
Int. legerit, niſi ſi codicis literæ vel adeo pravè ſcriptæ ſint, vel
adeo exoletæ & obliteratæ, ut nullo pacto dignoſci queant; quæ
ſuppoſitio gratuita eſt, neque niſi per ſummam fatuitatem ita
univerſim adhiberi poteſt. Quod ſi verò illa, *Interpres ita legit*,
accipias in ſenſu Capelliano & Moriniano, pro, *Ita in Interpre-
tis codice ſcriptum fuit*, tunc nihil vel falſius vel ſtultius dici poteſt
iſta aſſertione. quippe ex inſpectione codicis, ſi is ad manum eſ-
ſet, neque vitioſus eo pacto, ac modò dicebamus, certiſſimo ſcire
poſſemus, quomodo ibi ſcriptum eſſet in illis locis, de quibus
quæreretur: quum ex Interpretatione poſſimus quidem certò ſci-
re in nonnullis caſibus, quomodo aliquid legerit Interpres; an
verò id ita in eius codice ſcriptum fuerit, nequaquam. ſæpiſſime
enim evenit, ut Interpretes aliquid aliter legant, quàm revera in
eorum codicibus ſcriptum eſt, idque variis modis; ſicuti ſupra
prolixe & integris capitibus diſputatum ac demonſtratum fuit.
Præterea ratio hæc, qualis qualis eſt, ad pauciſſimas tantum *va-
rias lectiones* pertinet, eas nimirum, *quæ oriuntur ex literis figura
affinibus, ac pæne ſimilibus*, uti manifeſtum eſt; neque ulterius eam
extendit dicto Apologiæ loco Capellus. Iam igitur ut in iis omni-
bus aſſertio illa, CERTIVS MVLTO ex tranſlatione poſ-
ſe cognoſci, quomodo aliquid in codice Interpretis originario
ſcriptum fuerit, quàm ex ipſius codicis inſpectione, immotæ fo-
ret veritatis (quod quàm longiſſime abeſſe oſtendi) eſſet tamen
id falſiſſimum in reliquis omnibus variis lectionibus. & tamen
Defenſ. § 17. ubi audaciſſimum illud ac ſumme inverecundum di-
ctum protulit, indefinite de quibuſlibet loquitur Variis lectioni-
bus, & non peculiariter de illis, quæ ex literis figura affinibus
oriuntur. Quare habemus hic illuſtre eius rei ſpecimen, de qua
toties conquerendi occaſionem habui, nimirum Nihil eſſe adeo

ab omni veri ſpecie alienum, imò nihil adeo evidenter & horride falſum, quod non affirmare ac defendere ſuſtineat Capellus, ut collega eius Morinus. quoties prava animi ægroti & chimæricis ſuis figmentis dementati libido id ei ſuaſerit.

Pag 45. furioſiſſime in me debacchatur, ac me *bardum, ſtupidum, amentem, fungum, ſtipitem, cæcum, vertigineſum, odio & livore ardentem* dicit, quia §. 24. dixeram, *Eum abſurde dicere, Sept. varie legiſſe puncta, quæ, ex ipſius ſententiâ, nulla erant in eorum codice*: aiens, *vel infanti obvium eſſe, quid velit, quando dicit 70. varie ab hodierno codice legiſſe puncta, nim. quod voces in codice ſuo omnibus vocalibus deſtitutas, per alias vocales legerunt, quàm quæ hodiernis punctis ſignata ſunt.* Sed ſi de vera ac proprie dicta lectione noluit intelligi ſua verba, quomodo igitur ex eo, quod 70. *varie legerunt puncta & accentus*, æque ac ex eo quod *varie legerunt literas, voces, & periodos integras*, colligit, ut facit quàm apertiſſime loco illo quem ibi reprehendo, *longe diſceſſiſſe codicem τῶν 70. à codice noſtro?* Aut igitur ſtultiſſime hoc inde collegit, ſi de lectione locutus eſt impropria: aut ſi de propria locutus eſt, ſtultiſſime dicit eos id varie legiſſe, quod legi non poterat ullo modo, quippe quod omnino ſcriptum non eſſet. Et ad interrogationem illam, *An putem enim adeo cæcum & amentem eſſe, ut exiſtimet, 70. in codice ſuo non punctato vidiſſe alia puncta ab hodiernis:* reſpondeo, Eum omnino ita loqui, aſi ita putaſſet (alioquin enim extremæ eſt dementiæ, argumentum inde petere diſceſſionis codicis τῶν Sept. à noſtro) quod cum ſit ſummæ ſtultitiæ, ius ac fas mihi fuit id pro ſtultoque abſurdo-que notare & taxare.

Paragr. 25. obſervavi ſtupendam vertiginem in verbis Capelli lib. 4. Pſeudocr. cap. 15. decernentis, *Errorem & hallucinationem, unde tanta orta eſt diſcrepantia inter hodiernum codicem hebræum, & illum quo uſi ſunt Sept. reiici debere in codicum deſcriptores potius quàm in ipſos Sept.* quem errorem quum vel diſſimulare debuiſſet, vel deprecari, utpote nulla alia medicina ſanabilem aut excuſabilem, defendere tamen aggreditur pag. 46. idque cum improba mei inſectatione, me inſimulans vel *deplorandæ malitiæ*; vel *ſtupendæ hebetudinis*, ſi verba eius non intellexi. Sed quæſtio non eſt, Capelle, an ego te intellexerim, ſed num tu perperam locutus ſis, ac præpoſtere animi tui ſenſa enunciaveris, quod feciſti quàm certiſſime: adeo quidem, ut velles nolles ea, dum defendere videri vis, tacite retractare cogereris. quippe quum ea repeteres, puduit te ea ſic retinere, quomodo ea prolocutus fueras in loco quem re-

prehendo: & quum ibi dixisses ea verba, quæ paulo ante posui; in repetitione non amplius dixisti, quàm, *Errorem, unde tanta orta est discrepantia, reiiciendum potius in codicum descriptores, quàm in ipsos Sept.* omittendo verba illa censuram meam merita, *inter hodiernum codicem Hebræum & illum quo usi sunt Sept.* Non est autem *malitiæ*, multo minus *malitiæ deplorandæ*, eiusmodi fœdos errores notare in eo homine, qui intemeratam divini Verbi castitatem tam impie temerare nihil veritus fuit, notando in eo innumeros & graviſſimos errores, non veros & conspicuos, quales ego in te noto, sed imaginarios & chimæricos, atque à teipso confictos.

Pag. 51. dicit, *Nos posse interdum plurimum debere Versioni ineptæ & indoctæ; quomodo ex crassa & inficeta Aristotelis Versione latina scholastici philosophiam excoluerunt* &c. Nemo negat, quin aliquis fructus capi possit ex Versionibus etiam ineptis: & quin ipsa illa Versio in cuius gratiam hæc à Cap. dicuntur, nim. Græca τῶν Sept. illa omnium miserrime habita & ab Interpretibus ipsis, & à descriptoribus, plurimum utilitatis attulerit & Iudæis Hellenistis, & Christianis, qui ea usi sunt; quod & D. Armachanus monet Epist. pag 17. Sed inde nequaquam sequitur, quod inde Cap. infert (pag. ead.) *Posse ex ea demonstrari authores eius, aliter legisse* [i. e. ex Capelli mente, *scriptum habuisse*] *in codice suo Hebræo, quàm hodie legimus in nostro* id enim ex optimis quoque trãslationibus contra consensum codicum hodiernorum demonstrari nusquam cum ulla certitudine potest, uti supra prolixe & evidentissime ostendimus, nedum ex illa omnium infœliciſſima.

Dictum illud Capelli, *Totam Ecclesiam Christianam sola Versione* τῶν Sept. *per aliquot sæcula usam fuisse, neque alia uti potuisse* (ad quod usurpandum præivit ei in multis locis Morinus suus, ut Diatr. pag. 172. & 141. Exerc. Antibibl. pag. 4. &c.) manifestæ falsitatis revici (§. 36.) ex eo quod *Ecclesia Syriaca, tam nobilis ac tam late patens Ecclesiæ universalis pars, & tam vasta terrarum spatia occupans, suam ab initio habuit translationem, ex Hebræo factam, ut & aliæ multæ ad Austrum & Orientem nationes:* quæ vera esse, difſiteri non potuit Capellus, unde & mutavit stilum pag. 92. dicens, *Quod Ecclesia Christiana longe maxima pars per multa sæcula eâ solâ translatione usa est.* & nihilominus adnititur pag. 56. defendere „ falsum istud dictum, aiens, Quod sicut Imperium Romanum „ passim τῆς οἰκουμένης nomine appellatum fuit, etiamsi id vix sextam „ τῆς οἰκουμένης partem occupavit; ita ipse non fuit carpendus, si to„ tam *Eccl. Christ.* vocat eam, quæ per totum Imp. Rom. sparsa

, fuit. Sane hic fatendā habeo hebetudinem meam, quippe cui absque Capello monitore nunquam in mentem veniſſet, *totam Eccleſiam Chriſtianam* ſignificare tantùm *eam Eccleſiæ Chriſtianæ partem quæ per Imp. Romanum ſparſa fuit.* Sed ut hoc ei daretur, ſic quoque falſum erit id dictum. quippe intra Imp. Rom. erat Syria univerſa, nequaquam contemnenda eius portio, utpote *quōdam terrarum maxima*, ut Plin. lib. 5 cap. 12. de ea loquitur. Et ut longe minor fuiſſet quàm revera erat, adeo-que exigua, ac eam Cap. credi vellet, quando ait, *Quanta illa Eccleſiæ pars fuit, ſi comparetur cum reliquis Imperij Rom. provinciis & regionibus;* tamen adhuc falſum manebit, quod de *tota Eccleſia Chriſtiana* dixit, niſi primæ iſti coarctationi, intra limites Imperij Romani eam compellenti, altera etiamnum ſuperaddatur coarctatio, ut nomine *Eccleſiæ per Imp. Rom. ſparſæ* intelligenda duntaxat ſit *maior pars Eccleſiæ per Rom. Imperium ſparſæ:* quæ coarctatio eo magis neceſſaria, eo-que maior erit, inquantum non Syri tantum, ſed & Arabes, & Ægyptij excipiendi erunt, ipſi quoque intra Rom. Imp comprehenſi, & nationes haud quanquam ſpernendæ aut puſillæ; quanquam πολλοῖσοι noſtro Capello, ut ſodali eius Morino, quando *totam Eccleſiam Chriſtianam primis quinque ſæculis ſola Verſione τῶν Sept. uſam affirmant*, nec per ſomnium eæ in mentem venerunt, ne poſt admonitionem quidem illam meam, de *multis ad Auſtrum & Orientem nationibus*, quæ ſuas ex Hebræo tranſlationes habuerunt, æquę ac Syri. Quòd autem Capellus, ad colorandam adhuc melius iſtius dicti falſitatem, eouſque impudentiæ vela laxat, ut audeat in dubium vocare, an omnino talem antiquitus Tranſlationem Syri habuerint; de eo nihil hic dicam, quum id cap. 19. ampliter excuſſerim.

Pag. 57. animadverſioni meæ in id quod dixerat *de autoritate Verſionis τῶν 70. ἀναντῤῥήτῳ apud ipſos Iudæos Hebraiſantes*, ita reluctatur, ut nihil tamen ei opponat, præter frigidas quaſdam ratiunculas, & apertiſſimas principij petitiones. Quod autem eadem pagina paragr. meo 38. quo eum taxo, quòd aſſeveraverit, *Abſque Tranſlatione τῶν 70. nullam fore iam, aut perexiguam, linguæ Hebraicæ cognitionem*, reclamat hiſce verbis, *Nec videt miſer ille cæcus, lippitudine animi laborans, hæc à me dici non reſpectu Iudæorum, ſed Chriſtianorum:* in eo non tantùm ſummam animi impotentiam, ſed & extremam ac plane Capellianam impudentiam prodit: niſi ſi Chriſtiani ac non Iudæi, fuerunt Onkelas, Ionatham, & Aquila, quos æque ac Symm. Theodot. &

Hieron. ait §. 2. Capitis illius, quod ego illic examino, & quod eſt decimum libri ſexti, *Linguæ Hebraicæ quam habuerunt cognitionem, potiſſimum hauſiſſe, aut certe confirmaſſe, ex Græcæ illius Tranſlationis cum Hebræo textu collatione.* & ſi iſta non ſatis conſpicuam reddunt rabioſæ iſtius defenſionis impudentiam, nemin m de ea , dubitare ſinent iſta ex §. 3. verba: Quodſi Veteres Interpretes „ illam quam habuerunt Hebraicæ linguæ cognitionem, debent „ maxima ex parte Veteri illi Tranſlationi Græcæ τῶν 70. multo „ magis eam illi debebunt cæteri qui ad noſtra uſque tempora ſe- „ cuti ſunt IVDÆI, aut certe in ea cognitione confirmati ſunt „ ex codicis ſui Hebraici cum Græca illa τῶν 70. vel Latina S. , Hieronymi Verſione.

Pag. 60. & tribus ſequentibus in omnia ſe vertit, ut ſeſe extricet ex cœno portentoſæ iſtius aſſertionis, à me caſtigatæ §. 40. qua *Hieronymo attribuit, quod duos agnoverit textus Hebraicos, quorum ille, quem Sept. ſecuti ſunt, ab altero illo innumeris in locis diſſentiens, fuerit conſentaneus autographis Prophetarum; proinde-que ille, qui ipſius tempore extabat, ſpurius atque corruptiſſimus.* ſed omnia, quæ pro ſe affert in miſerabili illa Defenſione, ne minimam quidem vim habent, quominus fœdiſſimum & ſumme pudendum ac deteſtabile ſit hoc mendacium: quum certiſſimum ſit, ac notiſſimum, Hieronymum nihilo magis, quam Armachanum, Buxtorſium, aut me, quippiam tale ſenſiſſe. Et quum parili impudentia illud Proteſtantium dictum, omnia *ad hebræum textum examinari & emendari* iubentium; itemque illud Hieronymi, Auguſtini, atque aliorum Veterum Patrum, *Recurrendum eſſe ad fontes, atque ex iis repurgandos interpretationum rivulos*, in ſenſum detorſiſſet menti eorum ex diametro contrarium, uti §. 41. indicavi: audet pag 64. perſtare in immani ac pudenda illa detorſione, eamque iis ultro imputare, acſi magnam eâ gratiam ab iis iniviſſet; & hanc eius reddere rationem, inſolentiſſimæ arrogantiæ & petulantiæ in , ſummos illos viros pleniſſimam: „ Se illos interpretari accommo- „ date ad ſententiam ſuam non ad meam, quia nolit tantos viros „ mecum PVERILITER DESIPERE, & tam abſurdam „ ſententiam ſequi: & ſi ego oſtendam, eorum verba ſecundùm „ ſenſum meum eſſe intelligenda, ſic fore ut oſtendam eos unà mecum INSANIRE: quibus verbis apertiſſime, & abſque ullis ambagibus, edicit omnes tum Patres tum Proteſtantes, qui voluerunt Tranſlationes ad fontes Hebræos, quales illi in noſtris codicibus continentur, examinari & emendari, non modò *abſur-*

dam ſe qui ſententiam, ſed & *puerilitèr deſipere*, atque adeo *inſanire* quam fœdiſſimam ac ſumma execratione dignam Capelli proterviam in Appendice quoque Epiſtolæ meæ, pag. 99. obiter notaveram.

Eadem pag. 64. audet defendere duo aut tria alia ſua de Hieronymo mendacia, *Quod nullam in ſui temporis codicibus Hebraicis diverſitatem agnoverit: Quod non contulerit inter ſe plures codices Hebræos: & Quod unicum tantùm habuerit codicem Hebræum*; quãquam omnia iſta §. 42. manifeſtæ falſitatis à me fuerunt convicta. Et quum egregiam iſtam defenſionem, præcedentibus per omnia ſimilem, ita orſus eſſet: *Quaſi verò multum interſit Reip. literariæ, vel cauſæ noſtræ de variis lectionibus officiat, ſi Hieron. unum duntaxat, vel duos aut tres habuerit codices Hebræos* (cui cavillationculæ reſpondeo, Non quæri, an interſit, ſed an verum ſit id, quod ipſe ita audacter ſuper iſta re affirmavit) audet me culpare quod *unicum* intellexerim *præciſe de uno duntaxat ſingulari codice*, quum debuerim intelligere *unum aut duos, hoc eſt, non multos*: quod ſane eſt novum arithmeticæ genus, omni antehac ævo inauditum, & plane Capello dignum; qui conſimiliter nos docuit paulo ante, *totam Eccleſiam Chriſtianam*, ſignificare illam duntaxat Eccleſiæ Chriſtianæ partem, quæ per Imperium Romanum ſparſa erat, eãque ipſam non omnem, ſed eius tantùm portionem quandam. Et acſi parum ſæpe aut parum ſtrenue hactenus mentitus eſſet, haud veretur dicere, quod *Quando obſervat Hieron. Sept. aliter legiſſe, quam in codice Iudæorum legebatur ipſius tempore, hoc eſt obſervare variam lectionem inter codices Hebræos*; id quod eſt longe falſiſſimum, & revera, & ex mente Hieronymi. ſed nimirum in hoc quoque ut in aliis pleriſque figmentorum & mendaciorum monſtris, exacte ſibi convenire voluit cum Morino ſuo, qui impudentiſſime idem hoc, quod hîc Capellus, Hieronymo affingere ſuſtinuit plus ſemel, uti ſupra declaravimus. *Hieronymum nullam in codicibus Hebraicis ſui temporis agnoviſſe diverſitatem*, falsò dixiſſe cenſenduserit Capellus, ſi vel unicum tantùm in contrarium produci poſſet exemplum; ipſo ne quicquam ſe tuente (pag. 65.) proverbio illo, quod *Vna hirundo non facit ver*. ſicuti enim id verum eſt, ita omnino mentitus fuerit, qui dixerit, nullam advenisſe hirundinem, quando vel una tantùm advenit. & loco illi ex commentariis in Habacuc, addo nunc alterum ex Epiſt. ad Suniam & Fretellam; ubi ad Pſal. 34. 35. 10. ſic ait: *Sciendum, quòd multa ſunt exemplaria apud Hebræos, quæ ne ſemel quidem* Domine *habent.*

Quare autem ita paucas Hebraici textus variationes annotaverit Hieronymus, ea causa est, quod omnino paucæ extabant. Quæ autem subiungit porro Capellus, ut tueatur suam illam assertionem, *Quod non contulerit plures codices Hieronymus* ex pertinacissima pervicacia, absurdis tergiversationibus, inepti argutationibus, & apertis principij petitionibus tota contexta sunt: quæ velle sigillatim demonstrare, esset de lectoris ingenio desperare, quum ea per se manifesta sint cuivis animum advertere volenti. Et talibus fœditatibus differtæ itidem sunt undique illæ de *Sebirim* & de *Keri* disputationes, quæ deinde sequuntur, à pag. 66. ad pag. 76. de quibus disputationibus nonnulla delibavimus in capitib. præcedentibus (De *Sebirim* quidem in 18. & de *Keri* in 20.) unde de universis iudicium quodammodo ferri possit.

Pag. 82. ut se purget de eo, quod *schegal* vertit *concubinam*, cum id *uxorem legitimam* significet, eamque non quamvis, sed Regis duntaxat (quod & docuit in Dict. Buxtorfius patet, שגל: *coniux, uxor ——— dicitur autem tantùm de Augusta sive regina, aut regia coniuge*) sic infit: Quod carpit, quod שגל reddiderim „ *concubinam*: satis scio in Scriptura usurpari in honesta significa„ tione pro *uxore* legitima. sed cum verbum שגל significet *actum* „ *ipsum venereum*, quidni potuit Interpres existimare, nomen „ *schegal* primò quidem *concubinam* significare, quæ libidinis gra„ tia assumitur, & legitimæ uxori superinducitur. Siquis Interpres ita existimavit, is in hoc fecit stultissime; quum summe stultum sit, notas & receptas vocabulorum significationes ex etymologia sollicitare, ac immutare; multoque magis si vocabulum à genuino significatu non in alienum duntaxat, sed in contrarium, ut hîc, pervertatur. Sed Interpres ille, in quem hæc cadunt, est ipse Capellus, qui absurditati istius defensionis suetam sibi falsitatem immiscens, pro se substituit Interpretem, in cuius caput à suo fœdæ istius perversionis culpam derivaret. Nullius enim Interpretis fit mentio in eo loco Pseudocriticæ, ubi de hoc agitur (qui est lib. 3. cap. 6. §. 2) sed ex propria persona diserte & affir„ manter, non velut conjectans aut addubitans, pronuntiat ibi „ Capellus, quod *Schegal* significat proprie *concubinam*, quæ non „ prolis suscipiendæ, sed libidinis potius explendæ gratia legitimæ „ uxori adiungitur.

Pag. 86. ad concessionem meam §. 53. *Fieri posse, ut in aliquibus illorum locorum, ubi Vet. Interpr ab Hebraicis codicibus diversi abierunt, aliter scriptum fuerit in eorum exemplaribus, quàm nostris,*

lætabundus exclamat, veluti invento aliquo ἐφυδίῳ, *Hoc verò eſt, quod ego præcipue totâ meâ criticâ contendo*; quaſi verò de eo dubitare poſſet quiſquam, qui ſacrum illum librum vidiſſet. Sed intempeſtivæ illi lætitiæ ſuffragines ſuccidunt verba mea proxime ſequentia: At id, quod fieri potuit, pro facto habere, ac pro certo & indubitato oſtentare, haud alio argumento, quam quia „ fieri potuit (ſicuti omnis Capelli demonſtratio neceſſariò tandem eò recidit) hoc verò hominis eſt nimium ſibi ac ſuis commentis tribuentis. Ad id enim, quod Cap. opponit: *Verùm non modò fieri id potuiſſe, ſed etiam reverà factum id fuiſſe infinitis pœne in locis, oſtendo Variis illis lectionibus, quas in Critica noto*, parata eſt reſponſio, *Non oſtendis, ſed te oſtendere ſomnias*; planiſsimè ſimilis Athenienſi illi, qui omnes naves Piræi portum ſubeuntes, omneſque in iis merces, ſuas eſſe, ac proinde ſe ditiſſimum, ſuaviter delirabat: aut etiam illi Argivo *Qui ſe credebat miros audire tragœdos, In vacuo lætus ſeſſor plauſorque theatro*: in hoc tantum iſti diſſimilis, quod huic tandem Ellebori unus alterve hauſtus morbum expulit, id quod tota Anticyra in tuo non præſtiterit; quippe qui altiores in cerebro tuo radices egit, quàm ut unquam inde rurſus evellatur. Et cum umbra tua pugnas pag. 87. quando petis, *Vt ſi non poſſum aliam tantæ diverſitatis cauſam reddere, agnoſcam tuam, variam ſcilicet lectionem*. ego enim in diverſitatibus paronomaſticis, de quibus ibi agis, minime nego, aut unquam negavi, *variam lectionem*, ſed non qualem tu fingis, variam lectionem Interpretum cum variante ſcriptura codicum confundens. Ideoque, etiamſi *variam lectionem* in huiuſmodi locis agnoſco, longiſſime tamen ab eo abſum, ut faciam quod ibidem poſcis, *cedam ſententiâ meâ, ac tuæ accedam*. quippe certiſſimò mihi conſtat, te turpiter admodum falli, quando eâdem pag. 87. iactitas, *Ex Critica ſatis liquere poſſe, infinitas demonſtrari in textu Hebraico ex Vet. Interpretibus Varias lectiones*. adeo enim ibi non demonſtraſti in textu Hebræo infinitas eiuſmodi Varias lectiones, ex Veteribus tranſlationibus procuſas, ut ne unicam quidem (& quidem *unicam* meo ac omnium ſenſu, non tuo, cui *unicus* ſignificat *aliquammultos*, uti ſupra notavimus) demonſtraveris; niſi ſi demonſtrationis locum tenere poteſt mera ac futiliſſima hariolatio, uti certe tenet apud te, atque apud Morinum tuum, ſed haud quaquam apud cæteros mortales, quotquot non iuxta vobiſcũ deſipiunt ac inſaniunt. Et ad ea verba, quæ porro ſubiungis pag. 88. „ Sed Bootium, ſi deinceps pergat adverſus tantam, in hoc argu-

„ mento,

„mento, Criticæ lucem oculos claudere, ne perſpiciat Veritatem „in ea lucentem, ſiquis dicat *ſponte eum cacutire*, neſcio an de „eo, tanquam de iniuſto probro, conqueri poſſit: reſpondeo, Me non tam queri de eo tanquam de iniuſto probro, quàm magis ac magis hiſce verbis confirmari in ea opinione, ut credam, penitus inſanabilem eſſe hunc animi tui morbũ, quo deliriis tuis, & chimæris à te confictis, tantum tribuis, & tantopere delectaris, ut inſtar alterius Ixionis Iunonem te putes tenere, quum nihil niſi nubem ac fumos teneas; & eadem imaginationis depravatione inſignem quandam ac clariſſime ſplendentem lucem in Critica tua conſpicias, quum ibi *Omnia noctescant tenebris caliginis atræ* (ut Poetæ Furij verbis utar) neque plus ſplendoris aut lucis ibi compareat, (quantum ad hoc negotium attinet, de variis textus Hebraici lectionibus, procuſis ex Veteribus Tranſlationibus) quàm in loco illo, quem nobis deſcribit Iobus duobus ultimis Capitis tertij verſiculis; aut quem pingunt verſiculi illi in primo Tuſculanarum, *Acherontia templa alta Orci, pallida, Leti obnubila, obſita tenebris, loca: Vbi rigida conſtat craſſa caligo inferûm.* Et poſt confoſſam tot tantiſque argumentis ac iugulatam penitus Pſeudo-criticam, uti à me in Epiſtola factum, adhuc de eius luce gloriari, hominis eſt in totum ἀπηλγηκότος in deliris ſuis figmentis, & qui veriſſime id apud ſe decreverit, quod non niſi ludens de ſe dicebat Horatius: *Prætulerim ſcriptor delirus inerſque videri, Dum mea delectent mala me, vel denique fallant, Quàm ſapere & ringi.*

Pag. 96. quum dixiſſet, *Inevitabile eſſe, ut inter tranſcribendum non irrepant in cuiuſvis generis libros infiniti lapſus & menda*, ſubiungit, *Multo minus ab ea calamitate immunes eſſe potuerunt libri ſacri Hebraici, quàm ulli alij*: quæ verba priuſquam proferret, crederem eum ſtrenue frontem perfricuiſſe, niſi iampridem callum ea contraxiſſet, & quidem duritiei plane ſaxeæ, adeo ut nulla amplius perfricatione opus habeat. Quis enim, qui non eſſet unus de impudentiſſimis omnium mortalium, auderet ſubſidio frigidæ & ineptæ alicuius ratiunculæ (qualis eſt illa pro ſtupendo iſto mendacio ibi allata à Capello, *quod libri ſacri hebraici longe ſint quàm plerique alij difficiliores intellectu, & ob literarum multarum affinitatem tum ſoni tum figuræ*) in dubium vocare, atque adeo, ut fecit hic Capellus, in contrarium vertere rem illam, de cuius veritate palàm conſtaret toti Mundo, ac pro qua ipſe centies teſtimonium dixiſſet? In nullum enim librum tam pauca per tot ſæcu-

la irrepserunt σφάλματα, ac in codices Hebræos, uti ipsum Capellum prolixe ac sæpius fatentem audivimus Epist. parag. 15. & tamen hic ausus est dicere, nullos unquam codices à mendis inter describendum minus immunes fuisse aut esse potuisse: quod plane idem est, acsi diceret, nullos unquam libros vitiosius ac cum pluribus mendis fuisse descriptos.

Pag. 105. edicit, *Codices omnes hodiernos iudaicos pro unico duntaxat exemplari textus Hebraici habendos & censendos esse:* quæ assertio, etiam in Pseudo critica sæpius prolata, & in se stultissima est (quid enim magis fatuum dici à quoquam posset, quam innumera libri alicuius exemplaria, per universum mundum sparsa, & diversissimis tum locis tum temporibus exarata, habenda pro unico tantùm exemplari) & rationi æquè stultæ inædificatur à Capello. Namque ut verum esset, quod ille gratis postulat, *Omnes hodiernos codices descriptos aut correctos ex uno exemplari in quo Ben Ascher per plures annos laboraverit;* quis non videt, unicum illud exemplar plurimorum exemplarium vim habere, quum in eius descriptione & recensione magnus numerus optimorum codicum adhibitus, & siquæ inter eos differentiæ occurrebant, illæ studiose ac fideliter in eo adnotatæ fuerint.

Pag. 109. ait, *Me intactam reliquisse Criticæ Defensionem, quam Buxtorfio opposuit:* quod quale sit, omnibus iudicandum relinquo, quibus Epistola mea Anti-critica ad manum fuerit; in qua poterunt videre permultas & sæpe bene longas πρωτ, ex Defensione illa passim allegatas, & confutatas: ut hinc quoque idem, ac è tot tantisque aliis speciminibus, manifestum evadat, Capellum nihil pensi habere, quid deblateret; ac in more ei positum esse, ut quicquid in buccam venerit, id temere effutiat, ac chartis illinat, nullâ omnino curâ tactus, quàm falsum id sit, & quàm procliviter falsitatis coargui queat.

Atque ita finem habeat ista in Capelli Apologiam racematio (non uvarum, sed בְּאֻשִׁים, aut si uvarum, certe talium, quales nobis describit Moses Deut. 32. 32. & è quibus haud aliud vinum exprimas, quàm quod ibidem vers. 33 memoratur, putà merum pus & venenum) cui expectari posset ut aliam consimilem ex Mo mo adiungerem, si non in omnia eius scripta, quod sane immensum foret, saltem in Diatribam. sed me iam tædet ingratissimi laboris, in versando ac comportando tantum cœni ac sordium: quæ ipsa mihi causa fuit, quare in Capello quoque longe plura omiserim quàm attulerim, neque quicquam istius generis ex

Pſeudo-critica hic attingendo, & in ipſa quoque Apologia eiuſmodi quamplurima prætereundo. Et ſi quis miretur, quomodo in animum inducere potuerim, ut talia tam multa Capello, & omnia Morino condonarem, atque ita ampliſſimam eos exagitandi materiam, quam mihi ultro ſubminiſtrarunt, ex manibus volens amitterem: is ſciat me affectibus humanis, qui me eò trahunt, nolle indulgere, quia mihi nullum cum ipſorum perſonis bellum eſt (ne nunc quidem, poſtquam me ita fœde contra omne ius & fas tractaverunt) ſed duntaxat cum illis opinionum portentis, quæ ſibi temere ac gratis confingere, ac quorum ope tam impie & ſacrilege Verbi Divini originarij maieſtatem, authoritatemque ac authentiam, & integritatem ac ſinceritatem, violare ſuſtinuerunt. & ſicut eorum impoſturas, ſycophantias, mendacia, tergiverſationes, contradictiones, cavillationes, abſurditates, ineptias, aliaſque conſimiles turpes ac probroſas artes, ipſis ſupra omnem modum familiares, & quibus eorum ſcripta undique פה לפה differta ſunt, acriter ſevere-que corripui, ac pro merito caſtigavi, quoties eorum in me petulantia ac protervia cum ipſa cauſa, quam contra eos tueor, coniuncta eſt, ita ut illam defendere niſi me defendendo non poſſem: ita illa, quæ me peculiariter ſpectant, & neque ipſam rei ſummam, neque principales eius circumſtantias tangunt, ut proinde ad Veritatis Hebraicæ patrocinium haud magnopere pertineant, libenter iis remitto. (paucula quædam de iſto genere leviſſime & in tranſitu attigiſſe contentus;) ac ſaniorem iis in poſterũ mentem comprecans, eorũ diſcutiendi gratiã ipſis facio: ſicuti vindicias omnium Hebraicæ Veritatis locorum, quos ſigillatim ſollicitant, ac corruptionis ſuſpectos reddere laborant uſpiam Mor. & Capellus, in aliud tempus reſervo, atque in aliud ſcriptum, quod iſti ſoli rei proprium dicabitur. Et quantum ad fœda illa craſſa-que de trivio convitia, quibus propudioſam ſuam Diatribam ſparſit in omnem partem Morinus, ac in quibus *vir modeſtiſſimus*, ut eum egregij ſcilicet tam turpis ſcripti approbatores indigetant, profligatiſſimos ſcurras & balathrones imitari ac ſupergredi pulchrum ſibi dixit; non magis me iſta afficiunt, quàm faceret calcitratus aſini, aut canis latratus; quibus ſicuti haud multum moverer, ita multo minus cum iis paria facere, iiſve recalcitrare aut relatrare vellem. Verum ſane eſt, quod cum prior laceſſiverim, & quòd in Examine *canem* ac *monſtrum* eum indigitaverim; neque eorum, quæ ibi in eum dixi, me piget aut pœnitet. Haud enim mollius appellari dignus erat, qui rabie adeo ef-

fera, prorſuſque canina ac monſtruoſa, originariis Divinorum Oraculorum tabulis oblatraret, eaſque omni niſu diſcerpere ac dilacerare, atque omnium pedibus proculcandas ſubiicere conaretur, uti ab eo factum in flagitioſa illa atque impia Præfatione, necnon in Exercitationibus, tum Anti biblicis, tum Samariticis: quem execrandum in Hebraicam Veritatem animum in ipſa quoque Diatriba pleniſſime retinuit, & plurimis ac clariſſimis indiciis prodidit; quamvis ibi, ad ſubterfugiendam criminis tam atrocis invidiam, id in ſpeciem negare videatur, & aliquatenus incruſtare adniſus ſit.

CAPVT XXIII.

Epilogus, docens, Sacrum Textum Hebraicum, quem codices noſtri nobis exhibent, habendum pro unice authentico Dei verbo, ipſa Prophetarum autographa ad amuſſim repræſentante, ad quod proinde omnes omnino Tranſlationes, Veteres æque ac Recentiores, examinari debeant & emendari: neque ullas ex priſcis Interpretationibus Varias eius lectiones poſſe deſumi, niſi merè coniecturales, eaſque ipſas neque ex omnibus Interpretibus, neque ubique ex iis, qui ad hoc admittuntur, ſed in paucis tantùm locis.

QVam nihil egerint Mor. & Cap. in oppugnãda Hebraica Veritate, & quam in irritum cadant, atque in fumos abeant, omnes eorum conatus, ſive dum Veteres Tranſlationes pro totidem eius exemplaribus haberi poſtulant, ſive dum integritatem eius univerſim ſollicitant; nemini dubium eſſe poterit, qui ea legere voluerit, & ſerio perpendere, quæ hoc Opere contra eos fuerunt diſputata. Ac proinde ſtat immota ſententia noſtra de Sacro Textu Hebraico, qua ſtatuentes eum non quidem ab omnibus penitus librariorum lapſibus immunem ad manus noſtras perveniſſe, ſed pauciſſimas omni ævo ac leviſſimi momenti Varias

Lectiones in ipſum illapſas fuiſſe. habemus eum pro ſumme puro ſincero-que, & unice authentico Dei Verbo; & conſequenter cum Origine, Hieronymo, Auguſtino, primis Reformatoribus, & univerſo Proteſtantium agmine, ſupremam ei ac plane irrefragabilem attribuimus authoritatem in omnes omnino Tranſlationes, Veteres æque ac Recentiores, quæ abſolute ipſi faſces ſubmittere debeant, & ad ipſum examinari, atque ad eius normam, ubicunque ab eo diſſonant, corrigi & emendari; idque cum haud alia exceptione, quàm illorum duntaxat locorum, ubi vel invictis argumentis probari poteſt, aliquod Hebraico Textui vitium ſubeſſe, vel ubi Varia Lectione is laborat certa & evidente, atque ex ipſis eius exemplaribus collecta. atque in ipſo illo poſteriore caſu Interpretationes, ſive priſcæ ſive novitiæ, nihilominus eius examen ſubire debent, atque erroris notari, niſi alterutrâ ſaltem diſcrepantium lectionum ſubnixæ ſint. Quod autem mihi obiicit Capellus, Dum ita ſentio, & *ne vel latum quidem pilum ab hodierni codicis Hebraici* (vel, ut ipſe pro ſuo Morinique more indigetat, *Iudaici*) *lectione quenquam diſcedere patior, omneſque illas varias lectiones, quas ex Veterum Tranſlationum cum hodierno textu collatione ipſe* cum Morino ac poſt Morinum *collegit, tanquam ſpurias & nothas reiicio: mihi dicendum eſſe, hodiernum codicem Hebræum referre nobis ipſum Moſis & Prophetarum αὐτόγραφον* (Apol. pag. 10. & 12. & 16.) habet fatentem adverſarium: & omnino dico, atque aſſevero, Codices noſtros ipſa Propheterum idiographa exemplaria referre quàm exactiſſime, & ad amuſſim, abſque ulla vel minima variatione, præterquam in duobus caſibus modò memoratis, ubi vel de vitio, vel de varia lectione apertiſſime conſtat. Iſta autem ſententia vel aſſertio mea, eademque Origenis & Hieronymi, & omnium hactenus Proteſtantium, *de hodierno codice Hebræo ipſa Prophetarum autographa nobis adamuſſim repræſentante*, cum illis duntaxat exceptionibus, quas modò memoravi; nequaquam eſt *audax, abſurda, falſa, iniuſta*, quibus nominibus eam traducit Cap. Apol. pag. 97. 99. & 106. uti & in Pſeudo-critica perfrequenter, ſed æquiſsima, & Veritati ac Rectæ Rationi unice conſentanea. Eſſet ſane talis, qualem eam facit Capellus, ſi ex ea ſequeretur, quod ex ea ſequi dicit, (Apol. pag. 13. & 96. & 100. aliiſque locis ſexcentis) *Omnes ſcribas ſacrorum librorum ad noſtra uſque tempora ſine ullo vel minimo errore alios ex aliis deſcripſiſſe, proindeque ἀναμαρτήτους & ἀναμίους fuiſſe* ſed quàm nihil tale inde ſequatur, & quàm abſurda & inepta ſit hæc

cavillatio, abunde liquet ex iis, quæ Cap. 20. de ista Scribarum ἀναμαρτησίᾳ fuerunt disputata. Neque minus ineptum est, quod dicit istam sententiam nostram, de codicibus Hebraicis autographa exacte referentibus, *nullo alio niti fundamento præterquam mero Iudæorum (gentis passim mendacissimæ, & philautiæ morbo mirum in modum laborantis) testimonio, qui codici, quo utuntur, nescio quam veluti divinitatem, seu authentiam eiusmodi ascribere volunt, ut nefas existiment vel hilum ab eo discedere:* Apol. pag. 97. quale etiam est, quod pag. 96. ait, *Hieronymum hac in parte discipulum esse Iudæorum:* & quod de eodem ait pag. 94. *Hier à magistris & præceptoribus suis Iudæis (uti Bootius & Buxt. ab hodiernis) persuasus, putavit nefas esse vel hilum à codice Iudaico, qui tunc fuit, discedere.* Non enim propterea cum Iudæis hic sentimus, quia ipsi sic sentiunt, sed quia validas & evidentissimas videmus rationes, quare ita sentiendum sit; & quia perquam manifeste nobis apparet, summe futilia & inania esse, quæcunque in contrarium adferuntur, ut authentia & sinceritas textui Hebraico detrahatur. Dicit quidem (pag. 14. & 100. & 107.) *Me affirmare & præsupponere tantùm, sed nequaquam probare, quod hodiernus codex Hebræus Iudaicus referat adamussim ipsa Prophetarum αὐτόγραφα, sine ulla vel minima discrepantia, sive quod lectio hodierni codicis sit ipsissima autographi scriptura; quum id omnino probare deberem, ac demonstrare, & quidem infallibiliter.* ast ego id probo, & demonstro, eo probationis genere, quod in hoc genere ut validissimum est, ita unicum, putà per unanimem melioris notæ codicum consensum; contra quem quicunque non in Sacris Scriptoribus tantum, sed in quibusvis aliis, locos ullos sollicitare voluerit, ipsi incumbit probatio; & omnino rationes adferre debet, easque summe evidentes, & infallibiles, quare ipsi credi debeat, locos illos vitiosos esse, atque à primæva scriptura degenerasse. quod si præstare id non potest, omnino permittere debet, ut in recepta lectione, unanimi meliorum codicum consensu subnixa, acquiescatur, utque ea pro vera & genuina ipsius autographi scriptura habeatur, absque ulla alia probatione. Hæc enim via nisi insistatur, in ignem abiiciendi erunt omnes cuiuscunque generis in toto mundo libri, tum sacri, tum externi: quandoquidem ne unus quidem in quopiam istorum restabit locus, quem tueri possimus adversus proterva eiusmodi ingenia; si ipsis liberum erit causari receptam lectionem, in qua optimi quique codices consentiunt, vel corruptam esse, vel saltem incertam, & quosvis locos accusare, quod vel in men-

do cubent, vel varia lectione laborent; quamvis nihil tale possint planum facere, neque ullam probam atque evidentem assertionis suæ rationem afferre: qua de re etiam in fine Capitis 21. aliquam multa diximus. Namque ex Translationibus de textu originario iudicare, quàm lubricum sit, & quàm incertum, abunde ex iis liquet, quæ supra de tota ista re prolixè fuerunt disputata. Et quisquis ea mature perpenderit, omnino cogetur fateri, nisi ingenio sit admodum præfracto, non posse ex translationum illis locis, qui à recepta codicum originariorum lectione discordant, concludi cum ulla certitudine, quod ibi Interpretum codices originarij aliud scriptum habuerint, quàm quod eiusdem Authoris exemplaria in medio versantia unanimiter exhibent; neque ex istis discrepantiis posse formari varias codicum originariorum lectiones, nisi meræ coniecturales. quod sicuti in omnibus aliis libris verum est, ita multo magis in sacris Veteris Testamenti, idque ob eximiam & spectatissimam librariorum Iudaicorum fidem & diligentiam; quæ facit ut eiusmodi variationes, ex interpretationum discrepantiis desumendæ, multo minus admitti hic debeant, ac minus credibiles sint quàm in ullis aliis scriptis. Et quisquis noluerit contra claram istius rationis lucem sponte oculos claudere, omnino agnoscet, ne dubitandi quidem locum esse in omnibus maioribus Veterum Translationum à Textu nostro Hebraico discrepantiis (sive illæ in additionibus, aut omissionibus, sive in permutationibus consistant) quin illæ potius vel Interpretibus ipsis, vel eorum descriptoribus aut interpolatoribus, quàm codicum Hebræorum, quibus illi usi sunt, variationi à codicibus nostris sint attribuendæ. Sed in cæteris quoque ac levioribus dissidiis, quibus vel vocabulum aliquod in aliud affine demutatur, uel vocula una altera-ve præter mentem receptæ lectionis additur, aut omittitur; longe probabilius est, ob eandem rationem, omnis istius variationis originem non à scribis Iudaicis arcessendam, sed ab Interpretibus; qui alibi quidem in legendo erraverint; alibi in vocibus ipsis, unam pro altera capiendo, hallucinati sint; alibi verò etiam deinduſtria aliquid addiderint, omiserint, aut immutaverint, vel quia tes ipsis id requirere videbatur, vel etiam ex sola lascivia, ac prava animi libidine; quod posterius de reliquis Interpretibus haudquaquam credibile, authori Græcæ Versionis vulgatæ, quam ℣ 70. vocant, sæpius factitatum fuisse, non immerito suspicari possumus, sicuti supra ex D. Armachano ostendimus. Et valde notandum hic est, quum

Capellus existimet, & mille ac mille locis pertinacissime contendat, quoties translatio commodiorem fundit sensum, quàm textus Hebraicus, & quidem ita, ut huius dictiones dictionibus Interpretationi respondentibus valde similes sint, certissimum esse, quod ibi Interpretis codex à nostro variaverit, lectionemque habuerit verbis Translationis respondentem; rem istam prorsus contrario modo se habere. Quo enim durior, obscurior, & intricatior est sensus textu Hebraici, quàm Translationis ab eo discrepantis; eo maiorem ac iustiorem habemus materiam credendi, quòd ibi exemplar Interpretis eandem cum exemplaribus nostris habuerit scripturam: quam cum haud satis perciperet, sponte ab ea discesserit, atque ad vicina seu affinia deflexerit. & nemo non mecum hic sentiet, qui vim Rabbinicorum *Sebirim* recte intellexerit, & qui rite perpenderit multa illa atque insignia exempla, quæ Capite 18 ex Recentioribus Interpretibus adduxi, voluntariæ huiusmodi ac levioris à textu Hebraico discessionis; ob id ab ipsis usurpatæ, ut sensum, qui sub vera lectione ipsis parum congruus videbatur, aptiorem ac convenientiorem efficerent. Sed maius habeo quòd dicam. & magis inexpectatum. Si constaret de aliquibus locis, ea certissimè in mendo cubare, & validis coniecturis, aut potius argumentis, vera ac primæva ipsius Authoris sacri lectio sive scriptura posset erui & demonstrari (sicut utrumque istud in scriptoribus externis, Græcis Latinisque, quam creberrime observare licet, & innumeris exemplis à me declarari posset) & aliqui Veterum Interpretum ibi transtulissent non conformiter vitiosæ ac receptæ scripturæ, sed alteri ac sanæ: dico, quod ne ibi quidem cum ulla certitudine possemus affirmare, in codicibus Interpretum aliter, quàm in codicibus nostris, scriptum fuisse, atque ad eum modum, uti Translatio præ se fert. Quis enim nobis præstabit, Interpretem, quum eadem omnia ac nos scripta haberet, non agnovisse vitiatam ibi originarij textus lectionem, eamque proprio iudicio reformasse, atque ita uti par erat restituisse? Ast dicet aliquis quid igitur fiet his locis? Omnino retinebitur sana lectio, ut in aliis Authoribus, ita in Sacris quoque, ubi per invicta argumenta & vitium & remedium demonstrari potest (hoc enim casu, & hoc duntaxat, locum esse coniecturis in Textum Sacrum dixi sæpius, tũ in hoc scripto, tum in Epist. & Appendice) & Int. authoritas in hoc valebit, non ut ex ipsius Versione certò concludatur, aliter & melius in codice ipsius, quàm in codicibus nostris, scriptum fuisse (id quod certò inde concludi haud-

quaquam

quaquam poteſt, ut dixi) ſed ut coniectura de iſtius loci reſtitutione, per ſe etiam valitura, amplius confirmetur ipſius ſuffragio; qui ſi non ita ſcriptum invenit, ita tamen legendum nobiſcum iudicavit. Nullæ ergo ex priſcis Sacræ Scripturæ Interpretibus poſſunt depromi Variæ Lectiones, niſi coniecturales duntaxat, hoc eſt, de quibus ad ſummum dici non amplius poteſt, niſi probabile eſſe, quod ita in codice Interpretis originario ſcriptum fuerit, differenter à codicibus noſtris, & conformiter Verſioni ipſius. & hoc ipſum, de coniecturalibus tantum Variis Lectionibus, ac ut probabiliter & cum aliquo colore dicamus eas probabiles eſſe, nec ubique locum habet, nec in omnibus Interpretibus. Maiores enim diſcrepantiæ cunctæ in totum hinc excludendæ ſunt; uti & de minoribus omnes illæ, ubi textus Hebraicus durior eſt, vel obſcurior; & ubi quomodocunque commodior eſt, vel probabilior & plauſibilior, lectio Tranſlationum, quàm ipſius. In reliquis locis poſſunt coniecturæ capi de Varia lectione, ſed ex illis duntaxat Tranſlationibus, quarum authores conſtat non modò diligenter, ſed & fideliter ac religioſe in negotio ſuo verſatos eſſe, atque hoc operam dediſſe, ut preſſe admodum & quàm exactiſſime Sacram Scripturam, non quoad ſenſum tantum, ſed quoad ipſa verba, quantum eius fieri poſſet, transferrent. Quum autem certiſſimum ſit, illum Interpretem, ſeu illos Interpretes, quos Sept. vocant, non ita ſe geſſiſſe, ſed apertiſſime omnia cõtraria feciſſe, ſaltem extra libros Moſis: iuſtiſſimam causã habuit D. Armachanus, eos in totum excludendi, ac non patiendi, ut vel coniecturales ullæ Variæ Lectiones ex iis deſumantur: in quam rem à me quoque multa fuerant dicta Epiſtolæ paragrapho 60 extremo. Eadem quoque ratione excludi debent Hieronymus in Pentateucho & reliquis libris hiſtoricis, Chaldæus in omnibus Prophetis, ac reliquis libris propheticis, ſeu Didacticis; Syrus in libro Proverbiorum, ac in libris Paralipomenon. In omnibus enim hiſce libris maiorem, quàm par erat, libertatem paſſim uſurpaverunt iſti Interpretes, neque ita arcte ſe ad verba Sacrorum Scriptorum, uti in reliquis libris, aſtrinxerunt. In locis igitur planis apertiſque, & nihil prorſus difficultatis habentibus, poſſunt variæ lectiones coniecturales, circa omnes minores diſcrepantias, deſumi, ex Syro quidem, Chaldæo, & Hieronymo, in libris omnibus extra modo nominatos; in Aquila verò & Symmacho ubique, uti & ex Theodotione, extra illos locos, ubi conſentit cum Sept. quibus conſtat eum ſeſe hic illic con-

tra Hebraicam Veritatem accommodare conſueviſſe Quare autem ſic quoque, & in memoratis libris atque locis, Variæ lectiones non aliæ quam coniecturales ex dictis Interpretibus deſumi queãt, hæc eſt cauſa; quia etiamſi hic nequaquam locum habet ſuſpicio de immutationibus voluntariis (quæ alioqui latiſſime patent, & quæ in omnibus locis paulo obſcurioribus frequentiſſima fuit cauſa diſceſſionis Interpretum à Veritate Hebraica, codicibus noſtris comprehenſa) habet tamen illa de duplici genere hallucinationum, vel circa literas, vel circa voces ipſas, quorum alterutro decipi potuerunt Interpretes, atque contra veram lectionem ſeu ſcripturam, in ipſorum codicibus æque ac in noſtris extantem, peccare, in diſcrepantiis paronomaſticis, ſicuti in reliquis, atque illis alterius generis, potuit tranſlatio eorum à librariis vitiari, atque inde effici, ut ea à textu Hebraico ſic diſcreparet, quomodo diſcrepare videmus, quũ antea ei prorſus conformis eſſet. Quanquam autem illæ diſcrepantiæ paronomaſticæ, ubi apparet & quid legerit Interpres, & non intellexiſſe eum quod legit, omnium maxime probabiles ſunt, & ad certitudinis naturam quàm proxime accedunt (quæ etiam cauſa fuit magno Salmaſio, ut in loco illo, à Cap. allegato Apol. pag. 113. affirmate diceret, de iſtiuſmodi diſcrepantiis loquens, *Se ex iis cognoviſſe, Interpretes rectiorem lectionem in libris eo tempore inveniſſe, quàm quæ hodie in noſtris extat*) tamen ne de illis quidem abſolute affirmari poteſt, quod in codice Interpretis ita, uti eius Verſio præ ſe fert, ſcriptum fuerit, & quod alterutro iſtorum duorum modorum non fuerit hallucinatus; ne tunc quidem, quando conſtat lectionem Interpretis veriorem eſſe lectione vulgata. hoc enim ad rem nequaquam pertinet, uti liquere poteſt ex iis, quæ ſupra hoc ipſo capite de diſcrepantia Tranſlationis à lectione codicis originarij manifeſte vitioſa ediſſerui. Huic autem meæ ſententiæ, de non colligendis aliis Variis lectionibus ex ulla Veterum Tranſlationum, quàm coniecturalibus duntaxat, pleniſſime aſtipulatur D. Armachanus. Tametſi enim aliter quis opinari inde poſſet, quòd pagina Epiſtolæ ſuæ quarta, poſtquam de paronomaſticis diſcrepantiis, deque earum origine ab hallucinatione & minus attenta inſpectione, locutus eſt ad hunc modum, *Cuiuſmodi παρεγραμματα, ob characterum aut ſonorum in vocabulis præcipue Hebraicis ſimilitudinem, aut levem aliquam à minus attento inſpectore conceptam literarum tranſpoſitionem, multo etiam facilius poſſunt obrepere:* ſubiungit, *Et ut in multis huius generis locis Hebraicum, quo Interpres uſus eſt, exemplar*

eandem, quam ille reddidit, lectionem exhibuerit: de eorum tamen plurimis nullo nobis constare potest modo, utrum ipsi Interpreti, an codici quem præ manibus ille habuit Hebraico, ista acceptæ referenda fuerit differentia; ubi videri potest, aliquas istarum discrepantiarum agnoscere, cum non dixerit, *de nullis id posse constare*, sed *de plurimis id nullo modo constare posse*: revera tamen verba ista non habent eam mentem, quam obiter inspecta præse ferunt; nihilo magis quàm pag. sequenti, quando D. Armachanus dicit, *Me libenter concedere, ex reliquis omnibus Interpretibus, præterquam ex Sept. variantes codicum Hebraicorum lectiones peti posse*, intelligi debet de certis compertisque Variis lectionibus; quales nullas prorsus ex ullius Veterum Translationum à textu Hebraico discrepantiis posse colligi ego sentio; & me ita sentire, probe notum ac perspectum erat D. Armachano, quum ex innumeris Epistolæ meæ locis id apertissimum sit. In istis igitur duobus locis, (æque ac tertio illo, pag 22. ubi dicit. *Ex quibusdam Veterum Interpretationibus excerpi aliquas posse variantes Hebraici textus lectiones*) nihil aliud sibi voluit D. Armachanus, quàm ex ipsius sententia, itidemque ex mea, posse alicubi, non ex Sept. quos in totum hinc excludimus, sed ex reliquis Interpretibus priscis, colligi Varias lectiones, non indubias ac exploratas, sed coniecturales duntaxat. Et quin hæc istis locis mens ipsius fuerit neque amplius quicquam, nemo dubitare poterit, qui ipsimet de se credere voluerit. Quippe literis suis, 23. Iulij 1652. ad me datis, ita scribit: „ Ex animo assentior tuæ isti conclusioni, *quòd neque ex Sept. ne-* „ *que ex ullo alio Veterum Interpretum quocunque, possint ulla He-* „ *braici Textus Variæ lectiones colligi, nisi coniecturales ad summum,* „ *omni prorsus certitudine destitutæ*: sicuti non dubito, quin tu me- „ cum agnoscas, *Ex aliis Veteribus Interpretibus coniecturales ali-* „ *quas variationes colligi posse, ex Sept. omnino nullas.* idque repetit rursus literis 7. Dec. ad me scriptis, ubi de alteris illis literis „ loquens, ait: Vltimis meis literis tibi indicavi, me ex animo ti- „ bi in eo assentiri, quod nullæ Variantes lectiones textus He- „ braici colligi possint ex antiquis Interpretibus, nisi coniectura- „ les; tuum in eo viciſſim assensum petens, quod sentio, nullas „ omnino varias lectiones, ne coniecturales quidem, posse colli- „ gi ex illo Interprete, qui nomen τῶν Sept. gerit. ac deinde rationem, quare istum Interpretem hic penitus excludendum ducat, addit iis verbis, quæ supra cap. 18. retulimus.

Atque ex his iam patet, quid dicendum sit ad illud Capelli,

Apol. pag. 98. *Si variæ lectiones quædam deprehendi possunt in Authoribus græcis ex antiquis eorum Translationibus, planum est pari ratione varias lectiones deprehendi posse in textu hebraico ex antiquis eius Versionibus:* nimirum, posse deprehendi quasdam, sub certis cautionibus, tam hic, quam illic, sed coniecturales duntaxat, nequaquam certas aut exploratas; idque & infrequentius, & cum minori adhuc certitudine, in sacro Textu Hebraico, quàm in Græcis aliisve authoribus externis, ob causas sæpius iam memo-
„ratas. sicut ad id, quod porro ait pag. 100. Non debuit B. omnes
„meas de variis lectionibus coniecturas uno impetu velut dissipare
„& dispellere ——— sed debuit demonstrare, eas omnes esse in-
„certas, futiles, & ridiculas, si voluit omnes esse reiiciendas. ——
„sed si non potest demonstrare eas esse tales, stultus est & insubi-
„dus, qui illas sine nlla demonstratione reiicit: respondeo, Nequaquam opus mihi esse, ut Capellianas Varias Lectiones demonstrem esse *futiles & ridiculas* (quanquam profecto multæ earum tales sunt) sed sufficere, ut demonstrem eas esse *incertas*, quod feci sane quam cumulatissime; ideo-que optimo iure me eas reiicere, absque eo ut periculum mihi sit, ne viri æqui & sapientes me propterea *stultum & insubidum* iudicent. sed Capellus effugere non poterit, quin ab iis pro *stulto & insubido* condemnetur, si adhuc pergit eas nobis pro genuinis & certis obtrudere, quum ita evidenter ostenderim; eum cum sodali suo Morino nihil tale de iis, & ne de una quidem earum, posse demonstrare. Ac proinde stat immotum, quod dixi Epistolæ §. 60. & quod incassum arrodit Cap. pag. 97. *Nullas in S. Scriptura admittendas esse varias lectiones*, certas & indubias, *nisi quas ipsi codices originarij, isque melioris notæ, exhibent;* & omnes omnino Translationes, Veteres æquè ac recentiores, ad Codices nostros Hebraicos examinari & emendari debere; atque innovationem illam Morinocapellianam, Veteres Translationes in dignitatem totidem exemplarium Hebraicorum subvehentem, omnesque aut vel pleraque earum à Textu Hebraico discrepantias, pro totidem ipsius Variis lectionibus venditantem, repudiandam penitus atque explodendam esse, utpote omni fundamento carentem, & apertissime falsam, ac præterea in Sacrosanctum atque Authenticum Dei Verbum maximopere iniuriam, eiusque maiestatem fœde & impie violantem. Et quanquam Capellus audet negare (pag. 9. & 110.) *quod per istam Variarum Lectionum in Sacro textu multiplicationem lædatur aut violetur divina S. Literarum maiestas; aut au-*

thoritas eius imminuatur: atque adeo plane contrarium de ea affirmare (pag. 111.) nemo tamen qui ea legerit, quæ fusissime hac de re Cap. 6. 7. 8. & 9. fuerunt disputata, vel levissime dubitabit, quin profana hæc istorum duorum hominum innovatio Hebraicam Veritatem gravissime lædat, eamque partim innumeris ac maximis corruptelis repleat, partim omni authoritate & certitudine, ubicunque aliquis Veterum Interpretum ab ea discrepat, in totum expoliet. Neque sufficit dicere, quod alicubi dicit Capellus, *fidei aut saluti nullum creari periculum per suas Varias lectiones*. Multo enim minus creabitur, siquis tantundem in externos authores ausit, ac ipse cum Morino ausus est in Hebraicam Veritatem. nemo tamen ferat sic temerari non modò Platonem, Xenophontem, Herodotum, Ciceronem, Senecam, Livium, Plinium, alioque eiusmodi egregios scriptores, sed ne illos quidem vilissimos, & de ima authorum fœce ac plebe, Catullum, Statium, Martialem, Apuleium &c. Quodsi indignum facinus est, in talibus quoque scriptis mentem authorum infinitis in locis vel corrumpere, vel incertam reddere absque iustis causis, receptamque eorum lectionem absque validis argumentis solicitare; multo ac multo indignius id est in Divinis Oraculis, quibus longe alia, quàm ullis humanis scriptis, reverentia debetur. Et quàm frivolè se hic excuset aut defendat Capellus, ostendit etiam D. Armachanus, quando Epist. pag. 21. istam profanam eius innovationem, qua vult, *Ex Samaritícis & Græcis τῶν 70. codicibus varias Hebraici Textus lectiones non minus veras & certas posse colligi, quàm quæ hodie in nostris Hebraicis legantur Bibliis*, percutit hac censura: Non potui non dicere, ad pervertendum Spiritus San„cti in mille Scripturæ locis germanum sensum (de regula enim „Fidei hic non loquor; secundùm cuius analogiam Christi Eccle„sia, quantumvis aliàs corruptissimâ Bibliorum translatione usa, „salutarem Dei cognitionem & conservavit integram, & in „æternum est conservatura) viam ea ratione aperiri longè pericu„losissimam; quam qui primus obstruere conaretur, magnam à „non ingrata posteritate gratiam inturus fuisset.

CAPVT XXIV.

In noviſſimum Capelli ſcriptum, quod Epiſtolæ D. Armachani & Appendici meæ oppoſuit, breves Animadverſiones.

QVum in eo eſſent hæ Vindiciæ, ut ſumma manus iis imponeretur, allatum eſt ad me novum Capelli ſcriptum, Epiſtolæ D. Armachani & Appendici meæ oppoſitum, quod multos in hac urbe menſes fuerat, priuſquam quidquam de eo inaudiſſem. Eo perlecto, deprehendi me verum fuiſſe vatem, quando dixi Append. pag 98. *Si D. Armacharus, ſepoſitâ tum iudicis perſonâ, tum authoritate illa, qua apud omnes pollet maxima; eodem modo, ac quivis alius, cum Capello agere vellet, ſcripto-que contra eius Criticam libro, vanitatem eius atque falſitatem rationibus & argumentis, ex profeſſo coarguere, uti à me & D. Buxtorfio factum; fore, ut nihilo plus proficeret, quàm nos profecimus, aut multo modeſtius à Cap. exciperetur: quia ſemel ipſi ſedit, omnes ab ipſo diſſentientes de abſurdiſſimo iſto Variarum Lectionu ab eo conficlarum commento ac Veritatem Hebraicam, qualis ad tempora noſtra pervenit propugnantes, penitus contemnere*, &c. Adeo enim nihil defert D. Armachani iudicio, quod poſt viſam lectamque Pſeudo-criticam, omnibuſque ſerio & mature perpenſis, tulit de chimæricis ipſius Variis Lectionibus, ut in omnibus minimis maximis, de quibus quocunque modo ab eo diſſentit, pervicaciſſime ei contradicat: ac præterea ne verbis quidem incivilibus abſtineat, & hic illic non irreverenter tantum & immodeſte, ſed & petulanter eum compellet; cuius rei inſigne ſpecimen pag 24. videre eſt. ut iam appareat, quam ſubdola fuerit tum appellatio illa, qua in Apol. videri volebat de tota re D. Armachano cognitionem dare; tum illa profeſſio, qua in fine præfationis aiebat, *Se criticam omnium doctorum iudicio ſubmittere;* quum nihil minus cogitaret, quàm ad iudicium aliorum, quicunque tandem illi eſſent, ſtare aut cadere. Me verò quod ſpectat, prorſus antiquum obtinet, omnibuſque iiſdem modis, ac in Apologia, hic quoque in me graſſatur. Quippe, ut rectà ſtatim ad ipſam rei arcem veniam, perſiſtit adhuc in

fœdissima illa tergiversatione, negandi mihi ipsum quæstionis statum, & graviter de me conquerendi atque atrociter in me incursandi eo nomine, quod dicam eum omnes Veterum Translationum à Textu nostro Hebraico discrepantias pro totidem huius variationibus habere. neque id contentus facere alibi passim in utraque istius scripti parte, facit quoque ipso partis secundæ paragrapho 17. ubi prolixissime & disertis verbis pro suo amplectitur, & animose tuetur, quicquid ego ei unquam hac de re objeci. En enim ipsa eius verba pag. 44. *Si variatio est non à sensu tantum & significatione verborum, sed ab ipsis etiam hodierni codicis verbis, non nego tum discrepantiam illam esse variationem ipsius Textus Hebraici. Insanus essem si id negarem, idem enim simul affirmarem & negarem; imò contendo totâ Criticâ, eiusmodi Variationem esse ad variam lectionem diversorum ac discrepantium codicum referendam.* & acsi parum adhuc dixisset, similia repetit rursus pag. 45. aiens, *Quomodo enim, nisi emotæ planè mentis essem, dicere possem, Me non habere pro discrepantiis textus Hebraici eas Variationes, quæ non modò à mente, sensu & significatione verborum, sed ab ipsis etiam textus hodierni verbis recedunt?* ac subiungens, *Planum & certum est, variationem Interpretis, quæ est ab ipsius textus verbis, esse discrepantiam textus Hebraici, & arguere variam discrepantium codicum lectionem, seu scripturam, quam Interpretes secuti sunt ab hodierna diversam;* addensque, *Absurdissimum me esse, qui ipsi id tanquam ἄτοπον obiiciam. non enim absurdum esse, dicere rem esse quæ revera est, sed contra absurdum & falsum esse id negare.* Et tamen in medio istarum ῥήσεων ausus est dicere, *Me ipsi contra mentem ipsius obiicere, quòd omnes Interpretum ab hodierno codice discrepantias habeat pro totidem ipsius textus Hebraici variationibus; me mentiri, quando id facio; mirum esse meum stuporem, vel malitiam & impudentiam, qui ipsi rem tam absurdam & ab ipso reiectam, tam exerte audeam imponere:* atque paragraphum istum auspicari his verbis, *Bootius rem falsissimam, quam mihi sycophanticè imponit, quamque à mente mea alienissimam esse & contendo, & aperte demonstravi, pergit adhuc impudentissime mihi ascribere, nempe me statuere omnem Vet. Interpretum à codicibus nostris variationem pro varietate textus ipsius Hebraici habendam esse.* Sane istius tergiversationis tum impudentia, tum dementia omnino extrema est, omni-que exemplo carens, penitusque incredibilis, adeo ut verear, ne lectores mihi ista referenti fidem vix habeant: quum egomet propriis oculis fidem ægre habuerim, quando ista primùm legi.

Quis enim crederet quenquam, qui non planiſſime emotæ ac furiatæ mentis eſſet, velle ac audere eò audaciſſimæ impudentiæ provehi, ut ſtudio contradicendi adverſario, ſibimet ipſi tam fœde ac tam aperte contradiceret, idque non diverſis temporibus, nec diſſitis locis, ſed ſimul ac ſemel, & uno eodemque oris ſpiritu. Et quid tandem adferre aut excogitare poterit, ut aliquem ſaltem colorem allinat pudendæ iſti ac deteſtabili tergiverſationi, qua *eas Interpretum variationes, quæ ab ipſis verbis hodierni textus hebraici recedunt*, fatetur *à ſe haberi pro diſcrepantiis ipſius textus*; & tamen me ipſi obiicientem *quod omnes Interpretum ab hodierno codice diſcrepantias habeat pro totidem ipſius textus Hebraici variationibus*, culpare *quòd mentiar, quòd ipſi rem falſiſſimam & à mente ipſius alieniſſimam ſycophanticè imponam, & impudentiſſime aſcribam* &c. An confugiet ad diſcrepantias Interpretum à ſenſu & ſignificatione verborum? aſt antea quoque, & per Epiſtolam meam Anti-criticam ſumme inepta & abſurda erat illa cauſatio, uti ſupra Cap. 2. planiſſimum feci. Quodſi omnino aliquis ei locus erat priùs (uti certè nequaquam erat) nullus prorſus eſſe poterat poſt Appendicem, ac poſt ea quæ illic dixi pag. 102. ubi ex profeſſo, & verbis clariſſimis, ac nihil ambigui habentibus, docui, me illas Veterum Interpretum à textu Hebraico variationes, quas Capello obiicio, & quas ab eo pro ipſius textus variationibus haberi dico, ad illos aſtringere locos, ubi ab ipſis textus verbis variant; excluſis in totum iis, ubi recedunt à verborum ſenſu & ſignificatione, utpote à propoſito meo penitus alienis: cui ipſi paginæ cum opponat Capellus paragraphum iſtum 17. ubi ſibi ipſi æque ac mihi ita rabioſe contradicit; fatendum profecto eſt, nihil prorſus addi poſſe ad ſummam & deploratiſſimam iſtius contradictionis fœditatem, dementiamque ac impudentiam. Sicuti autem ſumme demens ſimul & impudens eſt Capellus, dum mihi negat ſe *omnes Veterum Interpretum à textu Hebraico Variationes* habere pro huius variationibus, ſimulque fatetur, *omnes illorum ab iſtius verbis diſcrepantias* à ſe haberi pro eius varietatibus; quum ego nullas alias diſcrepantias unquam Capello obiecerim, quàm ubi ab ipſis textus Hebraici verbis Interpretes recedunt: ita ipſa illa confeſſio, *Quòd eas Interpretum variationes, quæ ab ipſis verbis hodierni textus Hebraici recedunt, habeat pro diſcrepantiis ipſius textus*, in ſe quoque dementiſſima eſt ac ſtultiſſima, poſtquam toties ac tam clarè in Apologia affirmavit, *In omnibus illis Interpretum à textu originario diſcrepantiis, ubi non apparet facilem*

fieri

fieri potuisse ab una lectione ad aliam transitum, frustra & falsò prætendi variam lectionem, neque esse ibi certam de varia lectione coniecturam, sed meram & puramputam hariolationem, vel intolerandam & expuendam ἀυθαδίαν (qualia, aliaque consimilia, ἀυτολέξει ipsum dixisse, discces supra cap. 4. pag. 27. & 28.) & postquam fassus est, non tantum in Apol. pag. 101. sed & in hoc ipso scripto, pag. 43. *Multas Translationum à textu originario variationes posse esse ab ipso Interprete, atque ab eius spontanea & deliberatò facta mutatione, additione, & detractione; & non omnes illas voces, & integras periodos, quæ in Translationibus videntur vel addita, vel omissa, vel immutata, fuisse revera in codice Interpretis Hebræo; quum multa istorum potuerint esse addita, omissa, vel immutata ab ipsis Interpretibus, vel à librariis*, qui eorum translationes descripserunt: quibus consentanea sunt etiam illa pag. 14. infra alia occasione in medium adducenda. Talia enim qui fatetur, & qui unà vult *omnes Veterum Interpretum à textus nostri Hebraici verbis discrepantias, pro totidem ipsius textus variationibus haberi*, utifacit Capellus; effugere non potest, quin in censum ac numerum Variarum Hebraici textus lectionum recipiat permultas eiusmodi ab isto discrepantias, ubi textui nostro conformis erat textus Interpretum, qui in illis locis à scriptura codicum suorum sponte discesserunt: quod etiamsi concoquere potest stomachus Capelli (qui in Apologia exerte ausit postulare, ut loci illi, ubi Interpretum exemplaria Hebraica nihil diversum ab exemplaribus nostris scriptum habuerunt, sed omnis diversitas ab ipsismet orta est, qui aliter legerint, quàm scriptum erat in eorum libris, sub nomine variarum lectionum veniant: quod examinavi supra cap. 16. præcipue-que pag. 148.) nemo tamen alius, qui non certissime desipiat itidem ac ipse, id admittet unquam, sed omnes, quibus vel tantillum sanæ mentis supereſt, id pro absurdissimo & dementissimo condemnabunt. Nihil enim absurdius aut dementius fingi aut cogitari potest, quã ut credatur in ullos libros ullas posse importari varias lectiones, verè ita dictas, eos duntaxat legendo, aut transferendo; quum sola scriptione id fieri queat, vel dum unus liber ex altero transcribitur, vel dum libro iam scripto aliquid παρεγγράφεται, vel in margine, vel intra textum ipsum. Proxime autem post præcipuam illam ac capitalem de ipso quæstionis statu tergiversationem, eminet altera ista, qua ausus est dicere, pag. 42. *Me fingere, quod non patiatur Veteres Interpretes examinari ad hodiernum textum Hebraum, nisi eo solo casu, quando omnia eadem legerunt ac nos, & à sensu tantùm ac significatione verborum aberraverunt.*

Qui enim statuit, *Omnes Interpretum variationes à verbis hodierni textus, pro totidem ipsius textus variationibus habendas*; eo ipso, quod sic statuit, non patitur Translationes ad Textum nostrum examinari, non magis quàm hunc ad illas, sed utrasque uni communi canoni commodioris sensus subiicit, ut illa lectio vincat, quæ meliorem sensum fundere videtur: ideoque non ad Textum nostrum examinat Translationes, ubicunque ab eo discrepant quocunque modo, sed ad canonem illum; ex quo solo, & non ex comparatione cum textu nostro, vult diiudicari, an aliquid in illis perperam additum, omissum, vel immutatũ sit: quam esse ipsius mentem, patet ex innumeris Pseudo-criticæ locis, ubi id exerte docet; uti & in Apologia idipsum persæpe inculcat, & in hoc ipso scripto, cuius pag. 43. asserit, *Ex canone illo iudicandum esse de illis vocum & integrarum periodorum additionibus, omissionibus, immutationibus, quæ in Translationibus occurrunt, an rectè factæ sint, an verò secus & perperam*: qualia etiam habet pag. 16. & 17. ubi expresse asserit, *Si nulla alia reddi causa potest, cur censeatur insultum, nisi quòd non extat in hodierno textu Hebræo, non videri illam satis idoneam, cur illud sit reiiciendum*: similiterque pag. 18. *Lectionem ab hodierna diversam, quam Græca Translationis author secutus est, non eo solo nomine esse reiiciendam, quòd ab hodierno textu Hebraico recedit, sed expendendum esse, an iure, an verò iniuria ab eo recedat.* & pag. 20. *Examen instituendum est eorum, quæ dicuntur addita, omissa, vel immutata, ac videndum num vere & recte, an verò secus & perperam id dicatur, non verò statim reiiciendum & explodendum, quicquid in Hodierno codice Hebræo non extat, aut ab eo quomodocunque distat.* Quum autem is, qui nihil in Translationibus reiici vult ob hoc tantùm, quòd à Textu Hebræo discordat, modò aliàs commodum sensum gignat, omnem penitus authoritatem textui illi detrahat; magnam tamen ipsi à Clariss. Buxtorfio & me iniuriam fieri quiritatur (pag. 5. & 6. atque aliis locis) quando *eversionem authoritatis Sacri Textus Hebraici ipsi imputamus*, audetque asserere, *non sequi ex ipsius sententia, quòd inde concutiatur illo modo authoritas sacri textus.* Attamen per eum omnino illa conciditur, ac penitus evertitur & pessumdatur, omnibus illis locis, ubi quivis Veterum Interpretum quocunque modo à verbis textus dissidet; sicuti supra Cap. 6. 7. & 9. fusissime demonstravi. Insignis quoque est & crassissima illa Capelli stupiditas ac cæcitas, etiam supra in hoc Opere plus semel notata, qua collectionem Variarum Lectionum, earumque diiudicationem, inter se confundit, tum alibi (pag. 4. 5. 6. 7. 19. 20. &c.) tum

præcipue pag. 27. ubi ſub hoc prætextu, quòd non agnoſcat lectionem τῶν 70. & ſamaritici codicis ubique fundere ſenſum commodiorem lectione maſorethica, ſed nonnullis tantum in locis; audet D. Armachano negare, *ex Samaritico & Græcis τῶν 70. codicibus varias Hebraici textus lectiones nō minus veras & certas colligi poſſe ex ipſius ſententia, quàm ex hodiernis Bibliis*; ac me poſtulare *artis veteratoriæ, qui D. Armachano & lectoribus meis impoſuerim, ac oſtenderim, quaſi ipſe univerſaliter de omnibus Græci & Samaritici codicis lectionibus pronuntiaret, eas eſſe tam veras & certas, quàm quæ hodie in noſtris Hebraicis legantur Bibliis*: itidemque pag. 36. & 37. ubi poſtquam retuliſſet dictum hoc meum, *Quando diſcrepant inter ſe codices Hebraici, artificioſe indicandum eſſe, quanam variantium lectionum alteri præferenda ſit*: ſubiungit, *Se hoc unicum velle tota Critica, atque ita me deſcendere vel invitum in eius ſententiam*. quis enim, niſi qui æque ſtupidus & cæcus ſit ac Capellus, non videt, vaſtum eſſe diſcrimen inter me, qui varias lectiones, de quibus certò conſtat, diiudico ex ſenſu commodiore, & Capellum, qui ad eas colligendas & fabricandas utitur iſto canone, nihil prorſus in id virium habente, quum ad alterum illud ſumme utilis ſit, atque adeo neceſſarius, ac de eo conſtiterit inter omnes diu antequam Capellus naſceretur. quæ autem porro addit, *Neque enim poteſt rationem idoneam reddere, cur id magis liceat in eo quem ponit caſu, quàm in iſto quem ego pono, cum in utroque conſpicua & manifeſta ſit codicum Hebraicorum diſcrepantia*, ſumme fatua ſunt, ac meracè Capelliana; quippe quæ apertiſſima principij petitione laborant: quo vitio nullum ſtultius eſt in ulla diſputatione. quod enim hic pro confeſſo ſumit, *In utroque caſu* [i. tam in diſſenſu Tranſlationum à textu noſtro Hebraico, quàm in ipſorum Codicum Hebraicorum variatione] *conſpicuam eſſe codicum Hebraicorum diſcrepantiam*; ego ipſi nego, ac pernego, adeo ut hic ſit ipſe cardo totius iſtius controverſiæ, quæ inter nos vertitur. & ratio illa, quam adiungit, *Codices, quibus Int. in concinnandis tranſlationibus ſuis uſi ſunt, tam fuerunt codices Mſs. Hebraici, quàm hodierni*, admodum fatuè hic ab ipſo adhibetur. non enim quæritur nunc de authoritate lectionis ipſorum codicum Hebraicorum, quibus uſi fuerunt Interpretes, ſed de lectione iſta ex Tranſlationibus indaganda. non enim, quoties Tranſlationes à textu noſtro Hebraico diſcrepant, etiam codices Hebraici, è quibus illæ fuerunt factæ, eodem modo (ut prave ſibi cum Morino imaginatur Capellus) ab ipſo diſcrepaverunt; qua de re tota prolixe hoc Opere diſputatum fuit: ſicuti fatalem iſtum ac ſtupidiſ-

simum Capelli errorem, Codices Interpretum Hebraicos cum Translationibus inde factis promiscue confundentis, tum in ista disputatione, tum in Epistola Anticritica, plus semel notavimus. A pari li cæcicate & stupore est, quòd contendit pag. 49 nullo modo consistere posse meam sententiam, qua & concedo nonnullas in Sacrum textum illapsas Varias lectiones; & in cæteris omnibus, ubi nullæ ex ipsis codicibus Hebraicis variationes produci possunt, eum statuo autographis per omnia conformem, ad minimas usque voces, & voculas, atque adeo literas: atque ita agit, acsi ista duo adversis frontibus invicem pugnarent; quum tamen amicissime inter se conspirent. Capitale autem præ cæteris profundissimi ac plane invicti stuporis Capelliani exemplum habemus pag. 14. Quum enim in præcedentibus laborasset persuadere lectori, *Varias illas lectiones, de quibus ostendi potest, cur Interpres sic longe abierit ab hodierno textu, nempe quia sic & sic, & quidem aliter, legit in codice suo Hebræo, quàm hodie legimus in nostro*, nequaquam Interpreti ipsi, sed librariorum Hebraicorum lapsibus, exemplarimmque ab ipsis descriptorum varietatibus ascribendas esse; ac pag. 10 fidenter affirmasset, *Istarum Variarum Lectionum non aliam rationem reddi posse, quàm quod aliter in codice Hebræo, quo usus est Interpres, scriptum fuit, quàm hodie in nostro scriptum legimus*: dictâ pag. 14. hanc isti sermoni coronidem imponit: *Quicquid sit, quandoquidem Interpres ille* [nempe Græcus, de quo ibi peculiariter loquitur; sed cuius causa hic cum cæteris Interpretibus communis est] *sic longe ab hodierna lectione discessit in sua translatione, necesse est ut vel aliter scriptum fuerit in codice eius Hebræo, vel ut hallucinatus sit inter legendum, putaveritque scriptum fuisse in suo codice quomodo ipse translatione sua expressit; vel denique, si codex eius nostro fuit par, & omnino similis, neque in legendo hallucinatus est & deceptus, dicendum est, eum existimasse iis in locis, in quibus à codice nostro variat, lectionem codicis sui non satis probam & legitimam fuisse, atque emendatione opus habuisse, eâ nempe quam translatione sua expressit*; quod posterius, de variatione sponte Interpretum introducta, *ad exsculpendum commodum aliquem sensum, quem aliàs non videbant*, etiam pag. 15. ac 16. ter quater-ve repetit. Ast hisce verbis priori assertioni, universæ que Pseudocriticæ, & cunctis scriptis succenturiatis, omnibusque illis Variis Lectionibus, quas ex Translationibus procusas ibi tuetur, extremum atque immedicabile exitium importat, ac planissime iugulum secat. Quamcunque enim ex quocunque Veterum Interpretum discrepantiam nobis adduxerit, & pro Varia Hebraici textus

Lectione oſtentaverit Capellus: excipere nobis licebit, non liquere, quòd ea varietati codicis Hebraici, quo Interpres uſus eſt, aſcribenda ſit; quum inde proficiſci potuerit, quod *Interpres, quum codex eius noſtro par eſſet, & omnino ſimilis, vel hallucinatus ſit inter legendum, vel exiſtimaverit, lectionem codicis ſui non ſatis ibi probam eſſe, atque emendatione ea opus habere quam Tranſlatione ſua expreſſit*; quod utrumvis, æque ac illud primum, fieri potuiſſe, ipſemet fatetur; atque ita integram de ſe victoriam relinquit D. Armachano, D Buxtorfio, atque mihi; qui nihil aliud volumus, neque quicquam amplius uſpiam contra ipſum contendimus. Valde autem lepidum eſt, quod pag. 38 dicere ſuſtinuit, *Inter ſententiam ipſius ac Bn. Vſſerij nullum, aut prope nullum, certe non admodum momentoſum diſcrimen eſſe.* etiamſi enim verum eſſet, quod pag. 5. ipſum D. Armachanum alloquens, dicit, *Non aliud in Critica mea dixi aut volui, quàm quod tute ipſe dicis & cenſes, ſi hoc unum excipias, quod nullas cenſes ex Samaritico codice, aut ex græca* (quæ iam τῶν 70. dicitur) *Tranſlatione ducendas eſſe varias lectiones:* an diſcrimen, ex illa exceptione emergens, eſt *nullum, aut prope nullum, certe non admodum momentoſum?* cum ex græcæ iſtius Verſionis à textu noſtro Hebraico diſcrepantiis, in totum à D Armachano excluſis, longe longe-que numeroſiores ac graviores exiſtant Variæ lectiones Capellianæ, quàm ex omnibus aliis Tranſlationibus ſimul ſumptis. Quod autem credi vult Capellus, hoc excepto inter D. Armachanum & ipſum convenire; hoc certe eſt falſiſſimum: quum exerte ſtatuat D Armachanus, *in plurimis* iſtarum diſcrepantiarum, quas pro Variis Lectionibus Textus Hebraici veris ac indubitatis, & ſole meridiano clarioribus, nobis obtrudit Capellus, *NVLLO MODO conſtare nobis poſſe, utrum ipſi Interpreti, an codici eius Hebraico iſta differentia accepta ferenda ſit*; neque de ullis id conſtare aliter poſſe, quàm conjecturaliter. Et ſimilis farinæ eſt, quod ad verba illa D. Armachani, in fine Epiſtolæ, *Sed de criteriis illis iam non agitur, quibus variantium textus Hebraici lectionum diſcriminari poſſit vel præſtantia, vel antiquitas: unde petenda illa ſint, quantumque vel augenda, vel minuenda, tota inter nos vertitur quæſtio*; hunc ibi triumphum canit, pag. 25. *Multum ergo hic recedis à Buxt. & Booty rigida ſententia, qua de re gaudeo, & tibi gratulor:* quum iſta verba adeo non recedant à D. Buxtorfij & mea ſententia ut eam exactiſſime ac pleniſſime exprimant. quod enim Cap. poſtea dicit eadem pag. *Inter me & illos non quæritur proprie, unde petenda ſint variæ lectiones, quantumve illæ vel augendæ vel minuendæ ſint, ſed an omnino dentur:* hoc li-

quidò & impudentiſſime falſum eſt. nunquam enim ego, uti neque D. Buxt. negavi Capello, dari in textu Hebraico varias lectiones, ſed de hoc ſolo circa eas controverſiam ei feci, *unde petenda illa ſint*, aſſerens eas petendas ex ſolis codicibus Hebraicis; necquaquam verò, ut ipſe vult, ex Veteribus tranſlationibus.

Monui aliquoties, Capellum cum Morino ſuo (cuius veſtigiis in hoc, ut in pleriſque aliis contra Hebraicam Veritatem calumniis, fideliter inſiſtit) multum ſupra verum exaggerare Varias Lectiones ex ipſis codicibus Hebraicis depromptas. Iſtius rei inſigne documentum de novo dedit in hoc ſcripto, cuius paginâ 8. ait, *Habemus vel invitis, vel non repugnantibus Bo. & Buxt. plus quam bis mille varias lectiones ex Iudæorum libris depromptas, aut deprompſi paratas, in quibus adhibendus eſt Canon ille noſter*: ubi ut nihil de eo dicamus, quòd Canonem illum, dii dicendi Varias lectiones ex commodiore ſenſu, ſibimet appropriat (quod facit etiam pag. 23. initio) neque de eo, quòd ad efficiendum numerum illum bis millenarium, aliquot centena liberaliter de ſuo, atque ex ſola hariolatione ſua, nobis admetitur (quippe paulo ante, quum dixiſſet, *Kerioth iuxta Bambergium inveniri* 1260. *& diſſidia Orientalium ac Occidentalium* 220 addidit; *Varietates inter B. Aſcher & B. Nephtali non vidi, nec codices Mſs. contuli, nec Editiones hodiernas inter ſe comparavi; quod ſi fieret, aſſurgerent varietates illæ ad numerum proculdubio non contemnendum, forte plus quam bis millenarium*) non potuiſſet illa ſcribere, niſi omni in totum pudori prius valedixiſſet. Adeo enim non opus eſt illo Canone in illis omnibus Variationibus, quod ille lectoribus harum rerum ignaris libenter perſuaderet, ut vix in Viceſima earum parte ullus eius uſus ſit. Quippe omnia in univerſum diſſidia inter B. Aſcher & B. Nephtali, uti longe ac longe maxima pars illorum inter Or. & Occid. necnon *inter Kerioth*, occupantur in minutiis grammaticalibus, nulla ex parte vocum ſignificationem immutantibus. plurima etiam ſunt, quæ voces ipſas immutant quidem, ſed adeo leviter, ut loci ſenſus idem tamen permaneat, abſque ulla vel minima variatione. & permulta in manifeſto ſphalmate cubant, ita ut in iis ne minima quidem hæſitandi, aut de vera lectione dubitandi, occaſio relinquatur. Iſtis autem omnibus demptis, perexiguus ſtat Variationum numerus, quæ revera aliquam efficiant in ipſo ſenſu ambiguitatem; in quibus ſolis Canoni iſti locum eſſe, ac quas ſolas Variarum Lectionum nomen mereri, res eſt ſumme manifeſta: ac proinde falſiſſime dixit Capellus, *Haberi plus quam bis mille Varias lectiones, ex Iudæorum libris depromptas, aut depro-*

mi paratas, in quibus Canon ille adhibendus ſit.

Immanibus iſtis falſitatibus addantur duo tria-ve craſſa & apertiſſima menda cia; qualibus quum iam antea mirum in modum aſſueviſſet, non fuit ipſi facile, in noviſſimo hoc ſcripto ab iis abſtinere; ſiquidem conſuetudo eſt inſtar alterius naturæ. Tale eſt, quod dicit pag. 43. *Bootius lubens mihi, ſed calumnioſo, imponere cupit, omnes Interpretum diſcrepantias hodiernæ lectioni eſſe præferendas:* quod mendacium quum in Apologia quoque, cum multis aliis (quorum aliquot ſpecimina produxi ſupra pag. 50.) ſurpaſſet, id iam in anteceſſum coargui pag. 20. ut propterea nihil amplius de eo hic dicendum habeam. Alterum fœdum mendacium occurrit pag. 46. ubi ait, *Me operam meam Grotio, & eius ſtipendiis, collocaſſe in excudendis, & à typotheiarum mendis corrigendis, Annotationibus illius in V. Teſtam.* quod mendacium bigeminum eſt. namque & illud Grotij Opus, Annotationum in Vetus Teſt. in hac urbe excuſum atque ad finem perductum fuit diu ante, quàm ego pedem in eam inferrem: & neque Grotio, neque ulli mortalium ego unquam operam meam collocavi, in corrigendis mercede erratis typotheiarum. tametſi enim ingens illa ac crudeliſſima à feris & ſanguinariis Hibernis calamitas, quæ innumeros omnis generis ac ordinis homines partim quidem dira morte ac nefandis cædibus ſuſtulit, partim omnibus facultatibus momento evertit, mihi quoque haud exiguum damnum dedit, magnamque opum mearum partem abſtulit: ſuperfuerunt tamen, Deo gratias, quæ mihi meiſque honeſte ſuſtentandis ſufficerent, ut ad talia parandi victus ſubſidia recurrendum nequaquam habuerim: id quod ſi fuiſſet factum, minime id mihi probroſum ducerem, & ne diſſimulare quidem, multo minus negare vellem. Verùm ſi omnino aliquod eiuſmodi ab induſtria mea præſidium rei familiaris mutuari opus habuiſſem, non ad illum ſterilem haud minus quàm ignobilem corrigendi libros laborem confugiſſem potius, quàm ad propriam profeſſionem, atque ad Medicinæ praxim; quam antehac Londini & Dublini tanto cum ſucceſſu, utilitatis æque ac honoris pleniſſimo, per annos quatuordecim continuos exercueram. attamen ne ex illa quidem ullum magnopere fructum capere ſtudui, aut curavi, per hos novem annos, quibus hic Pariſiis ſum: non quòd eam dedigner nunc, aut quòd ullis, magnis paruiſ-ve, opem meam efflagitantibus, eam denegare ſuſtineam; ſed quod cupido quietis, & otij in bonas Literas, præcipue-que Sacras, collocandi, me compellit, ut quantum poſſum me ab omnibus aliis occupationibus cuſtodiam immunem. Men-

dacium quoque est, sed vanum ac ridiculum, quod asserit paginæ tertiæ, imò & paginæ quartæ summo, D. Buxtorfium ac me de sinceritate ac integritate Textus Hebraici, deque Variis in eo Lectionibus, in alia olim, quàm nunc simus, fuisse sententia, à qua discesserimus post Pseudo-criticæ lectionem, eâ scilicet *admoniti & cautiores facti*. Plurimis aliis ineptiis, absurditatibus, falsitatibus, & tergiversationibus scatet vesanum istud scriptum: quibus omnibus persequendis & examinandis ut tantum adhuc temporis & chartæ impendam quantum necesse foret (quod sane esset permultum etiamsi ea quàm brevissime, uti reliqua hactenus, perstringere vellem) nequaquam impetrare possum, à me ipso, qui tam multa eiusdem generis in ipsa Apol. uti & in Pseudo-critica, simili tædio victus, silentio prætermiserim. Itaque finem hic facio, Lectorem duntaxat monens, ut bene ac diligenter notet, ac mente memori recondat, Cap. in medio pudendarum istarum tergiversationum, quibus nihil suorum est quod mihi non interdum neget, plenissime tamen fateri, tum de ipso quæstionis statu (quem aliàs mihi ita proterve atque impudenter inficiatur) affirmantem, *Se eas Translationum variationes, quæ ab ipsis textus Hebraici verbis recedunt, habere pro discrepantiis seu variis lectionibus ipsius textus Hebraici*; tum de præcipuis argumentis, quibus sententiam eius labefacto atque everto, concedentem, *Multas Translationum à textu originario variationes posse esse ab ipso Interprete, atque ab eius spontanea & deliberata facta mutatione, additione, & detractione, ac partim quoque à Translationum descriptoribus vel interpolatoribus; & quoties à lectione hodierna discedunt Interpretes, id non factum necessariò, quia aliter scriptum fuerit in codicibus eorum Hebraicis, sed etiam quia vel hallucinatus sit Interpres in legendum, vel existimaverit iis in locis, ubi à codice nostro variat, lectionem Codicis sui non satis probam esse, atque ea emendatione opus habere, quam translatione sua expressit*: cuiusmodi confessiones etiam tergiversationibus & cavillationibus Apologiæ, æque fœdis ac protervis, hic illic interspersæ sunt, aliæque fictitiis ac chimæricis Capelli Variis Lectionibus magis adhuc exitiales, uti suis locis in hoc Opere monstratum fuit.

FINIS.

Cicero, in Catone Maj.

Quid enim stultius, quàm incerta pro certis habere, falsa pro veris?